


BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
19 I
10



ITINERARIVM ORIENTALE R.P.F. PHILIPPI A SS^ma TRINITATE


Carmelitæ Diſcalceati ab ipſo conſcriptum.



IN QVO

Varij ſucceſſus Itineris, plures Orientis Regiones, earum Montes, Maria & Flumina, Series Principum, qui in eis dominati ſunt, Incolæ tam Chriſtiani, quàm Infideles Populi.

Animalia, Arbores, Plantæ & Fructus; Religioſorum in Oriente Miſſiones, ac varij celebres euentus deſcribuntur.







LVGDVNI,

Sumptibus ANTONII IVLLIERON in vico Racemi, ſub ſigno duarum Viperarum.

M. DC. XLIX.

CVM PERMISSV SVPERIORVM.







EMINENTISSIMO

E T


Reuerendiſſimo Domino


D. ALEXANDRO

S.R.E. Tituli Sanctæ Sabinæ

PRESBYTERO CARDINALI

BICHIO.





EX vltimis Indiarum orientalium finibus reuerſus (CARDINALIS EMINENTISSIME AC REVERENDISSIME) *peregrinationis meæ narrationem ex-*



positurus ad tuum accedo conspectum: & meritò; nam dum anno salutis millesimo sexcentesimo vigesimo nono Nuntij Apostolici munus in regno Neapolitano obires; illac transiens sacram benedictionem tuam discessurus accepi: vnde sicut Tu vltimus fuisti Ecclesiæ sanctæ Prælatus, cui ad Infidelium regiones properans prostratus Vale dixi: sic iure merito primus esse debes, cui ab iisdem Infidelium regionibus rediens, cum omni reuerentia, & deuotione cordis Aue dicam.

Scio equidem Te plura, quæ hîc relaturus sum, ab alijs audiuisse & legisse: sed tamen non ingratum EMINENTIÆ TVÆ *fore iudico; si eadem & plura alia narratione sincera velut testis oculatus proponam.*

Continuatam meæ peregrinationis ab Vrbe Romana vsque ad Ciuita-

tem

tem Goanam Indiarum orientalium Metropolim, meíque reditus historiam, ac varios viæ successus enarrabo. Singulas, quas pertransiui, regiones: quæ in eis vidi, maria, flumina, montes, animalia, arbores, fructus, aliáque memoriæ digna describam. Principum, qui in eis dominati sunt, nomina & gesta: Populorum, qui in eis commorantur, mores, politicam, legem, errores: Religiosorum in oriente missiones ad Infidelium Conuersionem ordinatas: ac memorabiles euentus summa fidelitate & breuitate recensebo.

Accedo tandem grato plenus animo immensas Eminentiæ tvæ *daturus gratias, pro continuis in Carmelitas Discalceatos collatis à Te beneficijs: si omnia mihi referenda forent; totus hic liber illis describendis non sufficeret. Nullus est in hac nostra*

prouincia Conuentus, qui Te præcipuum non agnoscat & Protectorem & Benefactorem: Aquensis & Tolonensis sub tuis auspicijs fundati sunt; Arelatensis eximium tuæ protectionis effectum prædicat. Iam à multis annis Religio nostra in Nobilißima, Inclyta, & Regia Arelatensi Ciuitate fundare Conuentum exoptabat: sed multæ obstabant difficultates; omnes sciunt, & publica voce fatentur, quantùm EMINENTIÆ TVÆ *authoritas, & tuus in nos summus amor ad eas superandas contulerit.*

Non audeo (singulari tua prohibente modestia) tuas hîc celebrare virtutes, tua referre merita, primariam inter Senenses tuorum Natalium laudare nobilitatem, quæ in publicis Etruriæ monumentis venerabilis est: & aliunde superfluum esse iudico; cùm toti notum sit Orbi, Te pro-

pter

pter eximias nobilis animi dotes fuisse maioribus semper deputatum officijs, & propter eminentia merita ad superiores dignitates & sacram purpuram sublimatum, ac supremæ dignum existere. Te Gallia in exequendis negotijs prudentissimum, & in superandis difficultatibus prædicat animosum. Te Italia belli intestini pacificatorem, ac pacis restauratorem agnoscit.

Ipse igitur meo, & prouinciæ totius nomine tot nobis collata beneficia, intimo fixa cordi; non solùm voce, sed etiam scriptis manifestare volo: vt nouerint omnes, quo amore, qua diligentia, qua fidelitate causas eorum, qui se TVÆ *deuouerunt* EMINENTIÆ, *prosequaris. Accipe(*CARDINALIS EMINENTISSIME*) vultu beneuolo exiguum, & tuis impar beneficijs, grati hoc animi tribu-*

tum; dum nos iiſdem beneficijs obſtricti cœleſtes benedictiones continuò Tibi deprecabimur: quas ego inter alios primus ipſi toto cordis affectu deſidero,

TVÆ EMINENTIÆ

Humillimus, & addictiſſimus ſeruus F. PHILIPPVS à Sanctiſſima Trinitate Carmelitarum Diſcalceatorum Prouincialis.

PROLOGVS.



ON potui, Lector beneuole licèt aliis, & grauioribus exercitiis occupatus, ab ſcribenda meæ profectionis Orientalis relatione diutiùs contineri: tot enim amicorum precibus, tot aliquorum nobilium votis reſiſtere piaculum iudicaui: vnde quotidianis, ac omninò neceſſariis occupationibus meis aliquid temporis ſubripiens, breue hoc opus rudi Mineruа confeci. Non tibi fabulas pro libito fictas: ſed puram in omnibus deſcribo veritatem. Ex induſtria breuitatem affecto, ne longo verborum circuitu tædium tibi generem, te potius eligens rerum varietate recreare. Omnia penè, quæ hîc refero, meis vidi oculis; ſi quid his adiungo, certa & infallibili relatione percepi aliquorum, quorum authoritati diffidere credidi temerarium. In his duplici te pabulo nutrire, ac recreare; ſcilicet curioſitatis & deuotionis, intendo: intellectum & voluntatem paſcere deſidero; quis enim tot mirabilia in his deſcripta libris, tantam rerum pulchritudinem & varietatem, regnorum opulentiam, populorum induſtrias, aliáque huiuſmodi conſiderans, ad horum omnium artificem Deum Optimum Maximum pro his honorem & gloriam non referat, quis horum pulchritudinem attendens, illius pulchritudine non rapiatur? inuiſibilia enim Dei, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, dicitur Sapientiæ 13. vbi condemnans homines, quòd iſtis inuiſibilibus abutentes, tanquam vani & Dei ſcientia priuati, de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere Deum, quis eſt; neque operibus attendentes agnouerunt, quis eſſet artifex; cùm tamen à magnitudine ſpeciei & creaturæ cognoſcibiliter poſſit Creator horum videri: vnde

Beatissimus Iob nos ad creaturas remittit, vt ex illis ad Creatoris cognitionem assurgamus; capite enim 12. ait, *Interroga iumenta & docebunt te; & volatilia cœli, & indicabunt tibi; loquere terræ, & respondebit tibi, & narrabunt pisces maris, quis ignorat, quòd omnia hæc manus Domini fecerit?* Tam facilis est à creaturis ad Creatorem, ab illarum perfectione ad eius infinitam perfectionem ascensus; vt nulla circa hoc inuincibilis ignorantia possit admitti: quis enim non facilè aduertat, quòd illa, quæ aliquandò incipiunt, & desinunt, ac proinde contingentiæ subdita, non sunt à seipsis, quasi gaudeant essendi necessitate? si non à seipsis, ergo habent ab alio, quòd in rerum natura subsistant; & cùm aliunde philosophico axiomate sit indubitatum, neminem dare quod non habet, infallibili cõsequentia restat concludendum, quòd Deus omnium Creator, omnium creaturarum perfectiones, in illis dispersas, in seipso summè vnitas, in eminentiori, ac infinita Deitatis ratione præhabendo contineat. Hæc tandem à te, Lector, exposco, vt cùm in hac mea relatione tot homines Mahometicæ legis erroribus, aut gentilitatis superstitionibus irretitos legeris, infinitas gratiarum actiones misericordi erga te Deo rependas, qui te in locis fidelium, è fidelibus nasci parentibus, sola motus bonitate sua decreuerit; vocationis ad fidem Christi, ab eiusdem Christi meritis beneficium extolle opera fidei correspondentia sedulus exequere: vt ita per bona opera certam tuam facias vocationem; *Quos* enim, ait Paulus Apostolus, *Deus prædestinauit, hos & vocauit: quos autem vocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit, illos & glorificauit*; hanc tibi, sicut & mihi gloriam deprecor.

Continet hoc opus decem libros. In primo proponuntur causa, & varij successus meæ profectionis ad partes Orientales. In secundo, describuntur imperia, & regna

regna quæ lustraui. In tertio, montes, maria, & flumina celebriora referuntur. In quarto, Monarchæ, Reges, & Principes adducuntur, qui in Oriente dominati sunt. In quinto, varij Christianorum in Oriente commorantium mores, ritus, & errores exponuntur. In sexto, sectæ infidelium orientalium, eorúmque religio, & politica declarantur. In septimo, varia animalia, arbores, plantæ, & fructus describuntur. In octauo, Religiosorum in Oriente missiones pro animarum conuersione manifestantur. In nono, varij euentus memorabiles referuntur: & tandem in decimo, causa, & successus mei in Europam reditus enarrantur. Poteram hoc opus adhibitis libris, ac variis aliorum relationibus, augere; sed malo esse diminutus, quàm falsus; in quarto tantùm libro ex Chronologiis aliorum loquor, in quibus varias in annorum supputatione sententias reperi; & cùm in eis plurima sint incerta, ea tibi, non vt mea, sed vt aliorum dicta refero. Vale.

Cùm in hoc Libro sint multa nomina propria & Authbor non interfuerit impressioni, forte aliqui errores irrepserunt.

APPROBATIONES.

FR. Laurentius à Sancto Elia Præpositus Generalis ordinis Fratrum Discalceatorum B.Mariæ de Monte Carmeli, vt liber, cuius titulus est *Itinerarium Orientale R. P. F. Philippi à S. Trinitate*, Prouincialis Prouinciæ Auenionensis Sanctæ Theresiæ per varia Orientis Regna, ab ipsomet compositus, & à Grauibus doctisque viris nostri ordinis recognitus & approbatus typis mandetur, & in lucem prodeat tenore præsentium licentiam concedimus. Datis in Conuentu nostro sanctæ Mariæ de Scala Romæ, die 20. Maij anni Domini 1647.

Fr. LAVRENTIVS à Sancto Elia Præpositus Gener.

NOs infra subscripti Magistri in Theologia facultatis Parisiensis legimus *Itinerarium Orientale R.P. Philippi à S. Trinitate* Carmelitæ Discalceati, in eóque nihil quod aures Catholicas offendere possit reperimus, Imò multa iucunda & quæ de naturæ secretis & mirandis eius effectis curiosos demulcere possunt: dignáque Iudicauimus quæ in lucem prodeant. In quorum fidem manuale nostrum Chyrographum hîc, die 24. Nouembris anni 1648. Lugduni apposuimus.

F. STEPHANVS MOLIN Carmelita.

F. FRANCISCVS LORNET, Prior Prædic. Lugd.

Fr. CLAVDIVS COCHET, Ord. Præd.

VIsa à Nobis authentica approbatione RR. PP. Præfatorum Doctorum in Theologia facultatis Parisiensis super hoc *Itinerario Orientali R. P. F Philippi à S. Trinitate* Carmelitæ Discalceati, qua asserunt nihil in eo contineri Catholicæ doctrinæ aduersum Nos sub prælum mittendum quoque censuimus. Lugduni 16. Nouembr. 1648.

DE VILLE, Prouic. Gen.



INDEX CAPITVM

LIBRI PRIMI.

LIBRI II.

LIB.

LIBRI III.

LIBRI IV.

LIBRI V.

LIBRI VI.

LIBRI VII.

LIBRI VIII.

LIBRI IX.


LIBRI X.

LIBER



LIBER PRIMVS ITINERARII

In quo Causa, & Successus meæ profe-ctionis in Orientem proponuntur.





CAPVT PRIMVM.

De causa mei Itineris.

IN ipso statim principio conueniens; imò necessarium duxi, causam referre tam longi, & diuturni mei Itineris; ne lector miretur sciens carmelitas discalceatos esse strictioris clausuræ religiosos, qui nec ad publicas supplicationes, nec ad mortuos sepeliendos accedunt, nec passim per plateas & compita cursitantes videntur; vixque ad confessiones decumbentium audiendas, aut ad iuuandos morti proximos, aut ad implenda similia charitatis opera tantùm prodeunt: dum me totum ferè mare Mediterraneum, sinum Persicum, & orientalem oceanum enauigasse, plurimásque perlustrasse audierit orbis prouincias; videlicet Palæstinam,

Phæniciam, Syriam, triplicem Arabiam, desertam, fœlicem, & petream; Assyriam, Chaldæam, Persidem, Parthiam, Mediam, Indiam orientalem, Armeniam maiorem, ac Mesopotamiam.

Mirari desinet si nostrum nouerit Institutum; quod licèt principaliter in contemplatione, eíque annexis, scilicet silentio & recessu consistat: secundariò tamen ad vitæ actiuæ opera; maximè ad salutem animarum se extendit: quapropter religio nostra suorum fundatorum Eliæ, ac Theresiæ exempla & doctrinam imitata, contemplationis & actionis spiritum alit in filiis: vnde in qualibet prouincia vnum Conuẽtum eremiticum instituit, vbi religiosi solitudinis & silentij amatores mira abstinentia, pane duntaxat herbis ac fructibus vescentes, antiquorum eremitarum rigorẽ æmulantur. Solet hic Conuentus inter nemora, aut in montibus, ab vrbibus & oppidis longè dissitus ædificari; vt ibi commorantes religiosi ab omni sæcularium strepitu liberi quietius viuant; ibi in continuo degunt silentio, solis solemnioribus diebus inter se, & tunc de rebus spiritualibus colloquentes: piaculum enim grande est, si quis de foris adueniens vanos rumores, aut nuntia sæcularia deferat, cui rei vt facilius prouideatur, nullus (excepto Priore, & Procuratore ad negotia Conuentus explenda) foras exire potest, nec litteras mittere aut recipere intra eremi ambitum, qui circiter vnius leucæ spatium continet. Præter Conuẽtum, vbi cellulæ pauperculæ & perexiguæ intermediis separantur hortulis, sunt habitacula quædam eremitica variis sanctis dedicata, ab inuicem & ab ipso conuentu longè dissita, ad quæ sanctioribus præsertim anni temporibus, scilicet Quadragesima & Aduentu recedunt: in illis est oratorium, aliæque mansiunculæ habitationi eremitarum necessariæ, est hortulus variis floribus consitus, nec desunt aquarum riuuli, & quid-

quid

quid idoneum videtur ad mentem exhilarandam,& ad cœleſtia dirigendam : ſibi inuicem eremitæ in ſacrificio Miſſæ deſeruiunt,eſt campanula in ſingulis eremitarum cellis, qua ſinguli actus communitatis eodem tempore,quo in conuentu maiori campana,pulſantur; ibi iuge ſilentium , ibi incredibilis abſtinentia ; nihil enim præter herbas & fructus comedunt, illorum auſteritas antiquorum eremitarum Ægypti & Paleſtinæ rigorem ; ſi non ſuperat, ſaltem adæquat : redeunt in Conuentū in vigilia Natiuitatis , & dominica Palmarum,ad Dominicam, Natiuitatem, Paſſionem, & Reſurrectionem in cómmuni cum aliis religioſis celebrandam. Verè hîc eſt in terra Paradiſus , quem Religio noſtra viris ſolitudinis amatoribus præparauit.

Nec defuit illis , qui aliis prodeſſe cupiunt animarum ſalutem ardentiùs anhælantes : cùm enim ex noſtro Galliarum Apoſtolo Sancto Dionyſio Areopagita didicerit, omnium diuinorum diuiniſſimum eſſe,in ſalutem animarum Chriſto cooperari ; non ſolùm in omnibus aliis Conuentibus inſtituit Confeſſores & Prædicatores , qui concionando , & confeſſiones audiendo peccatorum,& hæreticorum circumiacentium conuerſionem & ſalutem inquirant ; ſed & miſſiones plurimas inſtituit , vt ad remotiſſima quæque regna noſtrorum charitas dilatetur : nam præter Angliam, Hiberníam, Batauiam , Germaniam , cæteráſque prouincias in quibus noſtri plurimùm laborant , India tum orientalis,tum occidentalis, Arabia, regnum Perſidis, Syria, & Palæſtina noſtris decorantur hoſpitiis. Ad fouendas ac promouendas has in terris Infidelium miſſiones , inſtituta ſunt in variis noſtræ religionis prouinciis quædam ſeminaria;ſed præcipuè Romanum S.Pauli in monte Quirinali, nunc B. Mariæ de victoria titulo nuncupatum ; quia in eius Eccleſia ſolemniſſima totius Cleri Romani ; imò & Cardinaliū pro-

cessione collocata fuit à summo Pontifice Gregorio XV. miraculosã illa imago Sanctiss. Virginis, quæ victoriæ Pragensis à Ferdinando secundo Imperatore supra comitem Palatinum relatæ, causa fuit.

Ad hoc generale totius congregationis domicilium mittuntur ex singulis Prouincijs duo religiosi, iam Philosophiam & Theologiam edocti; vt ibi in controuersiis & in orientalium linguarum, præsertim Arabica peritia instruantur. Elapso primo anno tenentur votum publicè emittere in manu Superiorum, se ad quamlibet missionem ituros pro conuersione Infidelium, seu Hæreticorum; cum obedientia id eis iniunxerit. Non mittuntur illuc, qui spiritum missionũ non habent: ibi enim variis modis, tum exhortationibus, tum exemplis martyrum, tum epistolis è terris Infidelium delatis mirabiliter alitur & augetur.

Hunc duplicem; sed subordinatum contemplationis & actionis spiritum Religio nostra didicit & hausit à suis fundatoribus Elia, & Theresia; magnus quippe ille Propheta aliquandò solitudines; præcipuè montiũ Horeb & Carmeli quærebat, vt cœlestium contemplationi, & legis diuinæ meditationi vacaret: aliquãdò etiam peruersos populi sui mores, & regum Israël idololatriam videns, ardenti flagrans diuini zelo honoris, varias ciuitates Israël, præsertim Samariam Regis curiam frequentabat: vnde primus hic Carmelitarum Institutor conuentus Eremiticos, vt in Carmelo, soli diuinorum contemplationi; alios verò in vrbibus Samariæ, Bethel, Hiericuntis, proximorum vtilitati, animarúmque saluti consecrauit: cuius zelus in vltima eius missione contra Antichristum sub finem mundi, in conuersione Iudaici populi plurimùm emicabit. Interim per tot sæcula cœlestium contemplatione & deliciis perfusus, à mortalium oculis ereptus delitescit; cuius duplicem spiritum sectatus est Elisæus, qui

eremi

Eremiticum Conuentum iuxta fluenta Iordânis ædificauit, variásque instituit, tum ad plures Iudææ ciuitates, tum ad Damascum caput Syriæ ciuitatem infidelem missiones; eundémque spiritum suos edocuit successores. Quorum imitatrix fidelissima virgo Theresia Carmeli Restauratrix, contemplationis & zeli animarum spiritum à sanctis illis Prophetis hæreditaria successione traditum, tum scriptis, tum rebus gestis penè languidum renouauit; cùm adhuc paruula esset, aliquandò in horto domus paternæ sibi cellulas eremiticas efformabat, vt ibi contemplatione & solitudine frueretur; aliquandò etiam martyrij desiderio flagrans ad Barbarorum terras vnà cum paruulo fratre ire contendit. Fatetur etiam in suis libris se reformationem sui ordinis suscipere, vt suæ moniales statum rerum Gallicarum, qui tunc Caluini hæresibus peruertebatur, deflentes, Dominum pro operariis ab ipso ad talem messem deputatis exorarent. Nunquid ipsa, ô vtinam, ad bonum Galliæ venisset; nisi sexus virginalis conditione fuisset impedita.

Eram Parisiis sacræ studens Theologiæ, quando Romam pro Gallica prouincia, quæ tunc vnica erat, destinatus sum: die post festum Assumptionis Deiparæ anni millesimi sexcentesimi vigesimi sexti Parisiis egressus consensa naui per Sequanam contra impetum fluminis aliquantùm processi: deinde relicta prope Antisiodorum naui pedes incedens Cabilonem perueni, vbi iterum Ararim pernauigans appuli Lugdunum; ibi me velocissimi fluctibus Rhodani committens, delatus sum Auenionem, inde Massiliam veni; repertâque naui, quæ Liuorniam tendebat, prospera nauigatione Italiam appulsus, quarto Octobris Romanam ingressus sum Ciuitatem.

Mansi Romæ per duos annos & quatuor menses, solitis occupatus seminarij exercitiis: quibus elapsis

à Definitorio generali cum aliis electus, vt ad Persidem proficiscerer, cœpi me orientali profectioni parare: ecce Lector beneuolè longi & diuturni mei causam itineris.

CAPVT II.

De exitu ab vrbe Romana, & appulsu ad insulam Melitam.

IAM diu exoptata, & summis expectata votis aduenerat dies quarta Februarij anni millesimi sexcentesimi vigesimi noni: qua R. P. N. Mathias à sancto Francisco Præpositus Generalis iussit me è nostro seminario venire ad palatium Vaticanum summi Pontificis, vt deosculatis beatis eius pedibus, acceptâque Apostolicâ benedictione alacriùs Persicam cum sociis aggrederer profectionem: ingresso igitur palatio, superatísque difficultatibus quæ solent occurrere, & authoritate Eminentiss. Domini Francisci Barberini Cardinalis, in aulam vbi summus Pontifex in solito sedebat throno, introducti, breui temporis interuallo ad illum alloquendum fuimus euocati.

Eramus quinque videlicet R. P. N. Generalis Mathias à sancto Francisco Turiasonensis, R. P. N. Paulus Simon à Iesu Maria Genuensis nunc tertiò Generalis, qui primus ob eximium animarum zelum, quem semper conseruauit, ad Persicam missionem à Clemente octauo destinatus est, P. F. Epiphanius à sancto Ioanne Baptista, P. F. Ignatius à Iesu, & ego, qui breui eramus discessuri. Post varia colloquia significauit summus Pontifex se satisfactum labore & industria Patrum nostrorum in missionibus commorantium, præsertim circa Armenos: tunc enim temporis eorum Patriarcha Moyses nomine vir venerabilis, quem postea in Perside vidi, & de quo iterum redibit

sermo:

sermo: item Chulfensis Episcopus nomine casciatur siue crucifer, suasu nostrorum Patrum, vt ipsi fatebantur, mirabilem epistolam ei direxerant, in qua ipsum Ecclesiæ caput, columnam fidei, Christi vicarium, & diui Petri successorem vocabant: ita præcipuum de vnitate naturæ in Christo, quod à nobis damnatur, dogma exponebant, vt potius error Philosophiæ quàm fidei, vt dicetur infra, videretur.

Sciscitatur tandem, vnde nam essent patres, qui ad missiones mittebantur: cùm ei responsum fuisset omnes esse Italos excepto vno ex Galliis oriundo, iterum sciscitatus quisnam ille esset: cùm me ei indicassent; vultu hilari & beneuolo respiciens, maximum quem semper fouit in Gallos affectum demonstrauit: osculatis eius pedibus, & accepta benedictione Apostolica recessimus: ipse autem magnificentissimam sancti Petri Basilicam ingressus, celebránsque in Altari sanctorum Apostolorum Simonis & Iudæ patronorum Persidis, vbi nobilissimum consummarunt martyrium, Persicam meam profectionem eis consecrans commendaui.

Illuscescente octaua Februarij die Româ discedimus, serò peruenimus Velletrum, secunda die Pipernum propè monasterium fossæ nouæ, vbi mortuus est diuus Thomas Aquinas lumen Ecclesiæ præfulgidum, & sacræ princeps Theologiæ, tertia die Tarracina relicta venimus Fundos in regno Neapolitano, quarta transeuntes propè Caietam, ac fluuium Liridem vulgò *Gariglian*o traiicientes ad oppidum Cascanam diuertimus, quinta denique Capuam pertranseuntes Neapolim peruenimus, vbi per aliquot dies commorati, vt expeditionem quandam sacræ Congregationis de propaganda fide expectaremus, repertâ tandem nauicula Melitensi, vulgò *Fargata* mare ingredimur, ac versùs Melitam nauigamus.

Mirandum ac miraculoſum quid, ipſa qua diſceſſi die, paulò ante diſceſſum mihi contigit: cùm enim in noſtro conuentu ſanctæ Thereſiæ, qui tunc erat nouitiatus, miſſam pro fœlici noſtra profectione celebrarem, poſt communionem video in calice Sanguinem coloris viuidi, ac in meis digitis, quibus Hoſtiam tetigeram, eiuſdem ſanguinis guttulas reperio, non ſparſas ſed collectas; non ſecus ac ſi digiti tunc acu fuiſſent penetrati: plurimùm obſtupui, explorare incœpi; ſed cauſam iſtius naturalem minimè reperiens in varias diſtractus fui cogitationes: primò credidi, hanc eſſe diuini numinis admonitionem, quâ ſtupendo hoc miraculo manifeſtata mihi ſua præſentia, ſignificauit ſacroſanctum hoc ſacrificium maiori reuerentia ac deuotione eſſe celebrandum: deinde, cùm hoc accidiſſet ipſa die qua nauigationem ad terras Infidelium aggrediebar, noua ſuccedit cogitatio, an ſcilicet miſericors Dominus quia ſubitò poteſt dehoneſtare pauperem, vellet me quoque miſerrimum, & ingratiſſimum peccatorem pro fide Chriſtiana, corona Martyrum decorare: ſed meis demeritis indignum me reddidi, hanc tradidit alteri, cui ego habitum religionis dedi.

Feſta die Sancti Mathiæ vigeſima quarta Februarij ſub veſperam è portu Neapolitano ſoluimus, illa nocte ac ſequenti die tractum Salernitanum traiecimus, reliquos Februarij & quinque primos Martij dies littora Calabriæ circumlegentes ob ventos contrarios inſumpſimus: in illo tractu apparuit nobis mons igniuomus dictus Stromboli, ſicut & alius propè Siciliam nomine Vulcanus: die ſexta appulimus Siciliam, nocte ſequenti nominatiſſimum eius fretum, vulgo Pharum, nautis infeſtum ac periculoſum enauigantes Meſſanam peruenimus. In illo freto ſunt duo illa periculoſiſſima loca ab antiquis toties recenſita,

sita, Scylla scilicet & Charibdis; magni enim ibi cernuntur vortices ex occursu vtriusque maris Mediterranei & Adriatici; hîc tanto Impetu fluit & refluit mare, vt naues plenis prospero vento velis nauigantes contrarium fluxum superare non possint, & manifesto nautæ se exponunt naufragio qui contra maris impetum nauigare præsumunt.

Messanæ propter contrarios ventos quatriduo mansimus, quo elapso discedentes attingimus exustas radices montis Ætnæ apud antiquos Poëtas nominatissimi: cùm enim continuò ignem euomat inferni aditus credebatur: postera die venimus Siracusas olim Siciliæ caput, & Dionisij Tiranni curiam, inde exeuntes ac Pachinum promontorium prætereuntes versùs Melitam nauigamus: sed è medio mari ventorum contrarietate redire coacti, per triduum in Siculæ littoribus insulæ demoramur: vnde iterum exeuntes decima quarta martij prospera nauigatione, ventísque secundis Melitam peruenimus. In hoc maritimo contra immanem Turcarum potentiam propugnaculo, Christianæ nobilitatis sub habitu Equitum Hierosolimitanorum habitaculo vsque ad quintam Aprilis sistimus, vlterius enauigandi opportunitatem expectantes.

In hac insula apparet locus, in quo sanctus Apostolus Doctor gentium & vas electionis Paulus è naufragio cum sociis liberatur. Apparet & in medio insulæ cauerna, in qua mansit aliquandiu, Principem insulæ postea etiam Episcopum nomine Publium, eiúsque subditos ad amplectenda Christianæ fidei dogmata conuertendo. Apparet & locus, in quo prædicans ab incolis adiacentis insulæ Gozo per multa milliaria audiebatur. Testis est vniuersa insula præsentiæ olim, & beneficiorum tam grati hospitis: in ea quippe viperæ aliæque serpentium species nullo sunt hominibus infestæ veneno; imò terra & lapides

insulæ dant promptissimum ac efficacissimum veneni cuiuslibet antidotum; & hoc meritis sancti Pauli; ac in memoriam illius euentus, quo sarmentum igni tradendum assumentis manum vipera inuasit: quæ historia non solùm sacris, litteris sed & apparentibus signis æternitati commendatur: traditione siquidem illius Gentis habetur, omnes qui tunc in insula serpentes erant in lapides fuisse conuersos, quod euidenti demonstratur niti fundamento; ibi siquidem dentes, linguæ, ossa illa nodosa, & capita serpentium intra terram & lapides inueniuntur, quorum copia maxima nobis in munus pretiosissimum, vt pote veneni remedium, oblata fuit: dono etiam recepimus plures annullos digito sancti Ioannis Baptistæ præcursoris, quo Christum Agnum Dei indicauit suis discipulis, impositos; qui ad subleuandos capitis dolores meritis tanti martyris idonei facto reperiuntur experimento: hæc cursim de regionibus ac rebus Europæ, vt pote vicinis, & cuilibet notis, dicta sunt: ad accuratius scribenda, quæ in reliquo profectionis occurrunt, vt pote pluribus ignota, vel non tanta diligentia & sinceritate scripta, procedamus.

CAPVT III.

De traiectu maris Mediterranei.

PRæstolabamur in Insula Melita opportunitatem nauigandi; cùm ecce nauis è portu Massiliensi veniens, ad portum Alexandrettæ contendit: quam assumptis duobus religiosis itineris sociis conscendentes, nos alto committimus mari: quinta igitur die Aprilis è portu Melitensi soluentes, octaua eiusdem mensis Cretam insulam Iouis magni olim gentilium Dei patriam, nunc vulgò Candiam Archipelago oppositam à longe contemplamur, quatuor aliis diebus elapsis

elapſis Cyprum conſpicimus, tandem decima quinta eiuſdem Aprilis, quæ fuit Dominica Reſurrectionis, decima nauigationis die optatum Alexandrettæ portum, Deo votis noſtris obſecundante fauſtè fælicitérque peruenimus: confectis mille & ſeptingentis milliaribus.

Proſperi, vt dixi ſemper fuere venti; licet quadam nocte in tractu, quem dicunt Sataliæ, inter Cretam, & Cyprum inſulas, intumeſcentibus vndis inexperti nauigationis peregrini vehementem exiſtimantes ſæuire tempeſtatem, naufragium velut proximum ac imminens formidauerimus. Prope Cyprum deficientibus ventis die vna integra ſtetimus immobiles: ſequenti verò nocte, cùm promontorium Porcorum, vulgò *Cau-cauſir* peruenillemus, variis ſubito exortis turbinibus (quod frequenter ibidem ſolet aduenire) plus terroris quàm nocumenti fuit: deinde intra ſinum, quem mare reſtrictum vlteriúſque procurrens facit, nauigantes, ac omnia tormenta bellica in ſolemnitatem Dominicæ Reſurrectionis celebrandam, & ad ſalutandum portum explodentes, iacta ſub aquis anchora noſtrum iter maritimum terminamus.

Primo regionis ingreſſu diutius attoniti & obſtupefacti, non viſis hactenus Mahometanorum ritibus, nouo veſtium genere, & inaudito loquendi modo hæſitauimus. Hîc videre erat quoſdam mercibus, illic alios repetitis identidem religionis cauſa profundis inclinationibus &crebris proſtrationibus, inuſitatiſque occupatos ceremoniis: commoramur illa ac ſequenti die apud quendam mercatorem Venetum, qui nos inſigni charitatis & beneuolentiæ ſignificatione recepit.

Exiguum eſt Alexandretta oppidum, paucas habens domos lapideas, ſcilicet Proconſulis tum Galli, tum

Veneti,

Veneti,Ecclesiam Gallorum aliásque paucas facilè numerabiles; cæteræ sunt viminibus, iunco & arundinibus textæ: habitatores eius præter mercatores aliquos Gallos,Venetos,Anglos, & Batauos,sunt Turcæ, Græci, Armeni, aliíque Christiani orientales: aër ibi præsertim æstate pessimus est, ac pestifer: cuius malignitatem flaui ac deformes vultus mercatorum ibidem commorantium præ se ferunt; ibíque plures è nostris religiosis ad missionem pergentibus, si fortè ob defectum comitum itineris detineantur, facilè infirmantur: vnde maximi instar beneficij à Deo nobis collati reputauimus, quòd repertis alterius nauis mercatoribus sequenti die post prandium discedere contigerit.

CAPVT IV.

De aduentu in ciuitatem Aleppi.

IAM aderat decima sexta Aprilis, manè duo ex nobis natione Itali pergunt ad capellam Venetorũ, vt missam celebrarent; ego cum alio, qui licèt natione Italus; linguam tamen Gallicam optimè nouerat,quia iuuenis Auenionem delatus fuerat, eadem intentione ad Gallorum Ecclesiam venimus: deinde domum recedentes omnia itineri necessaria præparamus post prandium conscensis equis quindecim circiter simul discedimus, vespere venimus ad oppidum dictum Beilam satis amplum, aquis abundantissimum, situm supra montem, qui olim dicebatur Amanus siue niger, diuidens Syriam à Cilicia; in quo cum pueri Mahometani simul ludentes occurrissent, eorum miseriam interius deflens, quod luderent; cùm tamen moraliter certum esset, illos præscitos, reprobos, ac æternis esse flammis destinatos, ardentius cœpi animarum salutem sitire, ac immensas diuinæ misericor-

diæ

diæ gratias rependere, quòd me Christianis parentibus natum, Ecclesiæ filium, imò religiosum Carmelitam discalceatum effecisset: insuper pro eorum conuersione enixius Dominum exoraui, libenter ipsi offerens quidquid in missionibus essem passurus.

Mansimus illa nocte in domo ducis nostri itineris Arnaudi nomine, Armeni natione; ibi enim familiam alebat, pueris eius ac puellis paruas cruces æreas ac sanctorum imagines diuisimus; summo mane discedentes cautè admodum simúlque vniti qua poteramus celeritate montem descendimus, frequentia quæ illis in locis nemoribus consitis occurrunt, latronum pericula formidantes. Illucescente die apparuerunt ad dexteram ruinæ mœnium & ædificiorum Antiochiæ nobilissimæ & antiquæ ciuitatis, quæ tempore Anthiochi eius fundatoris, ac aliorum Regum totius Syriæ caput & curia fuit, & in qua primò fideles denominati sunt Christiani.

Nobis è monte descendentibus latè diffusa occurrit planities Anthiochena, in varios passim assurgens colles; in ea plures apparent aggeres à Godefredo Bullioneo primo restauratæ Hierusalem Rege, quando actu regnum conquirebat, vt constanti habetur traditione, constructi; in ea est lacus maximus, pluréśque riuuli; imò & fluuioli, qui omnes Orontem fluuium à Libano venientem ingressi, proximo se committunt mari, abluta & exhilarata prius leuiter fluentibus vndis Antiochena ciuitate. In eadem planitie, quæ per plures leucas diffunditur, præter Antiochiam supra collem ædificatam, & à pristina gloria penitus collapsam, rara eáque contemnenda cernuntur oppidula: ibi sunt plures pastores, quos vocant Turchemanos, qui portatiles inhabitantes domos, arundinibus & panno rudi textas, hinc inde per planitiem suos greges ad varia deducunt pascua: prædicti Turchemani

chemani non ſolùm paſtores, ſed etiam inſignes ſunt latrones; propterea viatores non ſigillatim,ſed turmatim & armati procedunt.

Mirabitur fortè quis, cur regio quondam populis plena, vrbibus decorata, ac deliciis affluens; deſerta nunc, inuia & inculta remanſerit: ſed in hoc mirabilem circa Chriſtianos Dei laudet prouidentiam,qui inimicos Chriſtiani nominis pro viribus, poligamia ſcilicet,multiplicationem ſuæ gentis procurantes,creſcere non permittit: & inter alia diuinæ prouidentiæ media ad hoc ordinata eſt peſtis, quæ ſæpiſſimè,quinto ſcilicet anno, per totum Turcarum Imperium, modo in his, modo in aliis prouinciis graſſatur, maximámque conſumit populi multitudinem: cùm enim diuina decreta neceſſariò complenda iudicent, præſcindendo à mediis, fatalem in omnibus agnoſcunt neceſſitatem: & ita, quidquid fecerint, dicant ſe morituros, ſi hoc ita ſtaturum ſit vel non morituros, ſi contrarium fuerit à Deo conſtitutum; propterea licèt videant parentes & amicos peſte laborantes, non tamen ſe ab eorum conſortio & conuictu ſeparant:quapropter propè infiniti peſtifero contracto morbo decedentes confluunt ad tartara: ſed iam præcipui inter ipſos noſtrorum mercatorum exemplo, qui recedentes tunc & peſtis & mortis periculum euadunt, ſapientes effecti, ipſos imitantur. Propter incolarum defectum integra ſæpè regna duobus aut tribus tantùm conſtant ciuitatibus; propterea immenſa reperiuntur terræ fertiliſſimæ ſpatia, vt accidit in hac planitie Antiochena omninò inculta, ac animalium paſcuis derelicta: vnde ſolo lacte acetoſo, oriza, ac craſſioribus carnibus arietum, & boüm veſcuntur; non enim venationi, aut piſcationi ſolent eſſe addicti, quamuis plurimæ in his locis ſint ceruæ vulgò *Gazella.*

Die

Die igitur decima ſeptima Aprilis integram ferè Anthiochenam planitiem percurrentes ad exiguum oppidulum, quod iuxta quendam fluuiolum, qui tunc valde intumuerat, ad quemdam aggerem ex ſupradictis ædificatum diuertimus, ibíque totam noctem alternatim vigilantes duximus: omnia enim hîc plena ſunt periculis; cùm,vt communi prouerbio fertur, occaſio furem faciat; quantò magis fures ad furandum inuitabit: ſummo mane diei ſequentis viam proſequimur, colles qui occurrunt ſuperantes: circa horam diei nonam peruenimus ad quemdam locum, quem monaſterium vocant;quia ibi eſt quoddam monaſterium ſemidirutum, ibíque paululum refecti vltra procedimus, & paulò poſt meridiem ad oppidum vulgò *Iarra* appellimus,in quo plures mercatoresGallos, qui nobis obuiam venerant,reperimus: ibi prandentes paululum manſimus, conſcenſiſque iterum equis,circiter viginti quinque ſimul equitantes Aleppum, mirantibus Turcis tantum Chriſtianorum, & maximè quinque religioſorum comitatum, ingreſſi ſumus.

Prædicti mercatores Galli, qui nobis venerunt obuiam, noſtrum aduentum Alexandrettam, conſueto, ſed mirabili modo didicerunt: ſolent mercatores, vt fœlicius & maiori cum lucro ſua exerceant negotia, explorare aduentum nauium, diſcere quas afferant merces, quas velint Aleppi emere, quique mercatores in eis væneant; propterea ſumunt Aleppi columbas,ſtatim ac pullos pepererunt,& Alexandrettam deferunt, ſtatimque ac naues portum appellunt, ſchædulam prædictis inſcriptam ſub ala ligant, ac ita columbam dimittunt, quæ pullorum amore allecta ſursùm volat,donec Aleppum videns illuc volatum dirigit, ac tribus circiter horis perficit,quod equites duobus tantùm diebus perficiunt:columba autem domum

ſuam

suam ingressa capitur præ manibus, ac soluta schedula legitur: sic noster innotuit aduentus; duæ enim columbæ coram nobis Alexandrettâ sunt dimissæ: olim ad Aleppum ex Babilone, & ex Aleppo Babilonem, vt didici, columbæ similia nuntia perferentes dimittebantur.

Aleppum ingressu ad magnum campum, vbi Consul Gallorum, pluréſque alij, ac præcipui habitant mercatores, & vbi omnes merces ad soluenda pro eis vectigalia deferuntur, recta tendimus, redditáque exactoribus pro nobis ratione, supra ad nostrum hospitium in eodem campo positum conscendimus. Perpende quanta animi hilaritate, & nos de nouo aduenientes, & Patres illic degentes perfunderemur: solùm id percipies, si aliquandò ad remotissima loca tibíque chara, & plurimis desiderata votis, pluribus exantlatis laboribus, multisque euadens periculis faustè fœlicitérque perueneris: decima octaua die Aleppum peruenimus, ibíque vsque ad sextam Maij commoramur.

CAPVT V.

De modo iter agendi in Oriente.

CVM Arabia maximè sit deserta, & ea præcipuè quæ hoc nomine vocatur, & extenditur ab Aleppo vsque Babilonem; propterea non audent soli per illam incedere mercatores, sed multi adunantur Aleppi, ac primò obtenta pecuniis & muneribus à Gubernatore Aleppensi proficiscendi licentia, mittunt aliquos ad Regem deserti, à quo iusiurandum in scriptis recipiunt, se non eis nociturum, si in transitu debita pro mercibus vectigalia persoluant.

Inter mercatores, qui vt in plurimum sunt Armeni, eligitur vnus in ciuitate Chulsa prope Aspalian ab Armenorum duce, qui aliis mercatoribus tum Armenis

menis tum Mahometanis in illo tranſitu præſideat, qui vocatur Carauanbaſchi, ad quem pertinet dirigere illã multitudinem, iurgia inter mercatores diſſidentes finire, delinquentes fuſtibus vel ſimili modo caſtigare, aliquas contributiones de conſilio aliorum iniungere, ad danda ſi opus ſit munera, vel ad expenſas communes perſoluendas: ipſe etiam iubet ſiſtere vel procedere, vbi & quandò iudicauerit, modum procedendi ſtatuere, prouidere vigiles, & alia ſimilia.

Expeditis Aleppi negotiis, mercibúſque venditis, (hi enim ex Perſide pannos oloſericos, item ex auro, argento, ac ſerico mira contextos arte, quos *meleq* vocant; tapetes eximios tum ſerico, tum lana contextos; maximámque ſerici copiam deferunt ac plura alia) temporibus Veris, & Autumni quæ opportuniora ſunt, ne frigore Hiemis, néue calore Æſtatis moleſtentur, ſe itineri præparant.

Dux igitur illius multitudinis indicit aliis deſignatum diſcedendi diem, mittítque aliquos ex ſeruis ſuis ad determinatum congreſſus locum, qui tribus aut quatuor milliaribus Aleppo diſtat, ibique papilionem tendit, ſuáque defert onera; ad cuius exemplum alii mercatores ſimiliter expediti illuc properant, & ita ſpatio aliquorum dierum omnes conueniunt, ſuos ibi tendentes papiliones.

Præparant itineri neceſſaria, & primò panem bis coctum, copiam orizæ, quotidiani omnium orientalium cibi, caſeum, fructus ſiccos, lac acetoſum coagulatum, vinum, aliáque ſimilia: ſecundò aſſumunt paſtorem, qui emptum ouium, agnorum, & caprarum gregem diducat, vtres etiam paratos habent ad deferendam aquam; non enim ſingulis diebus reperiunt, maximè antequam fluuium Euphratem attingãt; qui etiam ob ſerpentinos circuitus à recta diſcedit viá; ac ita aliquando recto tendentibus tramite aquam denegat, qui etiam vtres ad

purificandam fluminis aquam limo plenam admodum necessarij sunt; donec enim aqua aliquantulum quieuerit, admodum turbida, non ita gustui suauis arridet, quamuis sic salubrior iudicetur.

Locatos ab Arabibus simili vacantibus negotio camelos accipiunt qui præ aliis animalibus ad peragrandum hoc desertum maximè sunt idonei: primò, quia prægrandia ferunt pondera, plus enim fert vnus camelus quàm duo muli: secundò, quia in deserto rara occurrunt pascua aliis apta iumentis; soli cameli reperiunt quod manducent; passim enim per viam multi occurrunt spinosi cardui, quos cameli procedendo sine vlla læsione ob duritiem pellis depascunt: tertiò, quia non singulis diebus inuenitur aqua; cameli autem facilè per duos aut tres dies ab aqua abstinent, quod difficile, imò fortè impossibile est aliis animalibus: vnde cameli præter assueta pondera, vtres aqua plenos pro equis tali necessariis itineri portant, ipsi verò repertâ aquâ præteritorum dierum abstinentiam compensant.

Præter camelos aliqui muli & asini; sed plures reperiuntur in comitatu equi, quibus insident mercatores, vt facilè hinc inde discurrere ad mercium custodiam, & latrones insilientes insequi valeant: statim autem ac turba latronum apparet, omnes sistunt camelos, genuflectere faciunt, eósque in vnum congregatos armati defendunt: si enim Arabes stantes ac sparsos reperirent, lanceis ferientes in varia distraherent. Equi raris occurrentibus pascuis nutriuntur; vbi enim vel pusillum herbæ apparet, statim à seruis mercatorum secatur, & camelis imponitur deferenda ad equorum nutrimentum, pro quibus etiam defertur auena.

Modus procedendi is est, summo mane ad ortum auroræ suos quique onerant camelos, nec iter arripiunt nisi omnibus onustis, quod mirabili fit celeritate; tunc ad imperium Ducis multi præcedunt equites, multi subsequun

ſequuntur; alij à dextris,alij à ſiniſtris camelorum incedentium aſſiſtunt, vel catapultis, vel arcubus & ſagittis inſtructi; ita vt exercitum crederes: nullus audet nec longo præcedere,nec ſubſequi interuallo,ne à circumlatentibus inuadatur latronibus, quod malo ſuo frequenter mercatores experiuntur; ipſi enim Arabes à longè vel præcedunt,vel ſubſequuntur hos mercatorum comitatus, ac plures eis parant inſidias.

Adeſt ſemper aliquis itineris ac locorum, vbi quotidie ſiſtendum eſt, apprimè inſtructus; nec enim iter apparet vt in plurimum; ſed aſtris velut nautæ reguntur: ſolis tantùm collium vel aliorum huiuſmodi ſignis norunt, vbi ſint putei, ac determinata ſiſtendi loca, vel vbi paſcua, vel vbi facilis ad fluuium acceſſus: cùm autem ad dicta loca perueniunt,depoſitis camelorum oneribus ſua explicant & inſtruunt tentoria in gyrum, crederes videre ciuitatem; in medio relinquitur platea; vbi cameli funibus alligati, ac genuflexi pernoctant; vnde in orbem circunſtant tentoria, camelorum oneribus quaſi muris ex parte exteriori vallata.

Solent circa meridiem conſiſtere,iter cuiuſlibet diei terminantes: tunc extenſis papilionibus neceſſarias toti iter agentium multitudini mactant oues,quiſque carnem emit ad libitum, ſuáſque omnes inſtruunt culinas, ignem accendunt, ſparſas hinc inde ligni ac ſtercorum camelorum præcedentium Turbarum reliquias colligunt: dum cœna paratur, ex his quæ parata deferunt veſcuntur; ſed præcipuè lacte acetoſo coagulato, quod facile inuenitur, paſtores ſiquidem Arabes, vbi comitatum mercatorum aduertunt, ſtatim aduolant; panes, lac, & oues deferentes; & ſic viaticum reparant, & gregem ouium occiſione quotidiana diminutum reſtaurant.

Quamuis cameli maxima ferant pondera, ad quæ ſuſcipienda & deponenda genuflectunt; breui tamen la-

bore franguntur; & cùm aliunde rara ſint in deſerto paſcua, multo indigent tempore, vt diſperſos hinc inde tribulos & carduos comedant: ad occaſum ſolis colliguntur, parato eis loco manentes à labore itineris tota nocte recreantur; tunc alternatis vigiliis quidam ad id deputati, & vbi timentur latrones, plurimi armati caſtra circumdantes cuſtodiunt, ſinguli etiam propriis mercibus inuigilant.

CAPVT VI.

De tranſitu Arabiæ deſertæ.

ADuenerat ſexta menſis Maij dies, mercatoribus ad diſcedendum prænuntiata: tunc ille, qui omnia noſtro itineri neceſſaria pactauerat (cum eo ſiquidem conueneramus, vt ſolutis pro quolibet ſeptuaginta circiter nummis, vſque in Perſidem nobis victum, & equitatum præberet) diſcedendum intimauit. Poſt prandium igitur Patribus noſtris, Conſule Gallorum, & amicis mercatoribus valere iuſſis, quò potuimus ſecretò eximus, vnico nobiſcum aſſumpto, qui viam demonſtraret, timentes ne aliquem offenderemus Turcam militem, vulgò *Ianiſſerum*, & aliquid à nobis per fas aut per nefas extorqueret. Hi milites ſunt arrogantiſſimi, & inſolentiſſimi, vt noſtri quotidie experiuntur mercatores; ſed valde inuicem vniti, quorum inſolentia paucis ab hinc annis toti mundo apparuit; cùm ſuum Imperatorem, quia ſtatuerat propter metum Polonorum Conſtantinopolim deſerere, & ſe recipere in Ægiptum, cum maximo dedecore trucidarunt: ſed quod timebamus, euenit; cùm enim ad portam ciuitatis accederemus, occurrit nobis vnus ex illis baculo inſtructus, qui minas inténtans breuiaria per vim arripuit; ſed ſoluto aliquo pretio noſtram redemimus vexationem: egreſſi ciuitate ad locum congreſſus ad ſex milliaria diſtan

distantem imminente iam nocte peruenimus.

Transacta nocte summo mane adducuntur quingenti circiter cameli pro toto commeatu necessarij : quique ad Ducis imperium suos onerant, nobis duo parantur, quatuor enim eramus religiosi, cuilibet camelo binæ hinc inde appenduntur cunæ, à parte exteriori panno tectæ ad vitandas solis & imbrium molestias,qua parte verò se respiciunt apertæ mutuo colloquio præbent occasionem : tunc genuflexis camelis ascendimus, ibique partim sedentes, partim iacentes, modò recitantes,modò orantes iter prosequimur.

Quatuor primis diebus lentè admodùm processimus; vt mercatores, qui adhuc aberant, audito nostro discessu se ab Aleppo expedientes accedere possent : prima & secunda die aquam ad potum reperiimus ; non autem tertia, qua supra collem mansimus : quarta verò quemdam riuulum in valle decurrentem, vbi plurima erant pascua, offendimus : quapropter viginti circiter ex nostro commeatu,vt ieiunos & sitientes reficerent equos, malo suo alios præcesserunt : cùm enim ad locum peruenissent, adsunt ex improuiso latrones Arabes, qui resistentes lanceis vulnerant,& equos mercibus onustos abducunt : duodecim fuêre vulnerati, ex quibus duo interierunt ; furtum Arabum ad decem nummorum millia peruenit. Inter hos erat vnus Pater Capucinus, qui nobiscum veniebat, in illo occursu mulum supra quem equitabat, pallium, & quidquid deferebat, amisit : cùm istius casus nuntium ad nos peruenit,iam Arabes, qua poterant celeritate recedentes, euaserant : tota sequenti nocte plurimi armati alternatim vigilarunt.

Vix credi potest, quantam confusionem, & mortis timorem hic Arabum insultus toti incussit commeatui: nec potest explicari, ad quas angustias plures è vulneratis deuenerunt : qui diuites erant,sibi vtcumque pro-

uiſerunt; nam conſutis ſtatim vulneribus, impoſito deſuper puluere tormentario, omnes euaſerunt; pauperes autem ab omnibus expellebantur, ne ſub eorum papilionibus morerentur; timebant enim experientia edocti, ne ab Arabum Rege omnium in deſerto morientium perpetuo hærede, eorum facultates ab ipſis extorquerentur: vnde vnus inter alios ab omnibus etiam amicis & cognatis repulſus, erumpentibus è vulnere viſceribus miſerum in modum animam exhalabat: ego & alij mei ſocij ipſum ſignis potius quàm verbis ſolabamur (Armenus enim erat, cuius linguam neſciebamus) nec alio modo ſuccurrere potuimus; cùm ſub directione vnius mercatoris procederemus: cùm tranſacta nocte diſcedendum eſſet, & miſer hic nondum expiraſſet, ab aliis Armenis, vt poſtea nobis relatum eſt, adhuc viuus ſepultus eſt; credentibus hoc magnum eſſe pietatis opus, ne à feris poſt diſceſſum noſtrum deuoraretur: reliqui vulnerati camelis impoſiti ſequebantur; nos quatuor Chriſtianis Armenis camelos & cunas, quibus vehebamur, vltro conceſſimus, non abſque graui incommodo; nam reliquum viæ Solis ardoribus expoſiti confecimus. Inde diſcedentes ſecunda die ad ruinas cuiuſdam Eccleſiæ venimus, vbi erat puteus aquæ dulcis, quæ rara eſt in deſerto, antequam ad fluuium Euphratem perueniatur: putei enim vt plurimùm aquam ſulphuream, & bituminoſam miniſtrant. Tertia verò die venimus Theibas, nunc oppidum, olim ciuitatem; vbi diem integrum ac dimidium ad paſcendos camelos fuimus cōmorati. Nobis hîc ſtantibus venit quidam Arabs nobilis ad Gubernatorem Damaſcenæ ciuitatis ab Arabum Rege deſtinatus: hîc aliquos vtres paruos, qui ſubtus ventrem equorum aqua pleni, ſuſpenduntur, vi rapuit; quod aliquos ſummè contriſtauit mercatores: hinc digreſſi, poſt duos dies tranſacta Rheiba ad fluuium Euphratem deuenimus, vbi iterum vno die paſcendo-

tum cauſa camelorum immorati vlteriùs proceſſimus eiuſdem fluuij littora legendo; vbi quadam die tantam reperimus ex inundâtis fluuij humiditate culicum multitudinem; vt, cùm excitatis circumquaque ignibus fumo expelli non poſſent, onuſtis iterum camelis diſcedere coacti fuerimus; plus nobis, & camelis eorum vexationem timentes, quàm duplicati itineris laborem. Cùm fluuius à recta via ſerpentinis gyris declinaret, vtres noſtros eius aquis plenos camelis deportandos,in vſum ſequentis diei imponebamus. Poſt decem circiter dies, tranſactis aliquot oppidis, ſuperatis arenarum periculoſis montibus, latronum inſidias euadentes ad Annam ciuitatem Arabiæ deſertæ præcipuam in vtraque Euphratis ripa ædificatam peruenimus,vbi per menſem ferè integrum commoramur inuiti: poſtquam enim vectigalia pro mercibus commiſſario à Rege deputato ſoluerunt mercatores,& iam ſe itineri præpararent, aduenit alius ab eodem Rege miſſus, qui merces & bona illorum, quos à latronibus interfectos diximus, ad regiam expoſceret vtilitatem:erant pauperrimi ſerui mercatorum, penè nihil habentes; ſed nullus erat, qui tale reſponſum referre præſumeret: vnde longo per plures dies inito conſilio, eligunt duos, Arabem vnum,Armenum alterum, qui oblato ducentorum nummorum munere, ſicque Regi pacato,rei & ſucceſſus totius veritatem enarrarent: in hac legatione plurimi dies præterierunt.

In ciuitate Anna reperimus alium mercatorum commeatum à Babylone Aleppum proficiſcentem, in quo duo erant Europei Chriſtiani: primus erat Gallus dictus Dominus Dormage Chirurgus, hic Arabico more indutus è Curia Regis Arabum veniebat, vbi infirmo Regi ſuis remediis ſalutem reſtituerat; & Aleppum vnde fuerat vocatus, redibat. Alter erat Germanus nomine Bernardus mercator; quadam die cum ipſis apud

diuitem Perſam mercatorem cœnauimus,hic Europeos officiis amicitiæ proſequebatur, vt Aleppi ab iiſdem Europeis ſimilia reciperet: finitâ cœnâ multa de ſua & noſtra lege diſſeruit Perſa, & finxit ſe mirari, quomodo lex noſtra tam malè de ipſorum Propheta Mahomet ſentiret; cùm è contra ipſorum lex tam benè de Chriſto Propheta noſtro loqueretur: cui non aliud reſpondimus; quàm Mahomet fuiſſe malum pſeudoprophetam, vnde non mirum ſi lex Chriſtianorum vera de eo malè ſentiat; Chriſtum verò fuiſſe ſanctiſſimum, & ita bonum; vt nullus, niſi peruerſus, de eo malè loqui præſumat: his auditis Perſa mirabundus ſiluit. Dum menſem integrum Annæ commoramur, intolerabiles ſuſtinuimus calores; in principio, tum recreationis, tum ſolatij cauſa montes vicinos conſcendebamus, vt purioris auræ frigiditatem captaremus; ſed ab aliis id facere prohibemur,ne in Arabum inſidias à commeatu ſeparati incidamus.

Multi iam mortui erant, vel viribus defecerant cameli: quapropter mercatores iter ſecundo flumine vſque ad Hellam ciuitatem proſequi decreuerant; ſed omnibus bene perpenſis ac ponderatis, priſtinum iter agendi modum reſumunt: quapropter Arabiam deſerentes, in alteram Euphratis ripam, mercibus, camelis, & aliis omnibus nauium miniſterio tranſuectis, Meſopotamiam ingredimur. Maximi iam vigebant calores; ſed fluminis ſuauiter præterlabentis recreatione, ac ſuaui aquarum illius potu, omnia non ſolùm tolerabilia, ſed & ſuauia videbantur.

Duodecim, quod ſupereſt itineris vſque Babylonem, diebus perfecimus: nobis cameli ſunt adempti; deerant enim ad merces deferendas, & eorum loco aſini ſubrogati. Semper littora Euphratis iam à dextris defluentis incedimus, plura ac maiora occurrunt oppida, occurrit etiam nobis campus bitumine è terræ viſceribus erumpente

pente plenus, quo vſi ſunt ædificatores turris Babel non longè inde diſtantis, quam vidimus ipſa die, qua Babylonem peruenimus; qua ciuitate ſummo mané ab Armenis perſpecta, feſtiuè exploſis ab omnibus catapultis ſalutatur: tribus vltimis diebus Euphrate relicto ad Tigris virentes ripas, palmis conſitas properamus. Vnde ſexto menſis Iulij circa meridiem ad nominatiſſimam Babylonem ſemidirutam peruenimus, ibíque vſque ad diem ſanctæ Mariæ Magdalenæ in hoſpitio Patrum Capucinorum commoramur, vbi continuis & intenſiſſimis Solis ardoribus exuſti, inquietos dies, & moleſtiſſimas noctes duximus. Quæ omnia, non ſolùm grauiſſima, ſed penè fuiſſent intolerabilia; niſi illorum Patrum noſtrorum hoſpitum charitate, beneuolentia, aliiſque modis fuiſſemus recreati.

Tot ibi manſimus dies; quia mercatores camelis relictis, aſſumptíſque ad iter proſequendum mulis, onera diuidere, ac ita leuiora & mulis proportionata efficere debuerant, & ſimul reales Hiſpanicos in monetam Perſicam tranſcudere ſiue tranſmutare coacti: quod ad magnum Gubernatoris Babylonis cedit emolumentum.



CAPVT VII.

De itinere à Babylone vſque Aſpahanum.

EXpediti mercatores, vigeſima tertia die menſis Iulij, ferè ad Solis occaſum Babylonem egreſſi versùs Perſidem proficiſcuntur: noctu autem ambulant, ne nimio Solis calore moleſtentur; cùm aliunde nullum ſit in Perſide periculum latronum; Rex enim Abbas ſuum à ſimili peſte regnum expurgauit; vt etiam omnes ad illorum perſecutionem & extinctionem animaret & cogeret, legem ſanciuit, vt ſi quis à latronibus exſpoliatus, vel interfectus fuiſſet, principaliores vrbis vel op-

pidi vicinioris incolæ rationem facti redderent, propter quod plures vbique viarum custodes, quos *Rhadar* vocant, adhibentur.

Prima igitur nocte, confectis ad minus viginti quinque milliaribus, (ob continuam planitiem & mulorum celeritatem plurimum itineris conficitur) peruenimus ad quoddam oppidum vbi est fluuius nomine Dialach, quem supra pontem nauibus innixum pertransiuimus: sequenti nocte venimus in aliud oppidum satis magnum, aquarum riuis abundans, multísque palmis consitum, vbi intolerabili æstu plurimùm afflicti, imò ad extremum vitæ periculum adducti fuimus; aliqui enim homines, imò & animalia, cùm manè bene valerent, illa die perierunt: nullus fuit, qui tunc ad manducandum aliquid igne præpararet, & vt verum fatear, credebamus illum esse vltimum nobis vitæ diem; continuus quippe sudor guttatim defluens, è fronte instar fontis ad terram vsque cadebat: quapropter multi ex nostro comitatu in illo remanserunt oppido, vt iterum Babylonem redirent. Tertia die venimus ad aliud oppidum, vbi riuus aquæ decurrit. Quartâ attingimus vltimos Caldeæ fines, vbi est oppidum, quod amne non ita magno præterlabente, irrigatur, supra quem Rex Persidis Abbas capta Babylone pontem ex coctis construxit lateribus; vt ita Caldæam Persidi hoc ponte vnitam sociaret. Quinta die venimus ad ingentes destructæ ruinas Elimaidis, circa quas riuulus aquæ, insalubris ob nimiam grauitatem, præterlabitur: ibi omnia confusa, soli distincti apparent aquæductus: paulò inde digressi peruenimus ad portas, vt vocant Persidis; est enim angustus intra duos montes præruptos aditus, ibíque præterlabitur fluuiolus, quem lapideo pertransiuimus ponte, statímque ad diffusam introgressi vallem, quam tota nocte incedentes transimus, & ad radices montis cuiusdam peruenimus. In illa valle, sicut & in aliis

aliis Perſidis regionibus, ſunt paſtores caſulas panno rudi confectas inhabitantes, qui ſæpe locum ob paſcuorum opportunitatem mutant.

Ad Solis occaſum montem aſcendimus, in cuius aſcenſu ſepulchrum magnificum cuiuſdam magni Principis, vt dicebatur, reperimus: tota nocte ſenſim deſcendentes montem, in quo; licèt media eſſet æſtas, plurimùm frigui: peruenimus ad aliud oppidum ad radices cuiuſdam rupis, ex qua riuulus aquæ promanat, conſtructum: illa die, qua ibidem manſimus, ſuſpenſus eſt homo, qui per illos montes diſcurrendo latrocinia exercens captus eſt: inde progreſſi poſt aliquot dies, quibus ſingulis vrbes aut oppida reperiebantur, venimus ad quendam locum, cui mons altiſſimus imminebat, ad cuius fundamentum erant hominum figuræ, aliáque in viuo ſculpta lapide: non longè inde quodam loco alteri ſubſtracto monti, ex qua maxima profluit aquarum copia, eſt quædam aula intra montem exciſa, vbi plurimæ ſtatuæ, aliáque artefacta viſu pulcherrima, fontibus vndequaque promanantibus conſpiciuntur. Hæc omnia eſſe Romanorum opera traditione communi iactatur: hæc ſunt in medio inter Babylonem & Aſpahanum tractu. Vltra progredientes, ac multas vrbes, & oppida prætereuntes quorum nomina ex inaduertentia non notaui; ſolâ enim vſus memoriâ hæc ſcribo. Decima nona Auguſti Aſpahanum Perſidis curiam, primarium noſtri terminum itineris fauſtè fœlicitérque peruenimus, vbi plurimis charitatis officiis, & manifeſta amoris ſignificatione à noſtris Patribus excepti, ab omni viarum labore & fatigatione recreamur.

Paucis diebus elapſis, ad nos venit venerabilis Armenorum Patriarcha Moyſes de fœlici aduentu nobis congratulaturus: cum quo variis colloquiis habitis, maximum eius in nos charitatis affectum animaduertimus; vale verò dicens determinato nobis die ad ſuum

nos

nos Conuentum inuitauit. Quadam igitur die Sabathi, quæ apud eos maximæ est venerationis, Chulfam Armenorum ciuitatem duobus circiter milliaribus Aspahano distantem pergimus, vbi & à Patriarcha, & ab eius religiosis, quæ viginti numero censentur, benignè collecti, paulò post in Ecclesiam introducimur solemnem missam audituri.

Adest Sacerdos sacris vestibus indutus, casula tamen ad instar pluuialis vtens, quam supra brachia ad ceremonias exercendas necesse est replicari, in capite habet birretum ad modum thiaræ Pontificiæ; non quidem coronis tribus, sed aliis laboribus ex auro & argento intertextis exornatum, in cuius summitate crux est paruula: huic assistit Diaconus solá alba & stola amictus, qui continuò à tergo Sacerdotis decantat; ipse verò Sacerdos identidem ad populum conuersus ipsum benedicit, tempore offertorij Altare, quod est in medio capellæ, oblata deferentes sacerdos & ministri processionaliter circumeunt: præter Diaconum autem sunt plures alij ministri; sunt enim duo, qui baculos præ manibus habent, in quorum summitate est platina argentea, plurimis ex omni parte tintinnabulis munita, quæ sæpe, maximè tempore offertorij & cõsecrationis super caput celebrantis concutiunt: sunt alij etiam, qui argentea præ manibus habẽtes cimbala, sonorè percutiunt: est denique alius cũ thuribulo; alij verò cantant, & organa tangunt.

Finitâ missâ, quæ ferè duas consumpsit horas, nos ad aulam ingressui monasterij proximam abducunt, vbi postquam aliquandiu mansimus, venientem conspicimus omnium religiosorum, aliorúmque plurium processionem, insigni cantorum & musicalium instrumentorum celebritate deuotam, quæ postquam ad nos peruenit, iterum retrogrediens, nósque assumens simul cum Patriarcha ad Ecclesiam reduxit: quò postquam accessimus, omnibus ad lauandos pedes præparatis,

iussit

Iussit nos Patriarcha sedere; ipse verò genuflexus nostros cœpit lauare pedes, aliis interim versiculos,& antiphonas cantantibus: his finitis ex aqua, qua loti eramus, circunstantem aspersit populum dicens, ni fallor, quàm speciosi pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona: denique plurimam supra capita nostra aquam rosaceam effudit,& ita deuota hæc charitatis & hospitalitatis ceremonia fuit terminata.

Paulò post nos ad suum introducentes refectorium, ad instar nostrorum constructum(cùm enim prius more omnium orientalium humi sedentes ederent: exemplo nostrorum Patrum tabulas ex vtraque parte, aliámque transuersam pro Superioribus adhibuerunt,, & Lectorem) simul pransimus hæc post benedictionem mensæ ceremonia obseruatur ; vt præses panem assumat, quem aliis omnibus offerendo quisque suam accipit partem: Et hoc pro nunc sufficiant, ad ipsos iterum reuertemur.

CAPVT VIII.

De meo exitu è Perside.

IAM nouem ab aduentu meo in Persidem effluxerant menses, quandò mihi discedendum esse intimatur: tunc enim Imperator Turcarum, ad recuperandum à Persis Babylonicum regnum,ingentem trecentorum,vt dicebatur, millium militum exercitum misit eo animo, vt vexatâ & destructâ Perside, transactis caloribus æstiuis in Chaldæam regionem calidissimam descenderet, eóque processit Turcarum exercitus,vt Amadam ciuitatem Aspahano itinere sex dierum solummodo distantem peruenerit, & destruxerit: sed in hoc perfidia & proditio Generalis exercitus Persici nomine Zenal Kan detecta, & morte plexa fuit. Cùm Persæ viribus, ac aperto marte pugnare non possint contra Turcas potentio

tentiores; illos tamen arte & fraudibus bellicis deuincunt; cùm enim aduentantem audiunt ingentem illum exercitum Turcarum, qui multitudine potiùs quàm industria, & valore pugnant, collecto suo exercitu, qui ad minus quinquaginta continet millia militum ei obuiam veniunt, & ita Turcis appropinquant; vt aliquandò vix itinere distent vnius diei, quo in loco sistunt, donec per exploratores exercitum Turcicum ad se moueri audiant: tunc enim & ipsi mouent, atque vrbem aut oppidum, in quo stabant, omninò destruunt, domos euertunt, & alia quæ asportari non possunt, igne consumunt; alimenta secum deferunt, aquas etiam veneno inficiunt; & ita adueniens tam ingens Turcarum exercitus, ac nullis in illo sic destructo loco pro militibus alimentis;. imò nec pascuis pro tanta equorum multitudine repertis, breui tempore, quam secum deferunt, prouisione consumptâ miserrimè fame pereunt; Persico interim exercitu ciborum copia ex vicinis vndique confluente prouinciis, lautè ac oppiparè conuiuante: & ita ingens ille exercitus equis etiam præ fame consumptis, penè dissipatus redire cogitur, quem Persæ insequentes viribus præstantes debilitatum adoriuntur, ac ita repetitis sæpe incursibus penitus exterminant, suâsque iterum populo redeunte reficiunt vrbes & oppida, quod facillimo fit negotio; domus enim vt in pluribus, non lapidibus, nec lateribus coctis, sed crudis tantummodò, aut simplici terra paleis mixta construuntur: vnde perfidia, vt dixi, & proditione Generalis Persarum vsque Amadam exercitus Turcarum aduenerat, ipsámque ciuitatem direptam, ac penitus dirutam solo æquauerat, quæ cùm Regi Persarum innotuissent, ipsum suum Generalem aggreditur, ac securi percussum propria confodit manu.

Si tunc exercitus Turcarum versus Aspaham properasset, facilè hanc ciuitatem Persidis curiam, omnibus

præ

præ timore confuſis aut fugientibus, cœpiſſet; totúmque regnum ea victoria diſſipaſſet: iam enim multi præparatos ad fugam habebant equos; alij autem Turcis nullo negotio ceſſiſſent: ſed Deo omnia mirabiliter diſponente (qui Turcam infenſiſſimum, ac inſolentiſſimum Chriſtiani nominis hoſtem tanta non vult creſcere potentia; propterea Perſarum Regem ad ipſum continuis bellis occupandum conſeruat) exercitus Turcarum non auſus procedere vltra, Babylonem petiit, ac obſeſſit; ſed poſt quadraginta circiter dierum obſidionem reſiſtentibus fortiter Perſis; quamuis deſtructo penè ciuitatis muro, ob inopiam ciborum penè diſſipatus re infecta diſceſſit.

Dum exercitus Turcarum Aſpahanum accederet, & imminentem ab inſolentibus ex parta penè victoria Turcis ruinam omnes formidarent, longo Patrum noſtrorum conſilio decretum eſt, vt aliqui religioſi inde in alias miſſionis domos tenderent, ne omnes ſimul religioſi (eramus quippe ſeptem) ruina ciuitatis implicarentur; cùm difficilè, imò impoſſibile eſſe iudicaretur, vt omnes in illis tumultibus latitarent; quod duobus aut tribus facilè fore credebatur: vnde miſſis ſortibus inter alios electus versùs Baſſaram accelerato itinere feſtino.

Decima nona menſis Maij Aſpahano diſcedens vigeſima nona Siras perueni, in itinere duæ vrbes & plura occurrunt oppida, vrbes ſunt Comcha & Maïn; oppida verò Aſpahaneq, Maiar,Madſudbeq, Annabat vbi plurimi & amœni ſunt horti, Aſtecas ſupra riuum vbi optimus panis inuenitur, Duguerdu, Gombet, Etala, vbi exigitur vectigal; Cuſcuſar, Aſpas vbi multi ſunt Chriſtiani ex Iberia tranſlati, Guion vbi eſt pulcherrimus hortus, ac domus campeſtris quondam Gubernatoris Siracenſis, Imonzadé vbi eſt locus deuotionis apud Perſas, qui ibi dicunt vnum

ex

ex ſuis Prophetis eſſe ſupultum, ibi eſt mons ſatis difficilis, poſt quem eſt vrbs Main, iuxta quam eſt fluuiolus: inde ad nouem milliaria eſt pons ex lateribus coctis ſupra quem fluuiolus traiicitur: deinde occurrit Deh-calenter, poſtremò Policour.

Poſtquam Siraſi in noſtra reſidentia manſi per quatuor dies, vlteriùs procedens octauo poſt diſceſſum die portum ſinus Perſici, nomine Bandel-regh, appuli; viæ hîc ſunt multum præ montibus & collibus arduæ, inuiæ, & vltimis tribus diebus inaquoſæ: ibi enim aquæ tantummodò ſalſæ, vel fœtidæ reperiuntur: poſtquam enim montes terminantur, occurrit vaſtiſſima planities, quæ vix duobus diebus percurri poteſt; hanc mediam præterlabitur fluuiolus, cuius aquæ inſalubres, ac ſalſæ ſitim non extingunt; bis in illa planitie traiicitur: poſtea peruenitur ad quoſdam puteos, vbi aqua præ limo fœtida eſt, ſed mihi ſitim dierum duorum ſuſtinenti ſuauis apparuit: inter Syras & illum portũ ſola vrbs Caſaron inuenitur, oppida pauca & contemnenda, plures paſtorum caſulæ portatiles. Secunda die vehemens mihi febris accidit, ſed poſt tres dies quibus Caſaron manſi (ibi enim erat domus illorum qui me deducebant) receſſit: ſuperata illa planitie portum prædictum peruenimus.

Bandel-regh eſt oppidum ſatis magnum, plurimis conſitum palmis, paucæ domus ſunt lapideæ, omnes ferè ex terra, arundinibus, & ramis palmarum conſtructæ: ibi ardentiſſimos, cùm tamen adhuc eſſet principium Iunij, ſuſtinuimus calores quatuor continuis diebus, quibus hîc morari coacti fuimus. Ibi erat quidam Gubernator noſtris infenſiſſimus; quidam enim ex noſtris Patribus arte ſubripuit ei quendam iuuenem Chriſtianum ex India oriundum, quem à lege Chriſti peruerſum ac in ſuam conuerſum plurimùm diligebat: ſed non mihi nocuit, quia non potuit; litteras enim patentes Regis

Perſidis,

Perfidis,& Gubernatoris Syracenfis mecum deferebam, quibus omnibus fub graui pœna iniungebatur, vt omnes liberum mihi tranfitum præberent,imò & honorem conferrent: quas cùm illi legendas obtuliffem, eas deofculatus capiti fecundùm morem patriæ fuperpofuit, & vni ex fuis præcepit feruis, vt mihi domum prouideret, nec inuifit quæ deferebam Balforam, fcilicet tapetem pro Ecclefia, & vinum pro miffis, nec pro illis debitum vectigal exolui.

Quatuor elapfis diebus, obtentâ difcedendi licentiâ, nauiculam ingredimur: fed illum tractum vno die profperis flantibus auris traiici folit um, ob aduerfos ventos, tempeftatéfque continuas vix viginti diebus magno labore, ac periculo confecimus: cùm enim pro fex tantummodò diebus aquam prouidiffent, nófque exiguum deferremus viaticum, ad illas fuimus redacti angustias, vt paucula aqua tantùm bis in die ardentiffimam fitim caloris æftu caufatam paululùm fubleuaremus, ac cepas, pifciculófque ficcos fine pane ad menfuram per multos dies comederemus.

Poftquam diù illa littora pedetentin circumlegimus, ad oftium tandem venimus Euphratis ac Tigris, admodùm hilares; quia labores iam finitos, pericula ceffaffe, & fami ac fiti citò prouidendum credebamus: fed ventis contrariis, tumentibúfque fluminis fluctibus integra die inter fluminis alueum fiftentes, ieiunium violentum prolongauimus, maximúmque incurrimus vitæ periculum: cum enim nautæ nauiculam littori alligaffent, ac omnes in terram exiliiffent, poft aliquod temporis fpatium ventorum impetu, ac tumentium perpeti concuffione fluctuum agitata foluitur nauicula, & verfus mare aquis ac vento præcipirata currit: nautæ prodeffe non poffunt, immenfæ quippe vndæ mortem minantur, fi fe illis ad nobis fuccurrendum committere præfumpferint; nos autem, qui in nauicu-

C la

la remanseramus, remos qua poteramus vi trahentes, nauiculam ad littus adducere conabamur; sed irritus reddebatur noster conatus, vndarum ex littore reflectentium impetu: vnde iam lassati, ac consilij inopes nauiculam vndarum discretioni reliqueramus: iam per leucam & amplius versùs mare præceps defluxerat, iámque ad ostium fluuij peruenerat, vastissimum nobis mare comparebat: quid agere, quò nos vertere nesciebamus, iam decreueram me aquis committere, vt antequam nauis ingrederetur mare, ripam non amplius quàm iactu lapidis distantem attingerem: sed omnes euidentissimum prædicebant naufragium, & hoc cum fundamento; si enim redeuntes fluctus à ripa nauiculam remis impulsam repellebant, quantò magis me ipsum repellerent: in hoc constituti periculo omne nostrum solatium & auxilium in Deo collocauimus; cùm desperatam vndique videremus salutem.

Cùm nos in altum mare iam iam deuoluendos crederemus, Domino fauente ac votis nostris obsecundante, incipit mare refluere nauémque nostram intra flumen repellere, quod à suo quiescens feruore locum dedit vni nautæ, vt ad nos accederet, & chordam qua nauis alligata erat, arriperet, eámque ad ripam deferret; & ita nautæ nauem attrahentes breui ingredi potuerunt: his factis antequam noctesceret, aliquantùm itineris confecimus, quandiu nobis fluxus maris poterat prodesse: quo finito ingruente iam nocte, missâ ad flumen anchorâ sistimus: dormiunt omnes, tota ipse nocte vigilo; præteriti siquidem periculo diei plurimùm exterritus, notato in fluminis ripa signo, maxima qua poteram diligentia prospiciebam continuò, vtrùm nauis sisteret, an impetu fluminis in mare raperetur.

Die sequenti prosperó flante vento aliquot milliaribus cofectis ad initium palmarum peruenimus; non enim, quo salsa maris reflexu fluminis peruenit aqua,

palmæ

palmæ naſcuntur; & ita donec viginti emenſa ſint intra flumen milliaria, ambæ eius ripæ penitus denudatæ cernuntur; poſtea verò mira palmarum amœnitate vireſcunt: tunc nauicula exeuntes ad vicinum pergimus oppidum, vt ibi nos tot tantíſque laboribus fatigatos, ac fame penè conſumptos tantillùm recrearemus; maximam ibi charitatis, vrbanitatis, & hoſpitalitatis ſpeciem apud Arabes reperimus; omnia quippe nobis neceſſaria abundè conceſsêre: inde ſoluentes ſequenti die ad aliud oppidum accedimus, ex quo erant aliqui qui nobiſcum è Perſide nauigauerant: ibi tota die ſiſtimus illorum fruentes humanitate, poſtea naui noſtra relicta exiguam admodùm nauiculam conducentes, contrario ſemper flante vento, quatuor aut quinque dies ad reliquum itineris vſque Baſſoram conficiendum inſumpſimus: cúmque iam proximè accederemus, duos è noſtris religioſis nobis obuiam procedentes offendimus, qui nos (tres enim eramus religioſi cum ſæculari) aſſumentes in ſuam nauiculam, & ea quæ deferebamus tranſportantes breui Baſſoram deducunt: & ita decima quinta Iulij, in vigilia ſcilicet Beatiſſimæ Virginis Mariæ de monte Carmelo, laborioſam noſtram peregrinationem terminamus, ac breui à laboribus illius eximiâ Patrum noſtrorum charitate recreamur: ibi ego per quindecim menſes linguæ Arabicæ ac Perſicæ addiſcendæ manſi occupatus.

CAPVT IX.

Profectio mea Indica.

IAM per quindecim ferè menſes in noſtra Baſſorenſi reſidentia, linguæ Arabicæ addiſcendæ manſeram occupatus; cùm ecce multiplicatis epiſtolis à noſtro Viſitatore generali in Indias Orientales ad Philoſophiam noſtris legendam religioſis fui euocatus: iam me

itineri siue nauigationi, tam sinus Persici, quàm Oceani Indici præparaueram.

Solent mercatores Lusitani duodecima, vel decima quinta circiter Octobris, post collectos palmarum fructus Bassora discedere: hoc anno scilicet millesimo sexcentesimo trigesimo primo coacti sunt accelerare profectionem: huius celeritatis causa fuit quidam iuuenis Lusitanus nomine Bartholomeus Correa, qui capto Ormusio adhuc puerulus in Persidem captiuus ductus est, & in domo Gubernatoris Syracensis Imongoli-Kan, tanquam puer eius honorarius educatus fuit: vnde multa eius consilia contra Lusitanos nouerat. Contigit vt ab ipso Gubernatore ad aliqua negotia Aüesam Bassoræ finitimam mitteretur, quò cùm peruenisset, oblatâ hâc sibi aufugiendi opportunitate, Christianæ legis amore compulsus Bassoram, qua potuit celeritate, venit; duósque Mahometanos iam ab ipso penè conuersos adduxit: eius fugâ cognitâ, statim è Perside aliqui ab eodem Gubernatore missi aduolant, vt eum aut viuum, aut mortuum reducant: dantur illis litteræ commendatitiæ ad Bassoræ Gubernatorem, vt illum iuuenem illis tradat: his receptis vocat Gubernator Patres nostros, quibus alioquin maximè est affectus, interrogat de iuuene, illum venire iubet, non audet Gubernator illum Patribus eripere, sed tamen ipso consentiente, dum venit, in media rapitur via; tristes recedunt Patres; non tamen se illum habituros desperant, adeunt alia vice Gubernatorem secum ducentes Lusitanum mercatorem grauissimum, eíque Indica munera offerunt iuxta morem patriæ, non enim vacuis manibus accedendum est: his placatus iuxta antiquum illud proloquium:

Munera placànt homines, Deósque.

Patrúmque rationibus suasus, iussit iterum iuuenem ad nostram deuenire potestatem. Hic ergo iuuenis, vt ad

ad rem veniamus, nobis manifeſtauerat Gubernatorem Syraſenſem miſiſſe epiſtolas Gubernatori Baſſorenſi, quibus eum rogabat vt claſſem Luſitanorum viginti quinque nauibus compoſitam ſibi traderet, aſſeuerans ſe hac conditione ei pacem daturum: Perſæ quippe exiguas tantùm, nec pugnæ idoneas habent naues. Cùm Luſitani mercatores hæc audiuiſſent, & plures è Perſide aduentantes cernerent, cœperunt ſuis ſtatim conſulere negotiis: vnde ex illo fluuiolo qui à flumine Euphrate Baſſoram tendit, ſuas naues educentes, eas in fluuio magno collocant, ipsáſque magna cuſtodiunt vigilantia, eâ quâ poſſunt diligentiâ expediunt negotia, & naues dactilis onerant; ſicque quartâ Octobris ſecundo flumine deſcendentes ad principium ſinus Perſici omnes conueniunt, ac poſt duos dies proſpero flante vento carbaſa pandunt.

Quinto nauigationis die conuenimus ad locum, vbi nullo flante vento tumentes ſæuiebant vndæ, quæ naues tranſuerſas maximè vexabant, ac penè funditus vertebant, & hoc tanto impetu, vt arbor nauis inclinata multùm hinc inde ad aquam accederet: fuit apud omnes magnus naufragij metus; timebant enim, ne illius commotionis vi & impetu naues in duas partes fractæ ſubmergerentur: diu ſic fluctuauimus, naues aliquid detrimenti paſſæ ſunt; ſed Dominus noſtri miſertus ventum miſit proſperum nobis, etiam aliquem contrarium expetentibus.

Die ſequenti occurrit nobis claſſis Luſitanorum militaris propè inſulam Laram; ibi enim inuigilabant, ne ex portu Nichilu nauiculæ piſcandis gemmis deſtinatæ egrederentur: vnde illis præuiis inſulas Cais & Piloro prætereuntes, ſecunda die ad portum Congo venimus, ibíque per aliquot ſiſtimus dies, vt nouas merces naui imponeremus, quibus aſſumptis diſcedentes, & inſulas Angan, Quexomis, & Ormuſium

circumlegentes breui Maſcatum peruenimus.

Soluunt mercatores vectigal Maſcati, ibíque aliquandiu ſolent remanere; donec aliæ naues ex portu Catifæ veniant, ac ſic omnes ſimul vnitæ propter piratas in Indiam proficiſcantur: quatuor tamen nauibus licentia diſcedendi, aliáſque præcedendi conceſſa eſt: cùm enim eſſent equis onuſtæ, ad illorum alimentum multùm expendebant. Vnam ex illis aſcendens Maſcato diſceſſi, tribus primis diebus paulatim procedentes ad initium ſinus Perſici venimus, vbi ſub veſperam flante meridionali vento nobis contrario tempeſtas ſuſcitatur: ſed nauarcho maximè perito nauem moderante, vix ſenſimus tempeſtatem: aliæ naues hinc inde diſperſæ plurimùm laborarunt; vni ex illis arbor ex ventorum impetu fracta eſt, vnde ad portum Guadil reſarciendi causâ receſſit; alia penè fuit ſubmerſa, & ita ſe vento adaptans in contrariam viam ferebatur. Die illuceſcente duæ tantùm naues vnitæ remanſerunt: vnde ſimul procedentes ad Indiæ littora peruenimus, quæ circumlegentes ciuitatem Diuienſem appellimus. Eſt ciuitas ſatis magna in duas partes diuiſa; in vna quidem Luſitani ciuitatis Domini, in interiori alia gentiles ibi ſuos ritus exercentes habitant; hac enim conditione ciuitatem Luſitanis vltro tradiderunt: eſt pulchris exornata domibus, conſtituta in inſula ad ſex milliaria longa, in ea eſt caſtrum munitiſſimum, ac penè inexpugnabile; magnam eius partem circuit mare; duplici muro valido, duplicíque foſſa vallatur; intus ſunt plures domus ac Eccleſiæ, vnde belli tempore ſe omnes Luſitani facilè intus colligere poſſunt: inde quotannis plures naues versùs Mecam nauigant merces Indicas, vt telas ſubtiliſſimas, & aromata deferentes,

Anno præcedenti fames horribilis Indias penè conſumpſerat, homines ad varias tranſmigrationes compulerat, præſertim iuxta ciuitates maritimas; ſed tantæ

inco

incolarum ac aduenarum multitudini alimenta non sufficiebant; vnde per compita, per vicos ciuitatis, & plateas homines miseranda fame enecati iacebant, eóque calamitas deuenerat, vt cadauera mortuorum non sepelirentur; ac proinde omnia erant horrore ac fœtore plena. Quando ciuitatem Diuiensem appuli, adhuc crania & ossa mortuorum in ipsis vicis reperiebantur, & cibi carissimo adhuc pretio vendebantur: licèt fames ex vna parte Lusitanis nocuerit; plurimùm tamen ex alia parte profecit: decreuerat enim magnus Mogor Indiarum Imperator obsidere hanc ciuitatem, iámque turbas militum ad eam destinauerat, sed omnes hac fame perierunt.

Postquam aliquot diebus hîc in nostro mansi Conuentu, oblata nauigandi occasione, iterum me mari committo, ac breui illas centum leucas confecimus, quæ inter ciuitates Goënsem, & Diuiensem numerantur: vnde in vigilia Sancti Andreæ Apostoli sub vesperam portum Goënsem, vltimum itineris mei terminum, appulimus E naui ego & alij exeuntes ad ciuitatem inde tribus leucis distantem properamus paruâ delati nauiculâ, media nocte peruenimus; & sic in domo eius, qui nos deduxerat, vsque ad matutinum tempus quiescimus: summo manè ad nostrum Conuentum accedo, ibi per octo annos continuos mansurus.



LIBER SECVNDVS ITINERARII

In quo

Plura Orientis Imperia, Regna, & Prouinciæ deſcribuntur.

CAPVT PRIMVM.

De Imperio Turcarum.

MAXIMVM Turcarum Imperium hîc leuiter deſcribendum, ad tres orbis antiqui partes dilatatur; ac plurima, & florentiſſima continet regna, innumeráſque propemodum ciuitates: ſedes illius ſæpe mutata, tandem in nobiliſſima ciuitate Conſtantinopoli in Græcia, in medio maris albi & nigri ſita, fixáque fuit.

Hoc Imperium magnam partem Europæ, maiorem Africæ, & maximam Aſiæ continet: integrum volumen ad exactam ſui deſcriptionem exigeret; ſed paucis illud in præſenti delineabo, cùm enim aliqua eius regna ſim deſcripturus, de ipſo priùs agere in communi neceſſarium duxi.

Turcarum Imperio principium dedit Mahometh Arabs,

Arabs, sæculo septimo à natiuitate Christi decurrente: hic vili stemmate natus; imò seruus Abdemonaplis Arabis fuit; erat ignarus, sed valde astutus; vnde sic dominæ suæ Cadigæ captiuauit amorem, vt mortuo, marito eam habuerit vxorem, & ipsius decedentis hæres vniuersalis institutus fuerit. Iam diuitiis potens ad regnum aspirat, quod cùm nec iure, nec vi posset arripere, dolo & ficta sanctitate, communi obtinet applausu; se fingit Prophetam, raptus, cœlitum visiones & colloquia, ac triumphalem supra Borac in paradisum sui ingressum simulat. Suasionibus Bayras Iacobitæ & Sergij monachi plures hæreses seminat; maximè contra Christi Domini diuinitatem, successor Arrij, & præcursor Antichristi factus. Vt eius impostura Christianis, & Iudæis plausibilior appareret, suum legis Alcoranum partim ex Euangelio, partim ex veteri Testamento pluribus admixtis fabulis composuit, aliquos ritus Christianos, alios Iudaicos admittens: Moysem fatetur Dei Legislatorem, Christum Dei Prophetam eiusdem legis reformatorem, seipsum tandem vltimum diuinæ legis instauratorem gloriatur: legem ipsam terroribus, & minis à Moyse promulgatam, miraculis & mansuetudine à Christo reformatam, pœnis & gladio iactat à se instauratam.

Exurgens hoc Imperium, aliquandiu limitibus Arabiæ coërcitum, postea ad Caldæam & Persidem dilatatum, tandem maximam partem Asiæ, Africæ, & Europæ sub diuersis Regibus & Imperatoribus inuasit, vt libro quarto capite sexto sigillatim expendetur.

In Europa totam continet Græciam in plura regna siue Prouincias diuisam, videlicet Achaiam, Peloponnesum siue Moream, Epirum, Macedoniam, & Thraciam cuius caput est Constantinopolis, vbi suorum sedem habet Imperatorum, cùm priùs in pluribus aliis ciuitatibus & nouissimè Adrianopoli in eadem Græcia

 fixisset:

fixiſſet: plures, antiquas, diuites, & pulcherrimas in Græcia poſſidet ciuitates omnibus notas: inſuper poſſidet Illirium ſiue Sclauoniam, Boſniam, Seruiam, Bulgariam, Tauricam Cherſoneſum; & magnam partem Croaciæ, & maximam Pannoniæ, in eáque præcipuas ciuitates Budam, Albam Regalem, Belgradum & alias: Tributarios autem habet Principes Tranſſiluaniæ, Moldauiæ, Valaquiæ, ac Rempublicam Epidauri, vulgò *Raguſe.*

In Aſia multò plura continet regna, & primò totam Aſiam minorem in ampliſſimas Naatoliæ & Caramaniæ Prouincias, ſiue regna maxima diuiſam: nominatas & antiquas continentem ciuitates Trebiſundam ad mare nigrum, Smirnam, Troiam, & alias ad Archipelagum, Cæſaream, Capadocum, Niceam, nunc dictam Eſnich, ex Niceno Concilio celeberrimam, & alias complures; vltra versùs Orientem, continet Regnum Syriæ nobiliſſimum, in eóque celeberrimas ciuitates Damaſcum, Anthiochiam, Aleppum, Aman, Tortoſam, ſiue Orthoſiam, Tripolim, Beritum, Sidonem, Tyrium, Ptolemaidam, aliáſque multas: ad Syriæ Septentrionem continet Meſopotamiam, & in ipſa ciuitates Niniuem nunc dictam Muſſul, Diarbequir, Orpham, olim Vr patriam Abrahæ, & alias: deinde partem Armeniæ, & in ipſa ciuitates Arzerum, Van, Bethlis, & alias: continet præterea Caldæam, & in ipſa celeberrimam ciuitatem Babylonem, quondam Turcici caput Imperij, nunc dictam Bagded, Hellam, & alias: item continet Arabiam fœlicem, & in ipſa plurimas ciuitates; ad mare rubrum Meccham Pſeudoprophetæ Mahometis patriam, Medinam eius ſepulchro apud ipſos glorioſam, Aden, Iudam, Sues; & ad ſinum Perſicum Baſſoram, Laſſam, Catiſam, Barem, & alias ſaltem tributarias: tandem continet Palæſtinam nobiliſſimam orbis terrarum portionem, & in ipſa plures celeberrimas, ſed penè

deſtru

destructas ciuitates Hierusalem, Nazareth, Bethleem, Hebron, Sefet, & alias.

In Africa denique multa etiam regna continet, videlicet Ægyptum, & in ipsa vastissimam ciuitatem Memphim, nunc vulgò *le grand Caire*, Alexandriam adhuc suo portu celebrem, quamuis antiquam gloriam suis ruinis deflentem, Tamiatam, Roxetum, & alias: item Lybiam, & Nubiam: item regnum Carthaginense, à Metropoli dictum de Tunez: item regna Tripolis, & Algezirarum, aliáque plura; quæ vel ditioni, vel saltem deuotioni ipsius subduntur, vt sunt regna Marrocco, & Fez.

Præterea continet penè omnes insulas Orientales maris Mediterranei, vt Cyprum, Rhodum, & alias in toto mari dispersas.

CAPVT II.

Descriptio Terræ Sanctæ.

HÆc Mundi prouincia, quam Terram Sanctam, nominamus, pluribus aliis nominibus insignitur; olim dicta est Terra Chanaam, deinde Terra promissionis, quia fuit à Deo promissa Abrahæ: item Palæstina, Iudæa, & aliis: sed nunc communiùs Terra-Sancta, & meritò nominatur, tum quia patria fuit Christi Domini, Sanctissimæ Virginis Mariæ, omnium Sanctorum antiqui Testamenti, Patriarcharum, Prophetarum, item præcipuorum noui Testaméti, qui tempora Christi attigerunt, vt Sancti Ioseph, Sancti Ioannis Baptistæ præcursoris, Apostolorum, & aliorum innumerabilium; quia etiam fuit locus, in quo salus humani generis reparata fuit; & in quo tanquam in Sanctuario, redemptionis nostræ monumenta conseruantur, videlicet in Nazareth Incarnationis, in Bethleem Natiuitatis, in Hierusalem Passionis, Sepulturæ, & Resurre

ſurrectionis , & alibi alia Chriſti veſtigia.

Habet Terra Sancta ſuos limites ab Oriente Iordanem , ab Occidente mare Mediterraneum , à Septentrione regnum Syriæ, ab Auſtro deſertum Pharan , & Ægyptum : eius longitudo à Dan ciuitate ſita ad radices Libani (quæ poſtea Cæſarea Philippi & Paneas dicta eſt) vſque Berſabee ciuitatem Tribus Simeonis, ad Auſtrum ſitam, continet ſexaginta ſeptem leucas:latitudo verò à Iordane vſque ad mare Mediterraneum continet ſexdecim , vel octodecim. Fuit prima portio Terræ habitata : nam ſi traditioni ſatis receptæ credamus , Adam primus parens in campo Damaſceno prope Hebron conditus fuit cum Eua : & licèt in Paradiſum terreſtrem tranſlati fuerint ; tamen propter peccatum ab eodem mox expulſi , ad priſtinum originis locum tandem redierunt , ibíque morientes ſepulti ſunt, in monte ſcilicet Caluario,vbi Chriſtus Dominus Cruci affixus eiuſdem primi parentis peccatum effuſo ſanguine diluit. Poſt mortem eorum , filij Seth ſuccedentes hanc vſque ad diluuium incoluerunt : & poſt diluuium Chanaa filius Chan , nepos Noë eius fuit incola, ab eóque denominationem accepit ; quam multis ſæculis conſeruauit.

Quando Sanctus Abraham Patriarcha ex Vr Caldæorum diuino mandato receſſit , & in hanc regionem profectus Hebron incoluit , tota regio pluribus diuiſa Regulis ſubiacebat, inter quos & bella ſæuiebant : legitur enim Geneſis 14. quòd Amraphel , Rex Sennaar, & Arioch Rex Ponti , & Chodorlahomor Rex Clamitarum , & Thadal Rex gentium inirent bellum contra Bara Regem Sodomorum , & contra Berſa Regem Gomorræ , & contra Sennaab Regem Adamæ , & contra Semeber Regem Seboim, contráque Regem Balæ, ipſa eſt Segor.

Sed nobilior cunctis erat Rex Salem , quæ poſtea dicta

dicta est Hierusalem, venerabilis senex & Sacerdos Domini Melchisedech, quem aliqui dicunt esse Sem filium Noë: hic panem & vinum in Sacrificium offerens in figuram Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti, Abrahæ de prælio reuertenti & gloriosè triumphanti benedixit: tunc Terra illa vocabatur Chanaam, quam incolebant Chananei, Ethei, Gebusei, Gergesei, & alij populi.

Dum ibi commoratur, tanquam aduena & peregrinus, Sanctus Patriarcha, in præmium suæ fidelitatis & obedientiæ, prædictionem immensæ posteritatis suæ, ex qua Christus nasceretur; & promissionem Terræ illius in hæreditatem filiorum accipit: tunc quatuor illæ nefandæ ciuitates Sodoma, Gomorra, Seboin, & Adama cœlesti igne in pœnam scelerum concremantur.

Huic Sancto Patriarchæ succedit filius Isaac, & nepos Iacob; qui duodecim habuit filios; videlicet ex Lia vxore Ruben, Simeon, Leui, Iudam, Issachar, & Zabulon: ex Rachele item vxore habuit Ioseph & Benjamin: ex Bala famula Rachelis, Dan, & Neththali: & ex Zelpha ancilla Liæ, Gad, & Azer; insuper habuit filiam ex Lia nomine Dinam: cùm autem Iacob præ cæteris filiis Ioseph amplius diligeret, eius ruinæ motiuum, sed simul gloriæ occasionem dedit; nam à fratribus venditus in Ægyptum ducitur, vbi post multos labores in præmium inchoatum suæ humiliationis & Sanctitatis, ad totius Ægypti sub Rege dominium eleuatur: tunc patri & fratribus cum paruulis ipsorum ad se vocatis, concessit terram Gessem, pascendis pecoribus opportunam: verùm mortuo Ioseph ingrati Ægyptij eius nepotes dirè vexantes exterminare volebant; sed Deus recordatus fœderis cum Abraham patre ipsorum initi, Moysem misit, qui eos ex dira seruitute liberans, inauditis prodigiis, & Ægyptiorum pœnis ex

illis finibus eduxit, & tandem post quadraginta peregrinationis in desertis annos, ad terminos Terræ promissæ perduxit, quos Iosuë successor eius iisdem penè prodigiis Chananeos superans illuc introduxit.

Ad mandatum Domini in duodecim partes diuisa, cuique Tribui sua portio cessit. In continente Arabum trans Iordanem, & ad eius ripas consederunt Tribus Ruben ad Austrum, dimidia Tribus Manasses ad Aquilonem, & media inter vtramque Tribus Gad: Citra Iordanem verò omnes aliæ suam fixere sedem, & quælibet portionem sibi sorte datam possessit. Hæc autem distributio ex Iosepho lib. 5. antiquitatum Iudaïcarum cap. 1. sic facta fuisse describitur, Tribui Iudæ obuenit tota superior Iudæa pertingens vsque Hierosolymam; latitudo verò eius Sodomiticum lacum attingebat: in hac sorte vrbes erant Ascalon & Gaza (has duas vrbes in Tribu Simeonis collocat Adricomius) Secundo loco Simeonis sortita est Idumeæ partem Ægypto, & Arabiæ conterminam. Benjamitæ deinde regionem sortiti sunt, quæ à Iordane amne vsque ad mare protenditur, latitudo verò eius patet Hierosolyma inter & Bethela; angustissima autem hæc sors fuit propter agri bonitatem Hierosolyma enim & Hierichuntem acceperunt. Ephræmi autem Tribus terram à Iordane vsque ad Gadara in longum protensam sortita est, in latum patentem à Bethelis vsque ad magnum campum. Manassetidis item dimidia pars agrum à Iordane vsque ad Dora vrbem latitudine vsque ad Bethsana, quæ nunc Scythopolis vocatur. Post hos Isacharis in longum patentem à flumine vsque ad Carmelum montem, latitudinis verò mons Itabyrius fuit terminus. Zabulonitæ vsque ad Genesaritem lacum terram Carmelo & mari contiguam sunt sortiti. Quæ autem regio post Carmelum sita est, conuallis ex re nomen habens, tota Asseritis cessit, quà ad Sidonem est obuersa: in hac portio-

ne

ne fuit vrbs Arce, alio nomine Actipus. Quæ verò ad Orientem spectant vsque ad Damascum vrbem, & superior Galilæa Neththalitis obtigit vsque ad Libanum montem, & Iordanis fontes, qui ex hoc monte oriuntur, qua fines sunt Arces vrbis versùs Septentriones sitæ. Porrò Danitæ adepti sunt quicquid vallis ad occidentem solem vergit Azoto & Doris terminati: horum est Iamnia tota & Gitta, & totus ager, qui ab Accarone pertingit vsque ad montem à quo Iudæ Tribus initium fecit.

In tres principales prouincias tota hæc regio diuidebatur; videlicet in Iudæam quæ partem Australem occupabat; in Galilæam Septentrionali in parte sitam; & in Samariam inter alias mediam: hæ singulæ in alias minores prouincias, videlicet Iturcæ, Traconitidis, Abilinæ & similes subdiuidebantur.

Plures olim & inclitas continebat ciuitates, prima, aliarum Princeps, & Regia fuit Hierusalem triplici circundata muro, altissimis decorata turribus, Regis throno, & summi Pontificis sede nobilis, ædificiorum majestate conspicua, templi Salomonis gloria celebris; nunc ruinis plena antiquum deflet honorem, penitúsque deserta maneret; nisi redemptionis humanæ monumenta conseruans, Christianorum illuc deuotionis causa proficiscentium frequentia repleretur. Secunda fuit item Regia ciuitas Samaria, quæ in Tribu Ephraïn sita, diuiso Iudaico regno, Regum Israël curia multis extitit annis. Fuit ciuitas Hierico amœnissima, ad Iordanis ripas declinans. Fuit Hebron sancti Abrahæ, & aliorum Patriarcharum habitatione, & sepultura celebris. Fuit Bethulia à sanctæ Iudith mansione & cæde Holofernis nominata. Fuit Cæsarea Palæstinæ amplissima, Centurionis conuersione nobilitata. Fuerunt & aliæ ad littus maris Mediterranei consequentes ciuitates, videlicet Ioppe, Accaron, Geth prope quam Cete

Ionam

Ionam euomuit, Afcalon, Azotus, & Gaza. Fuerunt tandem ad mare Galileæ Tiberias, Bethfaida fanctorum Apoftolorum Petri, Andreæ,Ioannis, Iacobi, & Philippi patria, Corozain, Capharnaum, & aliæ cum infinitis oppidis & pagis : fed hæ omnes ciuitates vix, vbi fuerint, fuis apparent veftigiis ; folæ aliquæ vt Nazareth, & Bethleem ob fanctuaria, quæ continent, diuina prouidentia conferuantur; illa enim, quia patria Chrifti Iefu, Mariæ, Iofeph, & Ioachim ; hæc verò, quia locus natiuitatis Chrifti fuit, æternam merentur durationem.

Quantùm ab antiqua illa decidit gloria,quotidie vident, qui ibi peregrinantur ; in Galilea vltra Nazareth penè deftructam, vix duo oppida in mea peregrinatione reperi, fcilicet Sefori, & Debora ; in campo magno Efdrelon vrbes folo nomine,fed reipfa pagos Genim,& Naim à monte Thabor confpexi ; ita vt honorabile defertum appareat : vnde quàm mutata eft ab illa Palæftina, quam facri codices innumeris vrbibus, & oppidis plenam, populis adinftar arenæ maris multiplicatis habitatam, omnium abundantia rerum diuitem, gloriofam, florentem, & velut Paradifum Dei defcribunt.

Montes habet plurimos, & in facris litteris celeberrimos: habet prope Hierufalem interiecta valle Iofaphat montem Oliueti Chrifti Domini ad cœlos afcendentis, fignatum veftigiis : habet montes Ephraim, & Samariæ: montem Gelboë ob ruinam & mortem Saül Regis & Ionathæ immenfis Dauidis Prophetæ lachrymis deploratum, & imprecationibus maledictum : habet montem Hermon, proximúmque montem Thabor Chrifti transfigurati gloria refulgentem ; habet montem Bethulio, proximúmque alium in quo Chriftus Dominus fuis difcipulis beatitudines prædicauit: habet inclitum noftrum Carmelum, toties in fcripturis decantatum, tot Sanctorum ordinis noftri eremitarum,

habitacu

habitaculum : habet tandem intra muros Hierusalem alios sanctiores, toties à Christo visitatos, montem Moria in quo templum Salomonis eminebat, montem Sion vltima Christi cœna, & Spiritus sancti aduentu consecratum ; & Sacratissimum Caluariæ montem ex sacratissima Christi è cruce pendentis morte lugentẽ & gloriosa eiusdem resurrectione triumphantem.

Quamuis Iudæi triplici captiuitate in scelerum suorum, & maximè idololatriæ pœnam mulctati ad Assyrios à Nabuchodonosor translati fuerint, elapso tamen pœnæ tempore, post septuaginta annos, sub Cyro Persarum Monarcha reditum ad suam patriam inchoarunt, & breui sub Dario compleuerunt : ibíque, cùm ante sub Iudicibus & Regibus permansissent, vsque ad Vespasianum & Titum Romanos imperatores sub Principibus perseuerarunt : tunc enim in pœnam execrandi sacrilegij in morte Saluatoris commissi, flammâ, ferróque deleta patria, per orbem disperguntur, vt vilissima venduntur mancipia, & nunquam redituri in patriam, vbique aduenæ & quasi peregrini, sine lege, sine Rege, sine templo & sacrificijs viuentes, ab omnibus diuexantur : tunc terra illa Christianis primò per multa sæcula, deinde Saracenis subiicitur iterum sub Godefredo Bullioneo Christianis Principibus restituta, nec vno sæculo floret : sed tandem sub Saladino Ægypti Calipha deuictis & pulsis christianis, Mahometanorum legibus tirannicè subacta, suam deflet captiuitatem & miseriam.

Non alium habet Palestina fluuium præter Iordanem, qui eam ab Arabia diuidit, totámque à Septemtrione ad Austrum decurrens exhilarat ; plures autem habet fluuiolos, siue torrentes, scilicet Arnon qui eodem pene cursu ac Iordanis directus, Tribus Gad, & Ruben tràns Iordanem positas suis aquis fœcundat Torrens Cisson, qui mediũ percurrens campum Esdrelõ, partim in mare Mediterraneum, partim in mare Galileæ

D decur

decurrit; hic in ſacris litteris eſt celeberrimus: Torrens Carith, qui ſanctum Eliam Patriarcham noſtrum tempore ſiccitatis potando, nomen æternum meruit: Torrens Cedron in valle Ioſaphat inter montes Oliueti & Sion decurrens: Torrens Ægypti meridionalis Palæſtinæ terminus, Beſor, Sorec, & alij.

Fructus eoſdem profert, quos noſtra Europa; ſed iuxta mare mortuum ad perpetuam diuinæ vindictæ memoriam, quæ in nefandi pœnam ſceleris quatuor illas Ciuitates igne conſumpſit, poma naſcuntur extrinſecus pulchra viſu, noſtríſque ſimillima; intrinſecus autem ſolam putredinem continentia, in cineres & fauillas diſſoluuntur.

Terram ſanctam multi, tam ſancti Patres, quàm alij ſcriptores diffusè deſcripſerunt, vt Ioſephus Adricomius & alij: ſed hæc pauca ex multis decripſiſſe, ad aliqualem eius notitiam, ſufficiat.

CAPVT III.

Deſcriptio Regni Siriæ.

SIriæ Regnum olim nobiliſſimum fuit; iam à primæua decidit gloria. Turca enim venit in mundum, vt deſtruat mundum, quod ex pluribus huius Regni maximis ciuitatibus deſtructis apparet: huius rei cauſam ſuperius attulimus. Reges Syriæ olim fuère potentiſſimi, vt ex ſacris conſtat literis, aliíſque circum dominati ſunt Regnis.

Syria ab Oriente terminatur fluuio Euphrate & Arabia deſerta, ab Occidente mari Mediterraneo, à Septentrione monte Aman ſiue Aſia minori, à Meridie verò Paleſtinâ. Duodecim circiter diebus in longitudinem percurritur, duobus verò in latitudinem; multas vaſtas & amœnas habet planities, multos etiam & aſperrimos, præſertim iuxta mare continet montes. Terra ex ſe fœ-

cunda eſt; ſed plurimùm ob incolarum defectum deſerta, & ſolùm culta circa Ciuitates; fructus eoſdem, quos Europa gignit.

Præter Euphratem ſuum orientalem terminum, nullos præter Orontem fluuios; multos verò habet fluuiolos. Orontes prope Libanum naſcitur, & à Meridie in Septentrionem decurrit, in ſuo curſu Ciuitates Aman & Anthiochiam luſtrat, ac in mare Mediterraneum, iam multis auctus fluuiolis, riuuliſque confluit: valde anguſtus, ſed profundus eſt. Aleppi eſt fluuiolus nomine Cingus. Damaſci ſunt duo Farſar & Abana quondam denominati, vt ex libris Regum habetur: à parte orientali ac meridionali Libani ſcaturiũt fluuioli Ior & Dan, qui ſimul confluentes Iordanem efficiunt, qui Syriæ terminis egreſſus, ac in Auſtrũ procurrens Palæſtinā ab Arabia diſcriminat, in ſuo curſu mare Galileæ præterfluens, in mare mortuum decurrit ibíque terminatus emoritur.

Aliquas habet & pulchras ciuitates; non tam induſtria Turcarum, quàm mercatorum aduolantium commercio celebres. Prima dignitate eſt Damaſcus ciuitas magna & amœniſſima, quondam Syrorum curia Regum, hortorum multitudine ac fœcunditate abundans: In ea patet locus vbi ſanctus Paulus Apoſtolus ab Anania baptizatus traditur, nec multò longè à ciuitate locus demonſtratur, in quo ei Chriſtus apparuit, ac ex perſecutore Chriſtianorum, ſuum effecit Apoſtolum, in vas electionis conuerſum.

Secunda Ciuitas eſt Antiochia, vulgò dicta Antachia, olim verò Reblata, partim in decliui montis, partim in plano poſita, habens intra muros duos montes, in quorum altiori deſtructũm apparet Caſtellum: muri eius ex quadro lapide conſtructi, quadraginta ſeptem turribus quadris ornati adhuc perſeuerant; intus autem omnia pene deſtructa, plena ruinis & hortis: eſt pons lapideus ſupra Orentem fluuium, extra muros eius defluen-

tem: ad hanc ciuitatem Syriæ curia ſæpe tranſlata fuit; in ea primò fideles denominati ſunt Chriſtiani. Ibi prima D. Petri Apoſtolorum Principis & Vicarij Chriſti ſedes extitit, nunc Patriarchatus dignitate fulget.

Tertia eſt Ciuitas Aleppi olim dicta Bœrca, quæ omnes alias diuitiis & maieſtate præcellit; eſt maxima; dicitur enim habere viginti ſex mille domos, trecenta templa inter quæ ſunt ſeptem præcipua plumbo tecta: circuitus murorũ ad ſex milliaria diffunditur, qui duodecim portis,& tribus ſubvrbiis habitatis vt plurimùm à Chriſtianis decorantur. Caſtellum eius maximum à Ioab Duce Regis Dauid, vt dicitur, fundatum; quaſi in media Ciuitate prominet in rupe cincta foſſis aqua plenis. Hæc Ciuitas eſt celeberrimum Orientis emporium: ibi enim plurimi mercatores Europei, Galli videlicet, Angli, Veneti, & Barau: ſimiliter & orientales, videlicet Turcæ,Græci,& Armeni præſertim qui quotannis è Perſide venientes immenſam Serici copiam, aliáſque merces afferunt. Prope templa multæ ſunt turres rotundæ ſatis excelſæ, ex quibus clamantes aliqui ad hoc deputati alios ad orationem determinatis horis inuitãt; campanarum enim vſum abhorrent:hæ turres mirabiliter ciuitatem exornant. Domus vt plurimùm ſunt lapideæ, & pulchriores quàm viderim in omni Turcarum ditione. In hac ciuitate ſunt duo monaſteria religioſorum Mahometicæ legis,in quarum vna præcipuum obſeruantiæ & religionis dogma viget in exercendis choreis extatico quodam modo.

Quarta eſt Ciuitas Aman,olim dicta Apamen, ſupra Orontem fluuiũ nunc magna ex parte deſtructa olim vt apparet fuit pulcherrima & munitiſſima:mænia quippe ex lapidibus albis & nigris mixta, caſtrum verò ſupra collem dirutũ comparet: eſt cincta collibus,ac in fundo collocata, quãuis mœnia ſupra colles emineãt:hæ Ciuitates ſicut & aliæ ſed minores in medio Regni ſitæ ſunt.

In parte maritima,quæ partim Phænicia dicitur,plures & antiquæ sunt Ciuitates, ac plurimùm in sacris & prophanis litteris nominatæ. Prima ordine incipiendo à Septentrione versùs meridiem est Tortosa, olim Orthosia, & Anteradus, prope insulam Aradus, pene destructa, vbi latrones Arabes commorantur; non longè inde est Ecclesia Sancti Georgij à Græcis culta, maximæ apud eos deuotionis.

Secunda est Tripolis, sic dicta, quia tripartita, ac quasi in tres Ciuitates diuisa procul apparet, est sita ad radices montis Libani;quãuis inter ipsam & Libanũ sit planities duas leucas continens longa & lata, viridariis plena,arboribus maximè moris consita, ibi quippe plurimùm Serici cõficitur:hanc planitiem percurrit fluuiolus nomine Sanctus,riuulis è monte Libano manantibus auctus, qui in suo cursu mediam secat ciuitatem: distat à mari dimidia leuca: ibi est portus non adeo à tempestatibus securus; aliqui enim tantùm sunt scopuli, qui tumentes maris vndas aliquantulum effringant; sunt tamen septem turres tormentis bellicis munitæ, quæ illum à Piratis securum reddunt:inter eas est turris dicta Amoris,à quodam Veneto cum muliere Turca inuento, ne occideretur,ædificata:post Tripolim est fluuius Adonis siue Canis, qui sub Biblo Ciuitate, vulgò *Zebellet*, supra montem constructa decurrens in mare delabitur.

Post Tripolim ad Austrum tendentibus occurrit, in loco valde amœno, Berithus antiqua etiam Ciuitas, & ob miraculum Sancti Crucifixi, (qui à Iudæis vulneratus copiosum effudit sanguinem) celeberrima: ibi prope littus maris est locus cauernosus, vbi sanctus Georgius occidit Draconem ad liberandam Regis Berithi filiam. In hac ciuitate inueniuntur ficus indici inferius describendi: hanc renouauit Princeps Sidoniensis siue Mir Fecardin, ibi siquidem pulchrum sibi palatium cõstruxit,in quo ordinariè morabatur,vulgò dicitur *Barut*.

Tertia in ordine eſt Sidon Ciuitas,toties in ſacris literis nominata;olim fuit maxima, vt ex eius ruinis apparet, etiam ad vicinos colles pertingentibus:nunc mediocris magnitudinis;diuitiis tamen & mercibus diues; habet Caſtellum in mare procurrens, quo portus à Piratis defenditur; cùm tamen ventis & tempeſtatibus ſit obnoxius; ſolo enim ſcopulo ab illis vtcumque munitur, vulgò dicitur *Saita*. Prope portam, qua itur Cæſaream, ſunt ruinæ cuiuſdam capellæ in loco, vbi Cananea acceſſit ad Chriſtum. Territorium Sidonienſe duplici fluuio terminatur; à Septentrione non longè à Berytho eſt Adonis; à Meridie verò inter Sarephtam & Tyrum eſt Eleuterus,nunc dictus Valania, quia Ciuitatem Valaniam, olim Balaneam alluit.

Quarta eſt Tyrus, olim potentia & gloria fulgens, mari cincta; ſed ab Alexandro magno congeſtâ arenâ, hoc maris cingulum, in quo Tyrij plurimùm fidebant, vt à Propheta fuerat pronuntiatum, ſublatum eſt: Iam plurimum in mare procurrit, vnde procul apparet inſula:nunc penitus eſt deſtructa; vix ibi paucæ domus piſcatores incolas habent. Ingentes domorum hinc illinc ſemidirutarum ruinæ comparent: vulgò *Elſor* dicitur, habuit olim nouemdecim milliaria in circuitu, duos habet portus,vnum à parte Septentrionali, alium intra murorum ruinas:ibi decem viſuntur marmoreæ columnæ,& ruinæ Cathedralis Eccleſiæ; prope portam verò orientalem apparent ruinæ Eccleſiarum Sancti Stephani,& Sancti Ioannis Euangeliſtæ. Non longè à Tyro conſpiciuntur fontes à vicino monte tanto impetu ſcaturientes, vt aliquot vertant rotas molendinorum, poſtea Mare intrant:hi fontes dicũtur à Salomone,Puteus aquarum viuentium;ſunt quatuor origines muris ex lapide quadro concluſæ, ex quibus ad irrigandam planitiem circumuicinam riuuli deducuntur ad duo circiter milliaria; iuxta mare extant ruinæ Caſtelli Alexandrini,

ab

ab Alexandro Magno ædificati, nunc vulgò dicitur *Sandatium*, siue *Scandarium*. Inter ipsam & Sidonem, in medio pene tractu, est Sarephta Sidoniorum funditus euersa, hospitio Sancti Patris nostri Eliæ apud illam viduam Sarephtanam nobilitata, nunc dicitur *Serfent.*

Vltima tandem est antiquissima, ac inclita Ptolemaïda, toties in Sacris codicibus decantata, hæc dicta fuit Accon, quo tempore Christiani Terræ-sanctæ dominabantur: vltima omnium fuit ab illis perdita: quia verò ibi equites Melitenses aliquādo sedem fixerunt, Sanctus Ioannes Dacri nunc à Christianis vocatur, à Turcis autem dicitur Acca; fuit maxima, vt eius ruinæ longè latèque diffusæ manifestant, est figurę penè triangularis; tres adhuc Ecclesiæ penè integræ comparent, solis fornicibus destructis. Prima est Sancti Andreæ in eminenti loco sita, in angulo meridionali, ac occidentali ciuitatis, mari prominens, hæc à longè integra comparet: frōtispicium adhuc integrum, tribus portis, longissimísque, fenestris exornatum mare respicit: subtus illam aliquæ porticus subterraneæ ex lapide quadro constructæ sunt. Huic adhæret destructum palatium magni Templariorū Magistri: aliquo distat inde spatio versùs Septentrionem Ecclesia Sancti Ioannis, solo carens fornice, pulchra admodùm, sed minor alia, proximum adhuc penè integrū adest palatium Magni Melitensis Magistri, quod Princeps Sidoniensis nuper renouauerat; multæ ibi aulæ amplissimæ ac pulcherrimæ, cum suis gradibus latissimis ac omninò intactis, apparent: Tertia est Ecclesia Patriarchalis, solo etiam fornice detecta, sed monte arenæ sepulta; Mahometani siquidem obsidentes ciuitatem, arenâ congestâ montem adhuc ibi extantem suscitarunt, ac ita solum muris Ciuitatis æquantes aditum sibi parauerunt: adhuc aliquæ Turres, partes hinc inde murorum, & aliquæ etiam domus extant: Réliqua sunt pene solo æquata: nunc in illa Ciuitate, vix ducentæ sunt do-

mus habitatæ, ibi eſt receptaculum mercatorum, ad modum clauſtri quadratum, quod noctu portis occluditur: Portus eſt peſſimus, ventis occidentalibus obnoxius, ingentéſque ibi excitantur tempeſtates, quibus aliquando naues pereunt: nam maris fundum præacutis rupibus conſtat, quæ Anchorarum cordas corrodunt, & ita naues ad littus concutiuntur, ac eliſæ pereunt. Olim portus erat optimus, nam obductus in medio mari murus, tumentibus vndis obiiciebatur. Diſtat duabus à monte Carmelo circiter leucis, quamuis proximior appareat, inter ipſam & montem mare ſinum efficit, latiſſima Ciuitati adiacet planities, duabus lõga & lata leucis, quam duo fluuioli per illam decurrentes irrigant.

CAPVT IV.

Deſcriptio Arabiæ deſertæ.

Diuiditur Arabia in deſertam, felicem, & petream: de petrea cùm eam non pertranſierim, licèt à longè viderim; nihil mihi dicendum occurrit; fœlicem poſtea deſcribam: vnde nunc tantùm de deſerta agendum. Hæc ab Aleppo ſtatim incipit, & vſque Baſſoram longè latèque procurrit, immenſas vt plurimùm habet planities; vnde quocumque verſus reſpexeris, oculorum acies non terminatur: identidem tamen montes aliqui, & plurimi colles mira decorant varietate. Licèt rigoroſè loquendo, quidquid vltra Euphratem iacet, ad Meſopotamiam, & Caldæam pertineat; hodie tamen ſub nomine Arabiæ deſertæ comprehenditur.

In deſerto Arabiæ ſunt aliqua oppida & viculi; ac frequentes, iuxta Euphratem maximè, paſtorum caſulæ: ſeptimo die ab Aleppo peruenitur Theibas, nunc exiguum oppidum, olim grandem, vt apparet ex ruinis nõ longè diſtãtibus, Ciuitatem: quam aliqui volunt fuiſſe patriam S. Patris Noſtri Eliæ ex eo quòd S. Epipha-

nius

nius dicat,quòd Elias Propheta ex Thesbis existat è cótinente Arabum: ibi est aquæ copiosa & dulcis origo: distat inde itinere duorum dierum oppidum Reiba, in loco satis eminenti, non longè à flumine Euphrate: post aliquot dies itineris alia occurrunt oppida prope ciuitaté Annam totius deserti maioré, & paucis ab hinc annis antequam á Persis destrueretur, celebrem: ædificata est hæc ciuitas in vtraque Euphratis ripa,per vnum milliare in longitudem diffusa, sita est ad radices montium quibus coarctatur: in medio flumine est parua insula, in qua constructum est Castellum, sed vndique prominentibus expugnabile montibus: nunc hæc ciuitas est semidiruta,& suis pene exhausta habitatoribus: qui remanent sunt Arabes, & Iudæi: ab Anna vsque Babilonem frequentiora supra Euphratem sunt oppida.

Est in deserto Arabiæ mirabilis & singularis ciuitas, Curia Regis Arabum non domibus lapideis, sed mobilibus constructa papilionibus. Cum Arabum Rex creatur; vt audiui, Iureiurando promittit se non in oppidis sibi subditis, sed in medio deserti sub papilionibus habitaturum: pauci sciunt, vbi habitet; cùm propter securitatem (sibi enim à Turcis timet) sæpe locum ad libitum mutet,suámque transferat ciuitatem vbi pascua pro animalibus reperiuntur. Hæc ciuitas miro ordine est disposita, in medio regium habens papilionem amplissimum, aulæis in plura distinctum habitacula: ab ipso incipiunt varij vici, suis noti nominibus, singuláque tentoria suo ordine disponuntur, quotiescumque ciuitas Camelorum ministerio, quod accidit frequentissimè diuersa transfertur in loca; nam semper iidem vici ad Orientem, iidem ad Occidentem, iidem ad Septemtrionem, iidem ad Meridiem, iidem medio tractu procurrunt; ita vt,qui semel eius dispositionem nouerit, facilè singulos vicos semper ad eamdem mundi partem respicientes, singulásque domos eodem ordine

in iisdem vicis semper dispositas, vbicumque ciuitas fuerit collocata, reperiet: illius habitatores ad multa millia excrescunt, in eis duo millia militum Regis numerantur.

Reditus Regis Arabum ex oppidis, aliisque bonis stabilibus, & vectigalibus colliguntur; cùm enim illi mercatorum commeatus desertum pertranseunt,ad Regis imperium modo hîc, modo illic sistunt, vectigalia soluturi:tunc Rex,qui per suos specùlatores omnia quæ in deserto fiunt,& quinam illuc transeunt, optimè noscit,aliquem ad exigenda & colligenda vectigalia destinat commissarium:quòd si celebriores sint commeatus, ipsemet Rex non fidens aliis, vectigalia & munera collecturus accedit;mos quippe est apud orientales,vt nullus coram Rege, & Principibus vacuis appareat manibus:in exigendis autem vectigalibus (quod vno aut paucis diebus effici poterat) multùm temporis insumit, vt ita pastores,aliique deserti incolæ suos fructus,panes lac,& alia mercatoribus diuendere possint:quòd si quis ex illis in transitu moriatur, omnia quæ defert, ad Regis deueniunt potestatem.

Reperiuntur in variis deserti locis colles plurimi arenæ vento collectæ,qui ventorum impetu modò huc, modò illuc transportantur; qui aliquando pretereuntes obruunt,ex quorum corporibus arena exsiccatis mommia conficitur,& sublatis vento ex illa parte collibus ab Arabibus inuenitur:vnde nobis per illa loca transeuntibus præceptum est, vt omni celeritate possibili cursum festinaremus, ne aliquod vitæ periculum ex mora nobis immineret.

Sæpe pluit manna in deserto,quod ab Arabibus collectum defertur Bassoram, vbi à Lusitanis commercij causa illuc nauigantibus ad vsum medicinæ satis vili pretio comparatur: sunt quædam reliquiæ copiosi illius mannæ, quod Deus ingratissimis Israëlitarum populis,

pulis, hoc desertum, dum ab Ægypto ad terram promissionis tenderent, prætereuntibus; ob merita Moysis eorum Ducis, quotidiano pluebat miraculo: plures etiã ex nostris fructibus, scilicet, vuæ, ficus, pepones, aliique beneficio Euphratis nascuntur: plurimæ etiam viginti ab hinc annis, ad vtramque fluminis ripam, consitæ videbantur palmæ; sed rigore cuiusdam hiemis exsiccatæ perierunt.

Antequam mercatores ad Euphratem perueniant (nono enim tantùm die peruenimus: nam licèt tertio die perueniri posset; tamen ne iter prolongent tardiùs perueniunt) aquarum inopia plurimùm laborant; aliquando enim penitus non inueniunt, aliquando verò puteos tantùm aquæ sulphureæ, gustui ingratissimæ nanciscuntur; occurunt etiam magnæ bituminis scaturigines; inuenimus enim prope finem deserti riuulum bituminis plenum & circumiacentem campũ inundantem, ex quo forte ædificatores turris Babel hauserunt bitumen; quo, loco cementi, in ædificatione turris vtebantur.

In toto deserto plurimæ sunt, siluestrium, & ferociũ species animalium, Leones & Tigrides sæpè reperiũtur, Onagri turmatim discurrunt, Ceruarum vulgò *Gazelarum* plurimi greges occurrunt: à longè enim conspexi similia ad alteram fluminis ripam animalia, quæ ad flumen potandi causa veniebant: sed ibi præcipuè vidi quoddam animal in cauea ferrea clausum, quod Arabes ducem leonis appellant; est feli simillimum, propter quod aliqui felem Syriæ vocant; aliud Florentiæ, sic nominatum vidi: est enim satis ferox; si quis oblatum ei cibum detrahere tentauerit, nimia tumet ferocia, & in detrahentem, nisi compescatur, insilit: habet in summitate aurium flocculos: dicitur autem dux Leonis: quia, vt dicunt, Leo non ita pollet odoratu & ita sociatus huic animali odoratus acerrimi prædam assequitur, ac

captæ

captæ partem ſuo duci diſpertit: eſt aliud item animal, quod *dib.* vocant, ſatis lupo ſimile; ſed diuerſæ, vt ex eius clamore percipitur, ſpeciei: quod etiam in Indiis orientalibus frequentiſſimum eſt: plurima ſunt etiam & portentoſa ſerpentum genera, quibus alendis & multiplicandis ſolitudo plurimùm confert. Deſertum ab Alippo vſque Babilonem vno circiter menſe, vſque Baſſoram duobus ferè menſibus pertranſitur: cameli ſiquidem onuſti quinque tantùm, aut ſex ad ſummum conficiunt leucas itinere vnius diei.

CAPVT V.

Deſcriptio Arabiæ felicis.

ARabia felix, non abſolutè, ſed comparatione aliarum vocari debet: maior enim incolarum illius pars eſt miſerrima, ac infelix; non ſolùm ratione legis Mahometicæ quam profitentur; ſed etiam præ inopia rerum temporalium: non omnia quæ in illa reperiuntur, ſed tantùm quæ in ea viderim, hîc comprehendam.

In hac Arabia plurimum mannæ colligitur, Thus affatim naſcitur quotannis ex vrbe & portu Cachan nauis thure onuſta circa Natiuitatem B. Virginis, Goam tendit: palmæ paſſim reperiuntur, omnéſque fructus qui hîc in Gallia; ſed non in magna abundantia; eſt enim regio montibus nudis plena; calores ſunt ibi intentiſſimi, ac pene intolerabiles: vnde Maſcati dormiunt Luſitani æſtiuo tempore ſupra linteamina madefacta, & tota nocte aquam bibunt; vnde aliquando contingit, quòd nullus reperiatur ieiunus Sacerdos, qui miſſam celebrare poſſit, per totam penè Arabiam homines ſub dio dormiunt, Baſſoræ à principio menſis Aprilis vſque ad finem Septembris, ob nimios calores, in ſolario dormire cogebamur.

Plures ſunt in Arabia felici ciuitates, vrbes & oppida;

da; maior & præcipua Ciuitatum,quas ibi viderim, eſt Baſſora ciuitas, nunc ſatis ampla, mercium Indicarum copiâ abundans; eſt ſita in confiniis Arabiæ deſertæ, ad vnum ferè milliare diſtat à flumine, cuius riuus etiam ad naues ferendas idoneus, ad ipſam peruenit:abundat multis fructibus, vuis optimis, ficubus,pomis, malogranatis; eſt calidiſſima, ac proinde feraciſſima palmarum,ex vtraque parte fluminis vſque ad initium ferè ſinus Perſici quatuordecim leucis ab illa diſſiti, & vſque Babylonem multorum dierum itinere diſtantem, longè latèque diffuſarum. Maior incolarum Baſſoræ pars eſt Arabum,linguâ vtentium Arabicâ,quæ vſitatiſſima eſt in multis partibus Orientis, vtpote mater & origo aliarum; aliqui etiam morãtur Turcæ, præſertim milites; multi ad illam commercij cauſa aduentant Perſæ, quos *Agemi* vocant; vnde & Turcica, & etiam Perſica viget lingua: paucis ab hinc annis maxima confluente à captis Babylone, & Ormuſio mercatorum, & habitantium multitudine, plurimùm creuit. reperiuntur etiam ibi Chriſtiani Armeni, Neſtoriani, Iacobitæ,& alij qui verè non ſunt,ſed dicuntur Criſtiani Sancti Ioannis, qui à ſe inuicem *Mendaj*, ab aliis verò *Sobbi* dicuntur. Prouincia hæc Baſſorana multis circumquaque abundat oppidulis, varios vt iam dixi, fructus, præcipuè palmarum, & oriſam profert: tritico non ibi nato, ſed à Perſide tranſlato vtitur. Dux illius ab aliquo tempore Turcarum Imperatori rebellis, plurimùm nobis affectus, ſæpè noſtram viſitat domum, largas aliquandò elargiendo eleemoſinas: hic Ciuitatē Baſſoram ad ripam Euphratis transferre meditatur: vnde ibi duo caſtella, mœnia Ciuitatis, pluréſque iam domos conſtruxit, factíſque latiſſimis ac profundiſſimis alueis flumen circumduxit: hi populi eodem modo, ac alij Mahometani, iuſtitiam adminiſtrant, nullos habēt Aduocatos,ſed ſolum Iudicem,quem *Alefandi* vocant,
ab

ab ipſis Baſſoræ portis incipit Arabicũ deſertum, quod vſque Aleppum & Damaſcum procurrit; vnde ex illa parte eſt principium Arabiæ felicis.

Secunda dignitate ciuitas, ex his quæ ſunt prope ſinum Perſicum (quæ enim ſunt in eius interiori parte, ex induſtria relinquuntur) eſt Laſſa ſuo Gubernatore ſiue Baſcha inſignita: hic piſcatione gemmarum, quæ in mari vicino fit, ditiſſimus eſt, canonicus item ſiue præbendarius eſt in ſuo celebri templo, quod in Mecha Mahometis patria, vt præcipuum eorum ſanctuarium colitur: In hac ciuitate plurimæ ſunt palmæ & malogranata optima, diſtat aliquantùm à mari, eius portus dicitur Catifa, inſalubris oppidum aëris: huc Luſitanorum naues, ſicut & Baſſoram commercij cauſa bis in anno veniunt, merces Indicas vendunt, dactilos autem alióſque fructus, tapetes aliáque emunt ad Indias traſportanda; præcipuè autem equos Arabicos naturâ generoſos: qui autem decem defert, ab omni vectigali ſoluendo remanet immunis: quòd ſi aliquis ex illis in nauigatione moriatur, abſciſſam eius caudam exactoribus vectigalium tenetur præſentare; vt tali gaudeat immunitate.

Poſt Laſſam ſequitur Maſcatum præſidium Luſitanorum fortiſſimum, vbi duo munitiſſima ſunt Caſtella: eſt Maſcatum iam plurimùm auctum; huc enim commercium Ormutianum partim delatum eſt; ibi quippe portus eſt valde magnus, commodus, à maris tempeſtatibus, & hoſtium incurſionibus ſecurus; eſt ſupereminentibus vndique concluſum ac quaſi ſepultum præruptis & exuſtis montibus; ibi præter Luſitanos ſunt commorantes Arabes, Perſæ ac Iudæi: inter hos Arabes magna pars dæmoni pacto peculiari deſeruiunt, illos vocant *Caſatares*, plurimùm nocent ſed non ſuis ſimilibus: hi fructum aliquem attentè inſpiciendo interius comedunt intacta externa parte relicta; homines reſ-

piciendo,

piciendo, corda eorum deuorant; illis verò noceri non poteſt; ſi enim gladium quo feriendi ſunt aduertant, arte dæmonis iſta incantant, vt ferire non poſſit; ſi enim percutiuntur, gladius quaſi ſaxo percuſſo reſilit: aliqui ex ipſis ob patrata ſcelera in mari ſubmerſi; poſt tres dies incolumes è profundo maris educti fuêre.

Non longè à Maſcato eſt oppidum Suar, in plano collocatum littore, vbi etiam Luſitanorum eſt præſidium, ibi plurimæ ſunt palmæ, ibi ſub terra antiquæ monetæ latinis characteribus inſcriptæ ſunt: propter quod aliqui Luſitani Niniuem ibi fuiſſe arbitrantur; ſed nullum id aſſerendi habent aliud fundamentum, quàm prædictas antiquitates, & littus ad conſtruendam Ciuitatem commodum, aſſerentes Ionam prope Niniuem à cete fuiſſe vomitum; non aduertentes quibus ſe difficultatibus implicant; nam præter authoritatem Scripturæ, quæ Niniuem in Aſſiria ſiue Chaldea collocat, inauditum fateri tenentur miraculum, vel quod cete intra tres dies totum mare Mediterraneum à Ioppe vſque in Hiſpaniam & inde vſque in Arabiam peruenerit; quod ſpatium vix intra ſex menſes via ordinaria confici poteſt; vel ſaltem quòd à mari Mediterraneo in Arabiam vſque per terram aduenerit; cùm tamen miracula, niſi ex authoritate ſcripturæ, vel infallibili euidentia confirmentur, admitti non debeant. Denique id traditioni Chriſtianorum orientalium contradicit, qui prope Get vrbem Philiſtinorum, littus oſtendunt, in quo Ionas à cete vomitus dicitur. Vlteriùs procedendo intra ſinum Perſicum reperiuntur alia oppida, ſcilicet Corſacam, Leuidia, Doba; Comſa, Caſſap, Chulfar; ex alia verò parte Maſcati eſt Curiati, Teue, ibi dulcis aquæ fluuiolus, & multa mala aurea naſcuntur: ibi maris fundum etiam prope littus non inuenitur, donec ad deſtructam Calaiati ciuitatem, olim dictam Metacum, perueniatur: hæc ciuitas fuit à Luſitanis deſtructa propter

pter factam sibi traditionem; erat maxima, vt ex eius ruinis latè diffusis apparet:adhuc domus & templa manent semidiruta: ibi ad littus inueniuntur candidissimi lapides,maiores ac minores, miro naturæ artificio elaborati: in quibusdam enim sunt rosæ insculptæ,in aliis aliæ figuræ;multæ sunt huius laboris species.

In interiore parte Arabiæ felicis surrexerat quidam scholæ magister nomine Iman, qui se iactabat à Deo missum, vt cuique sua restitueret; multi eius partes sequebantur, & sic ibi imperitabat, multùmque negotij Lusitanis facessebat.

CAPVT VI.

Descriptio Mesopotamiæ

OMnis ille tractus, qui inter fluuios Euphratem & Tirim continetur, Mesopotamia dicitur, ab Hebreis verò dicitur Aram siue Charam: vnde Mesopotamia partem Armeniæ, partem etiam Assiriæ siue Chaldeæ complectitur, vt ex ipsa constat scriptura; constat quippe Vr esse in Mesopotamia, in ea enim natus dicitur Abraham, ad eam dicitur missus Iacob, tanquam ad natale solum suæ familiæ;& tamen eadem scriptura Vr patriam sancti Patriarchæ Abrahæ in Chaldea collocat, vocátque Vr chaldeorum.

Tota hæc regio est amœnissima, maximè in suis extremitatibus, vbi suauiter delabentium Tigris & Euphratis irrigatur vndis; ibi enim pluribus incolis habitata, ibi pluribus oppidis ac ciuitatibus ædificatis exornata. Tota regio vt plurimùm plana est in vastissimas procurrēs planities;quamuis aliqui, sed rari montes cōpareant;terra,vt apparet,est fœcunda ac fertilissima, sed more aliarū imperio Turcæ subditarum,propter incolarum defectum,penitus inculta, solùm prope aliquas Ciuitates ibi existentes,&rara oppida,parùm culta manet.

Præter fluuios Euphratem & Tigrim suæ latitudinis terminos, nonnullos alios habet fluuiolos, plures riuos ac fontes, quibus irrigata mirificè fœcundatur, fructus eosdem producit, quos nostra abundatius producit Gallia; & insuper dactilos palmarum fructus, in parte præsertim meridionali.

Plures olim ac celeberrimas habuit ciuitates in medio quippe Tigris & Euphratis Niniue fuit ciuitas illa trium dierum spatio diffusa, caput primæ Assyriorum Monarchiæ, cuius nunc aliquæ tantùm ruinæ ad ripam Tigris apparent, in quibus extructa ciuitas Mussul dicitur, fuit etiam Babilon illa magna, in sacris Codicibus toties nominata, Chaldæorum Curia Regum; ingentes eius reliquiæ hinc inde dispersæ hactenus conspiciũtur: noua Babilon, vulgò *Bagdet*, vltra Tigrim ædificata, Mesopotamiæ terminis non continetur; quamuis eius suburbium, sed à Persis nuper destructum, in ea contineatur.

Nunc inter alias Mesopotamiæ ciuitates nobilis est ciuitas Diarbequir, eiusdem circiter magnitudinis ac Massilia; sed non oblonga, at sphaerica, in loco amœnissimo supra fluuium Tigrim eminenti collocata, est visu pulcherrima, pluribus rotundis turribus exornata: hanc sequitur Orpha ciuitas, sancti Patriarchæ credentium Patris Abrahæ natale solum, olim dicta *Vr Chaldeorum*, est mediocris magnitudinis, in medio regionis duobus ab Euphrate diebus dissita: est etiam ciuitas Merdim ad ripam Tigris inter Moussul & Diarbequir sita, in qua plurimi sunt Christiani: supra verò Euphratem est pars ciuitatis Annæ superius descriptæ, nunc pene dirutæ: tandem in littore eiusdem Euphratis est exigua, sed pulchra ciuitas Elbir Castello munita, dicta olim Byrtha: fuit etiam celebris illa Carres à morte Crassi nominata, quæ nunc Herem dicitur: fuit & ciuitas Amida plurimùm celebrata propter bella Ro-

manorum & Perſarum ibidem geſta: fuit & antiqua illa Edeſſa Sancti illius Abagari Regis Curia, ad quam ſanctus ille Rex Chriſtum Dominum, tum Iudæorum perſecutionis declinandæ, tũ ſuæ ſalutis cauſa inuitabat.

CAPVT VII.

Deſcriptio Chaldææ.

CHaldæa, ſiue Aſſirya, caput fuit primæ totius orbis Aſſiryorum Monarchiæ, quæ à Nino primo eius Imperatore vſque ad Sardanapalum in ſummo perſeuerauit ſplendore; tunc enim Medis & Perſis ob ignauiam Sardanapali rebellatis diuiſa plurimùm decreuit; ſed tamen iterum reuiuiſcens vſque ad internecionem Balthaſaris, diuino trium digitorum in pariete ſcribentium portento, Daniele ſcripturam exponente prænuntiatam, perdurauit: tunc enim capta ciuitate, imperatoris Curia deleta, ipſóque Balthesare Imperatore interſecto, ſub Cyro Perſarum Rege & Dario Medo, ad Perſas & Medos Monarchia Mundi tranſlata eſt. Curia Imperatorum modò fuit Niniue á Nino fabricata, modò Babilon à Belo ſiue Nembrod ædificata, vt ſacris manifeſtè conſtat ſcripturis; nec defuerunt Babylone ſuccedentibus temporibus Reges vſque ad perfidum Pſeudoprophetam Mahometem, cuius religioni ac perfidæ legi, hæc confuſionis ciuitas Babylon ceſſit, ibíque fuit aliquãdo Thronus Imperij Turcarum, quod poſtea ſummo Chriſtianorum damno ad multa regna, imò ad Conſtantinopolim Romani quondam Imperij caput ſe extendit: quapropter inter Turcas & Perſas continua deſæuiunt bella; quiſque enim ſummo ducit honori, hanc ciuitatem Mahometani quondam Imperij caput poſſidere.

Chaldæa, vt vidi, nullis pene exultatur montibus, ſed in immenſam decurrit planitiem; nobiliſſimis ac iucundiſſim is

diſſimis fluminibus Tigri & Euphrate fœcundatur,pluribúſque aliis irrigatur fluuiolis, plurima continet oppida;palmarum præcipuè arboribus, aliiſque decorata; eſt calidiſſima, ſecundo enim poſt relictam Babilonem die, tres aut plures homines,nullis præcedentibus morbis, ſolo intolerabilis æſtu Solis ſuffocati periêre, aliíque plurimi vix euasêre vltimum mortis periculum.

Protenditur hæc regio versùs Septentrionem itinere quinque dierum, tota plana variis riuulis & fluuiis irrigata,variíſque oppidis habitata; terminatur tandem excelſis & aſperrimis montibus Perſidis. qui anguſtum præbentes aditum in anguſtam vallem ſed longè diffuſam; aquarum copia abundantem; ad alios montes aditum præbent: antequam ipſum montium aditum egrediaris, occurrit maxima, vt ex ruinis apparet, ciuitas ni fallor Climaïda, ab Alexandro magno, provt continuata fertur traditione, ædificata: ſolæ ruinæ, quidam aquæductus, nihil aliud diſtinctum conſpicitur.

Caput Chaldææ eſt ciuitas Bagdad,id eſt hortus; ab hortorum,qui ibi reperiebantur,amœnitate ſic dicta; ſiue Babylon noua ex antiquæ ruinis exurgens:antequam paucis abhinc annis à Rege Perſarum diriperetur & pene deſtrueretur,erat maxima;ſupra vtramque Tigris ripam ædificata; nunc omninò diruta ex qua parte reſpicit deſertum,ac Euphratem itinere vnius diei remotum. Pars quæ adhuc integra manet, eſt Auenioni æqualis, variis palmarum viridariis intus & foris amœna,validis de nouo à Rege Perſarum extructis turribus, ac muris exornata, peranguſtis inceditur vicis, ſicut aliæ Mahometanorum ciuitates; domunculis ex luto, quibuſdam etiam ex coctis lateribus fabricatis componitur. Quandoq; per illam tranſiui, ſuberat dominio Regis Perſarum, qui eam non vi; ſed traditione ſiue proditione cœpit: Dux enim illius,quem Baſcha nominant, vltimum ſibi timens ſupplicium ab Imperatore Turcarum Conſtanti-

 nopoli

nopoli commorante, vltrò Regi Persarum Abbas illius obtulit deditionem: sed mutato consilio illum aduenientem possessionis causa delusit; tandem ab ipso obsidetur, captáque dolo, perfidia & proditione filij Ducis, captus ipse Dux siue Prorex in arctam coniicitur custodiam, vbi tanquam perfidus primò Turcarum Imperatori; deinde Regi Persarum, intolerabili, inaudito, & diuturno ab eodem Rege Persarum perimitur supplicio: nam per triginta dies oppiparè vescens dormire prohibitus est; cum autem somno pressus dormitaret, statim præacutis excitabatur stimulis, sícque intolerabili mortis genere suæ luit pœnas perfidiæ. Hæc ciuitas paucos sub potestate Persarum perseuerauit annos: licèt enim duo aut tres exercitus à Turca missi, re infecta perierint, industria ac generoso Persarum animo; tamen adueniente ipso Turcarum Imperatore Amurath cum quadringentis millibus militum, non tam vi, quàm proditione Gubernatoris illius capta dicitur, vbi centum & triginta Turcarum millía perierunt; octodecim verò Persarum millia ab ipsis Turcis, captâ ciuitate, per nefas fuêre trucidata.

Infra ipsam ciuitatem itinere vnius diei destructæ videntur antiquæ Babylonis ruinæ, mediæ inter Tigrim & Euphratem, qui non magno dissiti fluunt interuallo. Fuit antiqua Babylon ingens ciuitas, totum ferè illud occupans spatium, quod inter Euphratem & Tigrim in latitudine medium iacet: passim enim ibidem maximæ videntur ruinæ: ad sex circiter supra Bagdad leucas, sunt ruinæ turris Babel, quam mihi comites nostri itineris ostenderũt Armeni illarum Regionum peritissimi, quæ adhuc eminentes à longè nobis transeuntibus apparuêre, cuius rei probabilitatem plurimùm confirmat, quòd non longè inde fontes bituminis scaturiant; constat autem scripturâ eius fabricatores bitumine pro cemento fuisse vsos: dicitur quòd habet milliare, vel iuxta Christianos

ſtianos naturales habet 392. vlnas:cùm ſit ſola in campo eminenti, apparet altior quàm ſit.

Habitatores Babylonis ſunt Chaldæi, lingua Arabica vulgò loquentes, quorum maior pars conſtat Mahometanis; quamuis etiam plurimi reperiantur inter ipſos Chriſtiani, Armeni, Iacobitæ, & Neſtoriani; qui vltimi plures & præcipui, omnibus aliis exoſi ſunt & inimiciſſimi; quia Chriſtum Dominum negant eſſe Deum; nobis autem magis affecti, & conuerſioni magis ſunt diſpoſiti; in aliis etiam circumiacentibus morantur oppidis, habent ſuum Patriarcham Monachum Baſilianum, in celebri monaſterio in Meſopotamia commorantem, qui paucis ab hinc annis noſtrum P. F. Baſilium à ſancto Franciſco Luſitanum ſpectatæ virtutis Religioſum, pluribus Orientalibus linguis, ſcilicet Arabica, Perſica, Turcica, & Chaldæa præditum; vt ſimul de religione conferrent, magnis ad ſe precibus euocauit, eorum Sacerdotes, ſicut & aliorum orientalium, ducunt vxores; ſed non Epiſcopi: in Officiis diuinis lingua vtuntur Chaldæa.

Vltimis his temporibus inuentæ ſunt prope Babylonem marmorum fodinæ, quæ ad ornanda templa deſeruiunt.

CAPVT VIII.

Deſcriptio Armeniæ.

ARmenia diuiditur in maiorem & minorem; hæc magis accedit ad Aſiam minorem, & Turcarum Imperio ſubiacet; illa verò Perſis eſt finitima, ac eius Imperio maiori ex parte ſubiecta: habitatores vtriuſque vt plurimùm ſunt Armeni Chriſtiani; maximè in oppidis; in vrbibus quippe mixti reperiuntur Mahometani, qui ibi præſidia & principatum tenent.

In Armenia plures ſunt Ciuitates, prima dignitate,

non magnitudine, eſt Eriuania ſubdita Regi Perſarum, In qua eſt Caſtrum validiſſimum nuper à Turcis expugnatum; ſed nunc iterum à Perſis captum, eorum ſubditur ditioni: hanc tradunt fuiſſe olim Curiam Regis Armeniæ, dictam Albaniam; propterea Epiſcopus illius ciuitatis eſt Armenorum Patriarcha: nomen modernum Eriuania, aliquantulum antiquo Albaniæ conſonat; Eriuania enim eſt quaſi Albania: non multùm diſtat à monte, in quo traditur eſſe Arca Noë; proximum eſt hîc monaſterium, maximæ apud Armenos venerationis, dictum Tres Eccleſiæ: tum propter ſedem Patriarchalem; ibi enim Patriarcha ordinariè commoratur: tum propter conſeruatas ibi reliquias ſancti Gregorij illuminati Armenorum Apoſtoli.

Secunda ordine Ciuitas Archiepiſcopalis eſt Nacheuan; Armenè idem eſt, ac prima habitatio; quia ibi Noë poſt diluuium habitaſſe dicitur, cuius Archiepiſcopus ex ordine ſancti Dominici ſemper aſſumitur; quia ſoli patres Dominicani in illis partibus miſſionem inſtituerunt: contigit enim, vt quidam vir ſanctus ex illo ordine in Archiepiſcopũ Nacheuani crearetur: is ſtatim profectionem, ad illa Terras ſchiſmaticas, ſuæ curæ demandatas parauit; tantâque vigilantiâ ſalutem animarum procurauit, vt breui totam illam Armeniæ Prouinciam, quæ dicitur Alingia, Catholicam reddiderit: vt autem in hac fidei ſinceritate illam conſeruaret, Monaſteria ſui Ordinis ibi ædificauit: Armeni huius Prouinciæ vocantur ab aliis, Armeni franchi; quod idem ſonat, ac Europæis ſubditi: Ciuitas ipſa Nacheuan eſt penè deſtructa; vnde Archiepiſcopus in oppido Abraner, trium itinere dierum à ciuitate Tauris diſſito, commoratur: Archiepiſcopus, ſicut & alij patres ibi commorantes, ſunt naturales Armeni; quamuis aliqui ex hiſce partibus illuc mittantur: ibi non ſolùm Apoſtolicæ conuerſionis animarum officio occupantur; ſed

etiam

etiam continuo manuum labori insistere coguntur, vt sibi vitæ necessaria lucrari,& impofita per Regem Persarum tributa soluere possint; vnde dicto sacro, persolutis diuinis officiis, ad campos procedunt: Nacheuam ab aliquibus numeratur inter ciuitates Mediæ.

Tertia est Ciuitas Chulfa iam omninò deserta, ac penitus desolata; vix enim aliquæ inhabitantur ibi domus; cùm enim Rex Persarum Abbas nuper illam de manibus Turcarum eripuisset, totam illam gentem copiosam inde transmigrare iussit, & versùs Aspahanum suam Curiam,quam de nouo fundabat, iter dirigere,vt ibi extructa Chulfa noua morarentur Et ita sicut vetus Chulfa periit, sic ex populo eius transmigrante noua Chulfa, vetere ditior, maior, ac domorum constructione magnificentior ædificata surrexit. Plures adhuc viuunt Armeni, qui in hac fuerunt transmigratione, quíque antiquam adhuc patriam deplorant: plures aliæ intra Persidem sunt Armenorum coloniæ: cùm enim Rex ille Abbas aliquam capiebat ciuitatem vel oppidum, partem populi ad inhabitandam Persidem satis desertam transmigrare cogebat.

Quarta est Ciuitas nomine Van, mediocris magnitudinis, mœnibus validissimis munita, fossis cincta profundissimis, ac tormentis bellicis instructa: ibi fortissimum Turcarum est præsidium; quia in ipsis pene est Persarum confinibus: ibi est, supra præruptam collem in angulo ciuitatis eminentem, inexpugnabile,imò inaccessibile Castrum, in quo tunc multi erant milites; quia Persici exercitus non multum distantis aduentum formidabant. In hac Ciuitate reperi quendam Chirurgum natione Gallum,nomine Fabrum,qui ibi tanquam insignis honorabatur Medicus, nósque omnibus beneuolentiæ signis prosecutus est. Huic ciuitati adiacet mare viginti circiter leucarum longitudinis, & decem latitudinis, montibus circum quaque vallatum; lacus

denominari posset nisi aquæ illius salsæ essent; est satis sterile, paucos enim pisciculos quibusdam tantùm anni mensibus producit.

Ad sex circiter milliaria est monasterium Monachorum sancti Antonij Armenorum, maximæ apud eos deuotionis; ibi enim illorum Patriarchæ sepeliendi ex Eriuania transportantur, hoc monasterium est supra montem excelsum nomine Varac; ibi, vt accepi ab illis Religiosis, illorum decem millium Martyrum crucifixio celebrata fuit, nomen nouum aliquantulum corruptum antiquo Ararat correspondet.

Ex alia huius maris parte est ciuitas vulgò Bethlis, ab Armenis verò Pagues dicta; est inter angustias duorum montium, ac in eorum decliui collocata; nulla enim inter montes est planities: in medio montium & Ciuitatis est riuus, variis exurgentibus hinc inde fontibus excrescens: domus illius ciuitatis sunt pulchræ, ac ex lapidibus constructæ, præter vsitatum illarum gentium morem, quæ domos vt plurimùm ex luto construunt. In medio est Castellum in loco edito munitissimum, est abundans fructibus, vuis, pomis, piris, prunis, aliisque nostratibus.

Sexta est Ciuitas dicta Coï, in vastissima planitie collocata; fuit magna, sed nuper ob Turcarum irruptionem penè desolata, nunc denuò construitur, firmísque muris Castrum illius amplissimum cingitur; plurima in suo circuitu habet oppida: inter Coï & Van sunt aliquæ munitiones, vbi Domini quasi absoluti dominantur. Inter eas est Castrum Cochab munitissimum, quòd præterfluens ad eius radices fluuiolus irrigando lætificat: sunt plures aliæ ciuitates, vt Arzeron, Sebaste, vbi martyrio coronatus fuit diuus Blasius; aliæque, quas, quia non vidi, silentio præteribo.

Armenia, vt plurimùm, est præruptis asperrima montibus, & alicubi tam propinquis, vt illic Sol vix appareat:

reat: propterea frigus intentiſſimum ibi ſæuit hyemis tempore, quod & æſtiuo ſentitur: Prima enim die Auguſti præ frigore Solis radiis nos exponere fuimus compulſi: non deſunt tamen planities amœnæ, ac vaſtiſſimæ; præſertim vbi ad Meſopotamiam declinat. In Armenia fluuij ſunt nominatiſſimi Euphrates & Tigris, ſuperius deſcripti: eſt etiam Araxis, aliíque fluuij, ac fluuioli ex illis Armeniæ montibus exilientes, quos referam, dum mihi occurrent iter agenti.

CAPVT IX.

De Imperio Perſarum.

PEr nouem circiter menſes in noſtro manſi Aſpahanenſi Conuentu: in quo deſcriptionem Imperij Perſarum hîc exarandam didici. Hoc Imperium plurima Regna, variáſque continet prouincias: continet enim primò ipſam Perſidem, à qua totum denominatur, quæ attingit ſinum Perſicum, cuius caput eſt Syras: habet Mediam ſiue Regnum Medorum, cuius caput eſt Tauris, olim Ecbatanis, celebris Ciuitas, quæ ad Armeniam declinat: Parthiam, in qua eſt Aſpahan curia Regis Perſarum, quæ inter Mediam & Perſidem iacet: habet Regnum Candahar Indis finitimum, à principali eius Ciuitate ſic denominatum: habet partē Armeniæ maioris ad Septentrionem declinantis: habet Iberiā Terram Chriſtianorum, vulgò Gorgiſtam; quæ paucis abhinc annis, debellato eius Principe, eidem Imperio fuit annexa: habet Regnum Ghilon prope mare Caſpium, ſerici feraciſſimum, cuius præcipuæ ſunt ciuitates prouinciarum capita Raxt, Gaxkhar, Laion, Langarkanon, Delon, Nohum, Tabas: Item eſt Regnum Koraſon diuiſum in Margianam & Ariam prouinciam, cuius ſunt principales ciuitates Merad ſiue Maret, centu● vt dicitur millium animatum, in qua dicitur eſſe

Turris ex auro & lapidibus pretiosis satis alta, Heres, Thun, Maruuoh fundata ab Alexandro ad ripam fluuij Tehun siue Ore, dicta olim Alexandria. In hoc regno præ aliis feles pulcherrimi sunt, pilis admodum longis decorati; alia etiam plura non contemnenda sunt Regna, vt Lorestan: Chaldæam iam non numero; quia dum in illis essem partibus, à Turcarum Imperatore fuit recuperata. Singulis Regnis Rex Persarum proprium Ducem siue Gubernatorem præficit, quem Kam vocant.

Tempore Cyri & Darij, interfecto Balthazare vltimo Assiriorum Imperatore, ac sic dissipata & penitus sepulta hac prima Monarchia, incœpit secunda Persarum atque Medorum, & per multa sæcula vsque ad Alexandrum Magnum floruit: hic enim deuicto Dario illam terminauit; Imperium tamen Persarum sæpe reuiuiscens sub Cosroa, sub Sapore, aliisque Regibus effloruit; sed vt rerum mundanarum vicissitudo requirit, partim sub Turcarum Imperio, partim sub Regulorum dominio fuerat redactum: nunc iterum ad pristinum statum integrè restitutum, modò statim explicando florescit.

Erat in Ciuitate Ardeuilla, tribus diebus à ciuitate Tauris, versùs mare Caspium distante, quidam Gubernator nomine Ismaël Sophi filius Xéque Aidar, qui excusso Turcicæ Tyrannidis iugo sibi absolutum illius Prouinciæ dominium vsurpauit. Hic fundator est familiæ Regum Persarum, qui ab illo Sophi denominantur, quo decedente eius posteri in dominio successerunt; propter hoc omnes Persarum Reges, vbicumque moriantur, se Ardeuillam imperant deferri, vt ibi in sepulchro suorum Maiorum sepeliantur. Hi paulatim suam ampliarunt ditionem; vnde captâ ciuitate Casbim, ad eam Regni curiam deportarunt, ibique perseuerauit vsque ad Cha Abbas, qui exiguum à patre traditum sibi

Regnum,

Regnum, circumquaque miris modis dilatauit, & Ciuitatem Aſpaham plurimùm adaugens exornauit, ibíque ſedem Imperij collocauit.

Viuente adhuc Patre, debellato Rege Syras, hanc ciuitatem, totúmque Perſidis Regnum acquiſiuit; vltra progrediens capto Benoru Caſtro validiſſimo, oſtióque Regni Lara (eſt enim ſupra montem anguſtiſſimæ viæ, qua vnica ad Laram perueniri poteſt, imminentem) ipsâque Larâ ſubiugatâ, vſque ad ſinum Perſicum ſuam dilatauit iuriſdictionem.

Validum ac pene inexpugnabile Caſtrum ciuitatis Tauris, mirabili artificio capiens; dolo, non viribus occupauit: inſtruxit ſiquidem copioſum mercatorum commeatum, qui Tauris aduentantes, ac varias merces deferentes propè illud Caſtrum ſua fixere tabernacula: ipſi mercatores erant omnes milites, armis ad intentum exequendum neceſſariis inſtructi; ipſe verò Rex nulli niſi ſuis notus, Ducis eorum munus exercebat; cúmque Ianiſſeri illius Caſtri cuſtodes ſæpe ad eos quotidie aduentarent, capta opportunitate, quandò omnes vel ferè omnes extra Caſtrum, exierant, in eos inſurrexit, obuios quoſque interfecit; Caſtrum ficti mercatores adoriuntur, alij ſcalas muris admouent, ſursùm aſcendunt; & ita priùs captum, quàm obſeſſum in ciuitate, à qua paululùm diſtans in loco ſitum erat eminenti, peruulgatur: vnde inſignis illa Ciuitas, totáque prouincia Perſarum Imperio ſubiugatur. Paulò poſt vlteriùs procedens partem maioris Armeniæ adiacentem inuadens, plurimùm versùs Septentrionem Imperium propagauit: Inde ad Iberos ſiue Georgianos conuerſus principalem illorum vrbem, nomine Teflis, occupat: Deinde ſubiugatis illius prouinciæ Regulis, ac nouiſſimè Tamaraskam, totam vel omninò ſubiugauit; vel ſaltem reddidit tributariam.

Cùm ex parte maritima moleſtos ſibi experiretur

Luſita

Lusitanos, maximum arbitratus esse sibi dedecus, quòd aduenæ Christiani in suo quidquam Imperio possiderent, ad eos arma conuertit, ac primò castellum Commoram in continenti situm deuincit, deinde Anglicarum nauium auxilio fretus (ipsi siquidem Persæ nullam habent penitus in mari potentiam, nauiculis tantùm illud percurrunt,) ad insulam Ormusium adiacentem peruenit, illámque obsidens & fortissimum illius Castrum cuniculis concutiens ac diruens, breui Lusitanos ad deditionem compellit, & ita celeberrimum totius Orientis Emporium ad Persarum deuoluitur potestatem.

Iam dictum est, quomodò Babylonem, totámque Chaldæam acquisiuit; Regnum etiam Candar, ab Imperio Magni Mogoris Indiarum oriẽtalium Imperatoris eripiens, suo copulauit: plures alias Prouincias, vt Bassoranam conquirere voluit; sed dum actu obsideret, debitum morti nominatus ille Cha Abbas persoluit, suúmque moriens ex primogenito nepotem Regni successorem nominauit.

Post eius obitum Cha Sephi, tum Regnum Babylonis modo iam dicto, tum Regnum Candar proditione Gubernatoris amisit: cùm enim Rex illum euocasset; timẽs ille, ne eadem qua Gubernator Syracensis vir bonus & innocens morte plecteretur, Magno Mogori ciuitatem Candar, simúlque totum Regnum, sui Regis proditor restituit.

Iidem, ac in Europa fructus nascuntur; sed pepones gustui suauissimi, ferè omnes optimi: vnde ordinariè, quo maiores, eò meliores. Fluuij in Perside sunt rari admodùm, & parui; licèt enim totam ferè Persidem percurrerim, non tamen fluuium, qui Druentiam adæquaret, inueni. In tota Perside sunt plures montes, maximè qua parte Babylonem respicit; inter eos sunt aliqui montes salis, & gipsi: sed de his

his expressius agetur in particulari descriptione huius Imperij.

CAPVT X.

Descriptio Regni Persidis.

REgnum Persidis, à quo totum Imperium nomen sortitur, inter sinum Persicum, Parthiam, Chaldæam, & Candar continetur: Plures habet asperrimos montes, plures etiam valles fructiferas, & planities vastissimas; tres tantùm in ea vidi fluuiolos, vnum prope vrbem Maïn; secundum in itinere, quò Lara venitur Syras; tertium quasi in extremitate Persidis versùs Bassoram, & hic maior est aliis.

Plures sunt huius Regni prouinciæ, quæ etiam Regna dicuntur; scilicet Susiana, cuius caput est Suster, hæc Prouincia dicitur etiam Sophiam, siue Cusistan à Cusa ciuitate sita supra fluuium Zennare, olim Eulee: sequitur prouincia Curdistan valde diffusa, à Susiana scilicet vsque Babylonem, cuius ciuitates sunt Malaga, siue Maraga, Coisalma, & Cormaba; est etiam Prouincia Laræ, sic dicta à præcipua ciuitate eius, de qua paulò infra agitur, quæ supra sinum Persicum valde dilatatur; huic ad Orientem adiacet Prouincia item maritima Carmaniæ opposita promontorio Arabico Mossandam, valde montuosa, cuius principalis ciuitas est Kermon, in ea est promontorium Armoze, nunc dictum caput de Iasquete.

Olim caput totius Regni erat Persepolis, cuius ingentes etiam nunc videntur ruinæ: tempore autem Assueri, qui regnauit ab Æthiopia vsque in Indiam, supra Prouincias centum viginti septem, principium & Curia Regni fuit Susan ciuitas, nunc in vrbem exiguam redacta, quæ dicitur Suster; aliqui volunt esse compositam ex Susam & Ester, quæ fuit Regina vxor Assueri,

&

& inuenitur inter Siras & Babilonem: nunc autem caput Persidis est Siras nobilissima, ampla, & visu pulcherrima ciuitas, sita est ad radices montiũ, supra quos sunt plura Eremitarum Mahometicæ legis habitacula; ab ipsa tamen incipit planities vnius ferè diei longitudinis: hæc ciuitas dicitur habere quatuor leucas in circuitu; quia plures continet hortos, & creditur esse antiqua Cyropolis.

In hac ciuitate manet Gubernator totius Regni; qui quando illuc perueni, erat primus Princeps, & diuitiis, & authoritate, & maiestate supra alios totius Imperij Persarum; vocabatur Imongoli-Kam, vir optimæ indolis, nostrísque in hac ciuitate habitantibus maximè affectus: inueniuntur ibi pulcherrimæ domus; præcipuè palatium ab illo Principe constructum; sed hæc ciuitas crudelem eius necem deflet; à Rege enim Sephi inter epulas iussus est occidi, ac caput amputatum ad ipsas deferri epulas: poterat si voluisset, fugiendo mortem deuitare; quandò enim nuntium à Rege missum accepit, certò, & indubitanter credidit se ad necem vocari; sed volens suis prodesse filiis, libenter se obtulit morti: sed & ipse periit, & filij eius à Rege iussi sunt occidi.

Plura sunt in illa ciuitate Mahometicæ templa religionis, ampla & pulcherrima, altis, varióque depictis colore testudinibus; sunt plures turres excelsæ, quæ Ciuitatem plurimùm exornant: vltimis his annis magna domorum multitudo, quæ ex luto & paleis vt plurimùm construuntur, inundantibus aquis corruit; ingens quippe niuis copia supra illos montes ciuitati prominentes deciderat, quæ imbre magno superueniente liquefacta, impetu ad ciuitatem subiectam defluens, plurimas diruit domos: & si nocte hoc accidisset, sine dubio totam euertisset ciuitatem; sed quam citissimè factis plurimis canalibus (omnes enim iussi sunt laborare)

statim

ſtatim illi aquæ torrentes per illam ſe effuderunt planitiem.

Sunt plurimæ circum vineæ, & generoſiſſimum ibi naſcitur vinum:inde enim ad menſam Regis prouidetur: ſunt etiam pulcherrimi horti; vnus quidem eſt,qui præ amœnitate Ferdou,id eſt Paradiſus nominatur: Eſt & hortus Regius, longis latíſque munitus ambulacris, duplici terminatis ordine cupreſſuum, quæ ſunt tam craſſæ, vt vix tres homines eas complecti poſſent, tam altæ, vt globulus catapultæ ad ſummitatem peruenire non poſſit: nec aues exploſis catapultis inde auolant. In medio horti eſt palatium pulcherrimum, cuius aulæ infimæ aliquantum ſupra planum horti eleuantur, circumquaque fluunt riuuli; plurima eſt ibi aquarum copia, quæ totum hortum, arboréſque plurimas fructiferas irrigat, & efficit lacum ſatis amplum quadrato vndique lapide decoratum. Via,qua ab vrbe ad illum peruenitur hortum, eſt pulcherrima, longa latáque:ſimilis reperitur ex alia parte ciuitatis, qua itur Aſpahanum. Hæc ſufficiant pro hac ciuitate,properemus ad alias.

Secunda dignitate huius Regni ciuitas eſt Lara, quæ eſt caput vnius Prouinciæ, ſiue Regni quod ſinum Perſicum attingit; tota illa Prouincia eſt valdè ſterilis,nullæ aut raræ reperiuntur aquarum origines, Ciſternis vbique vtuntur incolæ: Ciuitas ipſa eſt moderatæ magnitudinis; duo rara ibi videntur, ſcilicet caſtellum ex lateribus coctis ædificatum ſupra collem,ad cuius radices ſita eſt ciuitas, eſt pulcherrimum viſu, & natura ac arte munitum; Aliud, quod rarum ibi videtur; eſt Emporium, ſcilicet locus in modum crucis longè latéque diffuſus, fornicibus miro factis artificio contectus; ibi omnia exponuntur venalia: in illo Regno ſunt plura oppida, ſed præcipuè iuxta mare ſunt varij portus, ſcilicet Commoram propè Inſulam Ormuſij, Congo, Nichilu,&c.

Poſt

Post Laram est Ciuitas Auësa, non longè ab Arabia felice distans: sunt etiam Daureca, Casaron, Iaron: vbi magna palmarum copia, cuius fructus suauitate & dulcedine excedit fructum palmarum, quæ alibi reperiuntur; est etiam Main. In eius parte maritima vltra portus assignatos, plures alij reperiuntur, videlicet Assilou, Verdestam, Bandel, Regh, Reghdilem, Rachel & alij: plurima sunt etiam oppida, etsi aliquandò desint, reperiuntur quædam habitacula ad modum Claustri religiosi constructa, ad multos homines recipiendos capacissima, vbi etiam sunt stabula pro animalibus; & hæc non solùm construuntur, vbi non sunt vrbes & oppida, sed etiam in ipsis vrbibus reperiuntur, vbi mercatores ordinariè gratis commorantur: construuntur enim legatis piis mercatorum decedentium ad hoc destinatis; sicut apud nos piorum Eleemosinis Xenodochia ædificantur: cùm enim mercatores plurimùm patiantur frigoris & caloris, tum defectu aliarum rerũ, vbi talia non sunt receptacula; aliorum miseriæ & laboribus compatientes, similia legata pia relinquunt; licèt autem hæc habitacula in locis ab vrbibus & oppidis distantibus construantur; semper tamen in eis aliquis moratur, qui illorum curam gerat, & omnia iter agentium necessitati congrua vendat.

Duobus circiter diebus itineris à Ciuitate Siras versus Aspahanum est locus dictus Cheel-minar, id est quadraginta columnæ, siue turres; ibi enim totidem videntur, éstque mirabilis antiquitas, & memoria Romanorum, vt continuata apud illas gentes fertur traditione; pluribus enim in locis similes antiquitates reperiuntur.

Hoc Regnum est tritici feracissimum: nam iuxta extremam sinus Persici partem, sunt planities vastissimæ, quæ quotannis tritico seminantur, & inde nauibus defertur non solùm Bassoram, & in alias Arabiæ partes, vbi

vbi non nascitur : sed etiam ad Ciuitatem Goënsem, aliásque Indiæ orientalis,vbi præ nimia humiditate (tota enim æstate nostra pluit,vt infra dicetur)non nascitur.

Inueniuntur etiam plures riuuli aquæ salsæ , ad quorum ripas sal candidissimum coagulatur ; imò prope Congo est planities per multa milliaria sale candescens, quod tempore pluuiæ liquescens , ac ita viam penitus delens,maximàm iter agentibus causat confusionem, & molestiam.

Iidem in hoc Regno , ac in aliis nascuntur frùctus, inueniuntur affatim vuæ minutissimæ , ac albæ nulla habentes grana, quas Corinthiacas hîc vocamus : sunt etiam mala persica, at non venenosa, vt hîc fingitur:sed singulariter Regnum hoc, in parte maritima, plures habet palmas;vbi etiam ob adiacentem Arabiam , lingua Arabica communiter inualuit;sed in interiori eius parte lingua Persica, vt in propria patria sedem habet.

CAPVT XI.

Descriptio Regni Parthorum.

PErsidi adiacet Parthia, quæ est centrum siue medium Imperij Persarum, in ipsáque sistit Curia Regis;hæc Regio, sicut & aliæ plurimos habet montes & colles,ac in amplas diffunditur planities : in ea solum vidi fluuiolum, qui vocatur Sender aut Bendemir , qui ad mœnia Aspahani præterfluit ; ipsum Cha Abbas vnito alio fluuio nauigabilem voluit reddere ; sed quia mons integer scindédus erat; vt isti duo fluuij vnirentur,in quo monte præ nimio frigore solùm per tres aut quatuor menses æstatis laborantes operarij consistere poterant, ideo Chæ Sefi eius successor longitudine & difficultate operis pertæsus , ab intentione aui sui recessit.

Plures habet ciuitates; sed prima ac inter alias nobilissima est Aspahan, caput imperij,Regísque curia:hanc

ex paruis principiis, translata ibi ex Casbin curia, Rex Abbas plurimùm auxit: cùm enim aliquam de nouo capiebat vrbem, vel totum populum, vel magnam illius partem illuc transferebat;maximè ex Tauris & Chulfar habitatores prouidit: vnde est amplissima ciuitas;intus enim plures & latissimos continet hortos, est in latissima planitie sita, variis irrigata riuulis; multa sunt in ea visu pulcherrima,in desinenti ciuitatis est via admodùm lata, ad tria ferè milliaria in longitudinem procurrens, hinc inde platanis mirificè ordinatis, ac præcelsis ex parte consita:incipit à domo Regia, & ad hortum Regium amœnissimum, ac amplissimum rectissimo tramite terminatur; in eius medio fluens per lapideum canalem riuulus, qui variis ex lapide quadro miri artificij receptaculis identidem receptus, totam dimetitur: Circa medium viæ est pons longissimus, lateribus coctis mirabili dispositis arte constructus, sub quo fluuiolus, de quo supra egi, hieme præsertim niuibus,& pluuialibus aquis dilatatus præterlabitur: hinc inde per totam ferè viam reperiuntur domus exiguæ;sed pulcherrimæ, æquali spatio circiter quadraginta passuum ab inuicem distantes, auro variísque picturis, etiam de foris exornatæ, quibus pulchri & magni adiacent horti.

Ante Regis palatium est platea, quingentorum circiter passuum longa, & centum quinquaginta lata, vndequaque similibus arcubus ex latere cocto constructis circumdata, riuulo circumcurrente iucunda; in cuius principio est nobilissimum, ac amplissimum ciuitatis templum, lateribus deauratis, & cæruleis Persico charactere descriptis vestitum, ac quasi in modum crucis dispositum: tres in eo sunt capellæ, maior est opposita portæ principali, & duæ sunt collaterales se inuicem respicientes;ipsum verò medium est cœlo apertum,amplo aquarum receptaculo quadrato lapide constructo, ad sua lauatoria orationem præcedentia destinato occu-

patum:

patum: in eius frontiſpicio auro & picturis fulgentiſſimo, ſunt duæ ſimili artificio & pulchritudine constructæ turres, & in capella maiori eſt alta, & viſu pulcherrima teſtudo lateribus varij coloris operta. E parte dextera eſt aliud templum rotundum, ſed exiguum, cui à fronte opponitur aditus palatij Regij; quod & in frontiſpicio, & intus auro aliiſque exquiſitis laboribus magnificentiſſimè decoratur, ſicut & aliæ aliorum Principum domus: Palatium eſt ampliſſimum, horto amœno circumdatum, qui firmiſſimo & altiſſimo vallatur muro; pręter aulas & cubicula ad Regis & Officialium eius vſui neceſſaria, ad interiorem circuitus partem eſt palatium vaſtiſſimum pro omnibus, quas alit, vxoribus & concubinis, aliiſque fœminis earum miniſterio deputatis. Rex magna ſe tractat grauitate, ferculis quippe aureis, aliiſque correſpondentibus ex auro fabrefactis vtitur. In inferiori plateæ loco, qui templo illi magnifico reſpondet, eſt vicus circumquaque muris circumdatus, qui noctu clauditur, vbi omnes merces pretioſiores diſtinctis habitaculis aſſeruantur. Illi arcus totam plateam circumdantes duplici ordine ſibi tamen correſpondente formam religioſi clauſtri exprimunt: inferiores efficiunt porticus, ſuperiores habitationi mercatorum aliorúmque, vnà cum retropoſitis cubiculis deſeruiunt. In illam plateam concurrit infinita quotidie vendentium, & ementium multitudo. Multa habet hæc ciuitas templa ſuis turribus exornata; multa item habet pulchra & commoda, adinſtar clauſtri, mercatorum receptacula, quæ lingua Perſica Carauanſara vocantur. Multi in illa reperiuntur Europæi mercatores; ibi Angli, & Batavi procuratores habent; Galli, Itali, Luſitani, & alij quotidie appellunt: ſunt etiam tres Religioſi ordines; noſter ſcilicet Carmelitarum Diſcalceatorum, Sancti Auguſtini, & Capucinorum: Auguſtiniani paucis ante nos annis illuc ex Indiis orientalibus venerunt;

F 2 . vnde

vnde recepti ſunt tanquam Legati à Rege Luſitaniæ miſſi; Nos quadraginta ab hinc annis miſit Clemens Octauus; vnde tanquam Nuntij Pontificis habemur: Vltimis tandem his annis miſſi ſunt patres Capucini,& tanquam Legati Chriſtianiſſimi noſtri Regis admiſſi. In illa planitie, in qua eſt Aſpahanum, ſunt infinita propemodum circumquaque oppidula; plura de hac ciuitate breuitatis causâ prætermitto.

Ad vnum milliare vix diſtat Aſpahano vrbs, in qua adducti ex capta patria habitant Armeni, quam Chulfar nominant, ampla ſatis, aquis irrigua, pulchris ornata domibus, ditiſſimis habitata mercatoribus: Sex aut plures habet Eccleſias; ſed præcipuè eſt monaſterium Religioſorum, qui ſe dicunt S. Anthonij, nobis in ſuis obſeruantiis ſimillimi; plurimùm enim ieiunant, carnibus abſtinent, aſſiduè alternatis vigiliis pſallunt, nigro pallio ſecundùm formam habitus, cum quo depingitur S. Antonius, veſtiuntur, Caputium in occipitio cacumen habet; interius autem melotem ſiue veſtem pelliceam, etiam æſtate deferunt, cilicium continuò geſtant; non tamen nudis incedunt pedibus, barbam alunt, cellulæ ipſorum ſepulchri ſpeciem præferunt, ipſos enim vix capiunt, humi ſupra lodicem dormiunt, nobis præ aliis Religioſis ſunt affecti, propter obſeruantiæ ſimilitudinem; & maximè in carnis abſtinentia: rarò miſſam, ſed magna cum ſolemnitate celebrant, eſt etiam in eadem vrbe monaſterium monialium Armenarum, quod titulo Sanctæ Thereſiæ propter mutuum in nos amorem decorarunt.

Poſt Aſpahanum, ſtatim ordine dignitatis ſequitur Casbim, ciuitas ſatis magna; ſed propter aëris inclementiam à Rege Abbas relicta, curiæ honores perdidit; eſt ſita in extremitate planitiei latiſſimæ ac longiſſimæ, in qua plurima videntur oppida: decem circiter diebus itineris diſtat Aſpahano; hanc ciuitatem, olim dictam Arſaciam,

Arſaciam, aliqui & fortè melius conſtituunt in Regno Medorum: in ea eſt palatium Regium maximum. Deinde ſequitur ciuitas Caſſan, vbi eſt hortus Regius, & receptaculum mercatorum; omnium, quæ in Perſide viderim, maximum & pulcherrimum. Deinde eſt Amadã, paucis ab hinc annis à Turcis diruta & ſolo æquata. Item eſt vrbs Como. Item Saua, aliæque plures, pluráque oppida; quæ omnia, ne nimia prolixitate lectori faſtidium ingeram, libenter omitto.

In hoc Regno plurimum orizæ colligitur, eoſdémque fructus habet, quos alia vicina Regna; ſed non alit præ frigore palmas: aër vt in plurimùm eſt ſaluberrimus; maximè Aſpahani, vbi ferè nunquam nubibus tegitur, raróque pluit; & ita tellus ſolis niuibus adaquatur, vel aquis putealibus irrigatur: ita autem ſiccus ac ſubtilis eſt, vt ſtatim omnes exſiccet humores, caro animalium occiſorum per viginti & amplius dies incorrupta perſeuerat.

CAPVT XII.

Deſcriptio Regni Medorum.

MEdorum Regnum mari Caſpio, Armenia maiori, Parthia, & Aſſyria terminatur: partim in montes aſſurgit, partim extenditur in planities, aliquos habet fluuiolos; maior omnibus, quos ibi viderim, inter montium anguſtias propè Mianam vrbem (qui locus eſt latrociniis infeſtus) præterfluens, multóſque riuos colligens ad mare Caſpium decurrit.

Illuſtres habet hoc Regnum ciuitates, caput eius eſt Tauris nunc, olim Ecbatanis, vbi curia Regum Perſarum extitit; maximè ſub Coſroa Rege; ibi enim locum vidi inter quatuor pyramides, vbi Crux Chriſti Domini captâ Hieroſolimâ in Perſidem tranſlata collocata fuiſſe traditur; hæc enim inter Chriſtianos ibi commo-

rantes traditio perſeuerat. Ciuitas iſta eſt adhuc ampliſſima, illam Rex Abbas, vt dictum eſt, Imperatori Turcarum fraudibus ereptam Perſarum vniuit Imperio, caſtellũ autem eius ex parte deſtruxit, mœniáque ciuitatis euertit; vt ſi Turcæ illam caperent, diu ob nimiam à Conſtantinopoli diſtantiam, & Perſidis continuitatem, conſeruare non poſſent: de facto, cùm adhuc eſſem in Oriente, à Turcis capta, direpta ac pene diruta eſt; ſed ob difficultatem conſeruandi, iterum eſt derelicta. Antequam deſtrueretur, erat ditiſſima & maieſtate plena, vt ex ruinis eius apparet: in ea plura vidi templa lateribus auro & picturis variegatis conſtructa, quæ priſtinam ciuitatis nobilitatem & magnificentiam teſtantur, plures adhuc & præcelſæ conſpiciuntur turres in illo, quod dum erat integra continebat, ſpatio diſperſæ.

Ex quo à Perſis capta eſt, à ſuo decidit ſplendore & pene habitatoribus eſt nudata, & deſtructis ædificiis euacuata, ac in deſertum maiori ex parte redacta; prius caſtellum, quod ſemidirutum apparet, erat coniunctum ciuitati; nunc autem plurimùm diſtat; ántiquæ ciuitatis portæ nunc ab ipſa multùm apparent diſſitæ: nullam in toto Oriente vidi ciuitatem, quæ antiquæ ſuæ gloriæ expreſſius monumentum repræſentet, ac defleri mereatur: nunc deſolatam ac pene collapſam eſſe poſt meum audiui reditum; tanto enim terræmotu concuſſa eſt, ſicut ab vno è noſtris Religioſis inde de nouo veniente audiui, vt maxima domorum pars corruerit: En ſtatum nobiliſſimæ illius ciuitatis, quam Arphaxat Rex Medorum, poſt ſubiugatas Imperio ſuo multas gentes, ædificatam appellauit Ecbatanis, cuius muros ex lapidibus quadris conſtructos fecit in latitudinem cubitorum ſeptuaginta, & in altitudinem cubitorum triginta; Turres verò eius poſuit in altitudinem cubitorum centum.

Sita eſt ad radices montis Orontis, nunc dicti Kara-

bag

bag visu pulcherrimi; variis enim depictus coloribus speciem Iâspidis repræsentat; ex alia verò parte amplissima decurrit planities, ex qua eius ædificia conspecta oculis arrident; in illa planitie sunt aquarum riui maximè vnus, qui pluuiis ac niuibus liquefactis intumescens latè diffunditur, nec nisi ponte lapideo ibidem extructo, ac pluribus arcubus aperto pertransiri potest. Ibi supra montes proximos toto anno nix copiosa videtur, hanc ego vidi mense Iulio: Ciuitas illa est emporium ditissimum, propterea citò restauratur; est enim in medio plurium Regnorum & Prouinciarum, in quibus variæ & pretiosæ merces reperiuntur; inde enim habet Aspahanum, vnde plures merces orientales & aromata afferuntur; habet Regnum Ghilon prope mare Caspium, vnde immensa serici prouenit copia, hac etiam ex vicinis defertur Prouinciis magna multitudo lapillorum cæruleorum, quos Turchinos vocant; & multi in Perside in fodinis cærulei coloris, qui ibi perfectissimus est, & vltra marinus hîc nominatur; passim reperiuntur. In hac ciuitate conueniunt mercatores ex Armenia, Iberia, Polonia, Moscouia, Constantinopoli, Smirna, Aleppo, Trabisonda, aliisque ex Regnis, in quorum medio sita est ciuitas; ibique commeatus instituentes emptas merces in suas transportant patrias. Ibi generosi, iique plurimi sunt equi; plurima siquidem millia in vastissimis pratis non multùm inde dissitis prætereundo vidi, qui ad Gubernatorem Tauris nomine Rostan-Kam (quem honoris causa vt pote Christianis affectum nomino) pertinere dicebantur: Et hæc pauca de insigni illa Ciuitate sufficiant.

Post Tauris primum inter altas huius Regni Ciuitates obtinet Ardeuilla locum, trium itinere dierum distat à Tauris; hæc præ aliis gloriari potest, quòd Imperij Persici sit exordium ac fundamentum, vt supra dictum est; nec minorem confert illis honorem ac decus,

quòd Regum Perſidis ſepultura ſit, vbicumque enim moriantur, ſe illuc Reges transferri iubeat, vt in ſepulchro parentum ac prædeceſſorum Regum quieſcant. In templo vbi Reges ſæpeliuntur, plures quotidie pauperibus erogantur eleemoſynæ: hæc eſt patria Xeque Aidar patris Iſmaël Sophi Regni Perſici reſtitutoris.

Tertia ſequitur ordine dignitatis Sultania, ſeptem à Tauris diſtat diebus versùs Aſpahanum, eſt pulchra viſu, mediocris magnitudinis, in amœna planitie collocata: in ea templa aliqua & domus pulchræ conſpiciuntur, ibíque Regius eſt hortus; in ea quippe Rex Abbas ſæpe morabatur, tum cauſa delitiarum, tum vrgentium in illis partibus contra Turcas occaſione bellorum; quod non parum ad huius Ciuitatis ſplendorem conducit: ibi iam apud vulgus linguą Perſica non reſonat; inde versùs Tauris Turcica incipit eſſe vulgaris; & ni fallor nullibi, præter hîc, apud plebem in vſu habetur.

Quarta eſt Farabat versùs mare Caſpium collocata, vbi magna ſerici copia colligitur. Eſt etiam vrbs Amarant antiqua, duobus versùs Armeniam à Tauris diſſita diebus. Eſt etiam Sophian in fine planitiei, in qua eſt Tauris, itinere vnius diei ab ipſa diſtans, vrbs antiqua & celebris: Ex alia verò parte eſt Miana, duobus fluuiolis irrigata; ſed hæc tota Regio illatam ſibi vltimis his temporibus ab exercitu Turcarum vaſtitatem hactenus deflet, ac demonſtrat.

Præter vrbes iam nominatas aliæ plures, plurimáque oppida circumquaque ſita reperiuntur, ibíque victui neceſſaria vili pretio venduntur; fructuum, qui hîc apud nos videntur, ingens eſt abundantia; ſed vuæ citius ibi, quàm hîc matureſcunt, ſecunda enim qua Tauris exiui die, ſcilicet decima octaua Iulij, prope vrbem Amarant homines versùs Tauris vuas deferentes vendendas inueni.

CAPVT

CAPVT XIII.

Descriptio generalis Indiarum Orientalium.

INcipit India Orientalis à fluuio Indo, qui in parte maritima Regni Sindi Persis finitimi partim influit Oceanum, & terminatur propè Chinam; est Regio vastissima ditissimáque, pluribus Dominis, Regibus, Regulísque subdita.

Primus Indiarum orientalium Rex; qui præ potentia, diuitiis, & dominationis amplitudine nomen Imperatoris meretur, maximè quia multi ex aliis Regibus ei tributum quasi subditi soluunt, vocatur Magnus Mogor, qui ab Indo fluuio, à quo India nomen sortitur, vsque ad Gangem longè latéque pertingit imperando. Hæc Mogorum progenies Regum antiquis in India nequit iactari prædecessoribus: vix enim octo agnoscit, qui à magno orti Tamerlano ferè totius Indiæ orientalis principatum per fas pérque nefas, multis debellatis ac extinctis Regibus vsurparunt, ac ita plurima sceptro suo ac coronæ Regna substrauerunt: habent vltra Indum fluuium Regnum Candahar Persis nouissimè ereptum; huic citra Indum proximum adhæret Regnum Sindi, pinguissimis Indi fæcundissimum aquis, ac cursu iucundissimum: cuius caput est Tatta ciuitas amplissima, in qua nostri Patres multis ab hinc annis hospitium erexerunt. Postea sequuntur Regna Agra; Lahor siue Multon, Deli, Mandao, Citor siue Sunga, Vtrad, Caximir, Xischande: hæc à mari remota; mari verò proxima sunt Regna Guzarati siue Cambaiæ, Decan, Bengalæ & alia: præcipuè ciuitates sunt Agra, Lahor, Cambaia, Tatta: plures Reges Indiæ sunt eius tributarij, eius redditus pene incredibiles ad centum sexaginta septem milliones auri crescere dicuntur.

Curia Regni eius in ampla ciuitate Agra ordinariè

commoratur, cui Persica lingua vulgaris est, magnificum habet Regis palatium; in quo superbissimis ex auro, gemmis, lapilisque Thronus, multis pretiosor millionibus, vt ab eius artifice Gallo nomine Augustino Hiriart audiui, conspicitur: hunc sibi Rex Selim vir optimus, ac Christianis plurimùm affectus iussit præparari, huic filius vel nepos nomine Corron successit, non iure hæreditario, sed vsurpato per vim tyrannicam Regno. Et superbus, crudelissimus, ac Christianis hostis infensissimus, qui viuente adhuc Selim rebellionem intentauit; iussit nostrum Sindense destrui hospitium, Patres Iesuitas in sua curia tempore patris florentes penè extinxit, capto portu Lusitanorum in Regno Bengalæ multos Christianos martyrio consumpsit, suæ quippe Mahometicæ legis zelo exardescit.

Regnum hoc Mogoritanum, & aliqua alia Regna Indica, partim Mahometanis, partim Gentilibus incolis componuntur: vnde oppida Gentilium inde, hinc verò Mahometanorum conspiciuntur; imò Ciuitates, & Gentilibus, & Mahometanis habitantur, Gubernatores tamen, sicut & Rex Mahometicam profitentur legem. Ex illo Regno nullæ exeunt pecuniæ: vnde non ex puro auro, vel argento; sed metallo mixto conflantur: multæ verò in illud deferuntur, quia variis abundat mercibus, quæ ibi coëmuntur: Plura alia de hoc Regno describenda occurrerent; sed quia non vidi, leuiter tantùm attinguntur.

Post Imperatorem Mogoritanum sequitur Rex Dialcha siue Dialkam, qui Regnum suum potens & magnum propè ciuitatem Goënsem habet, cuius olim erat particula, sed nunc à Lusitanis conseruata: Curia eius Regni est ciuitas tripartita Visapor, plures alias habet vrbes, vt Dabul, Reiapor, Punda, aliásque plures ac plurima oppida: est religione Mahometanus, eandémque legem præcipui eius ministri profitentur; quamuis

maior

maior pars regni Gentilis exiſtat. Solent omnes Luſitanorum Proreges, quando de nouo Goam veniunt, pretioſum aliquod munus ad illum mittere, quo firmior & diuturnior pax inita inter Regem Luſitaniæ, & illum conſeruetur; vocant enim ſe fratres in armis: Legatus illius Regis ſemper Goæ aſſiſtit, Luſitani autem ad illum Regem Legati non mittuntur, niſi ſpecialis aliqua neceſſitas vrgeat, quamuis dum eſſem in Oriente, Prorex duos è noſtris Patribus ad illum Regem miſerit, vt ibi titulo Legationis manerent, & animarum conuerſioni attenderent, ſed præcipuè ex illis videlicet R. P. Leandro ab Annunciatione, de quo infra agetur, mortuo, totum hoc negotium irritum fuit.

Tertius eſt Rex, cuius Regnum à principali eius Ciuitate Cochim, in qua Rex moratur, nomen Cochinenſis habet; hic Rex fuit ſemper fideliſſimus Luſitanis, & licet alij penè omnes bella aduersùs eos mouerint, hic vnicus conſtans etiam in ipſo principio eos benignè recepit; & licèt propter hoc aliis inuiſus eſſet, tamen locum ad condendam Ciuitatem, nomine Cochim vltrò conceſſit, illámque perpetuò dilexit, & quaſi propriam conſeruauit: vnde in Conſulũ electionibus, ac in aliis cõgreſſibus publicis; ipſe Rex aſſiſtit, habet enim ſuum palatium in Ciuitate Cochim ſuperiori, huic quæ Cochim inferior dicitur adiacente. In hoc Regno homines ſunt nigri admodum, ſicut & in aliis Prouinciis mari proximis ad Auſtrũ accedentibus. Ibi reperiuntur Chriſtiani Catholici dicti Sancti Thomæ, qui in ſuis officiis lingua vtuntur Chaldaïca, ſuũ habent Archiepiſcopum vnius ſemper ordinis Religioſum; hæc enim religio quaſi hæreditario iure hunc Archiepiſcopatũ poſſidet; vnde viuente Archiepiſcopo ſucceſſor eligitur, quod illos maximè irritat Chriſtianos, qui propterea ſæpe ſchiſmata fouent. In hoc regno mulieres pluribus nubunt viris, vnde non eſt, qui proprios agnoſcat filios: &
ita

ita ipſe Rex non filios ab vxore propria genitos, ſed ſororis filios Regni hæredes conſtituit, quod proportione ſeruata in aliis obſeruatur; dicunt enim hos citra dubium ſibi eſſe conſanguineos.

Sequitur Rex Samarin, qui ſuam in Ciuitate Calecut tenet curiam, hic infenſiſſimus ſemper Luſitanis extitit inimicus, ac ſæpe ad illorum deſtructionem, ac extinctionem conſpirauit. Dum eſſem Goæ rumor increbuerat, ipſum velle fieri Chriſtianum; ſed breui totum euanuit. Prope caput Comorynum ſunt plura oppida Chriſtianorum, quos Sancti Franciſci Xauerij denominant, hi quippe ab illo Sancto Indiarum Apoſtolo, cuius corpus ſæpe Goæ in domo profeſſa Societatis vidi, fidei Chriſtianæ ritibus fuêre inſtituti, ibi aliqua Patrum Ieſuitarum ſunt hoſpitia.

Vltimis his annis à Magno Mogore ſuperactus ac extinctus fuit quidam Rex ſatis potens, qui vocabatur Meliq Cambar, cuius Regnum circa Chaülum extendebatur; habet caſtrum ſupra rupem inexpugnabile, quod aditum ipſi Mogori ad partem maritimam excludebat, ſed eo licèt magno cum labore capto, totum illud Regnum facilè occupauit, ſuóque vniuit Imperio. Sunt alia inſuper minora Regna ſuis ſubordinata Regulis, qui tamen ferè omnes Magno Mogori tributum ſoluunt: Eſt Regnum Colconda, vbi adamantes in terræ viſceribus inueniuntur, ſolet Rex hæc mineralia locare, ſed maiores ac ſpecioſiores ſibi reſeruat.

Omnia ſupradicta Regna ſunt Regum Mahometicæ legis: inueniuntur alia, quæ quia non vidi, propterea ſolùm quædam indico, ſcilicet Gingi, Taniaor, Madurè & plura alia, quæ ſunt Regum Gentilium, quos Naiques vocant, imò eſt vnum non Regi, vt audiui, ſed tantùm Reginæ ſubordinatum, vocatur autem Regina Olalæ, cui omnes viri tanquam clientes obediunt; filiæ enim, non filij, in Regno ſuccedunt. Inter illos Genti-

les

les hoc eſt mirabile, quòd ſi quis iter agat, & ſecurum viæ comitem habere velit, non hominem, ſed puerulum alicuius viri grauis aſſumit, & quo minor eſt, maiori incedit ſecuritate; plus enim honoris & reuerentiæ puerulis, quàm propriis illorum patribus exhibetur.

Vltimò tamen eſt ditio Luſitanorum infra ſpecialiter deſcribenda; hi adinuenta noua nauigatione, ſuperatóque promontorio bonæ ſpei, emenſis penè ſex millibus leucis, infinitis laboribus exhantlatis, & naufragiis ſæpe factis extinctam Chriſti fidem in Indiis ſuſcitarunt, & Sancti Thomæ Apoſtoli ſucceſſores effecti, plurimos conuerterunt, multíque pro eadem fide martyrio coronati ſunt: hæc omnia ſunt citra Gangem, nam etiam vltra ſunt plura alia Indiarum Regna, quarum præcipua ſunt Arracan, Pegu, Sian, Camboya, Cochinchina.

CAPVT XIV.

Deſcriptio partis maritimæ Indiarum.

GLoria & decor Indiarum in ipſa parte maritima maximè comparet; ibi enim quidquid intus variis in locis naſcitur, aut fit, aſportatum reperitur: ibi littora amœniſſima, arboribus præcipuè palmis conſita proſpiciuntur, ibi frequentes vrbes, frequentiora cernuntur oppida: primò enim à parte Septentrionali prætermiſſis aliquibus non ita notis, eſt vrbs Diuienſis iam ſuperiùs deſcripta: Deinde eſt portus Surrati vbi Angli & Bataui mercatores ſuas habent reſidentias, ac procuratores qui merces ex Imperio Mogoritano illuc tranſlatas emant: ſequitur Cambaia ciuitas ampliſſima, quæ proprium ſibi Regem ibi commorantem non multis abhinc retro annis agnoſcebat, nunc Mogoritano ſubiacet Imperio, ſicut & Surratum, ibi varij taríque

que ac multi pretij lapides inueniuntur, vnde multi pro ſtructura capellæ pretioſiſſimæ ac in toto orbe ſingularis magni Ducis Etruriæ dicuntur aſportati. Prope hanc ciuitatem in quodam ſinu Indici oceani fluxus ac refluxus aquarum tanto impetu procurrit, vt ibi naues expanſis vento in contrarium fortiter impellenti velis, iactâque anchorâ illi reſiſtere non valeant; vnde eſt locus periculi plenus; ſæpe enim naues ſe inuicem collidentes confringuntur, ac ſubmerguntur, & ita Nautæ illuc tendentes aquis viuis, vt vocant, ſcilicet quo die Lunæ mare plurimùm creſcit, portum illum ingrediuntur, ibíque naues poſitis vndique adminiculis in ſicco relinquunt, eaſque mercibus per integrum menſem onerant, expectantes alium incrementi diem, vt inde proſpero fluxu exire poſſint, qui vt dicitur Equum laxis habenis totóque impetu currentem præcurrit.

Poſt Cambaïam ſequitur vrbs Daman, ditionis Luſitanorum, quam cùm adhuc eſſem in Indiis, Magnus Mogor obſeſſerat, ſed pace inita receſſit. Deinde eſt Baſſainum ciuitas Orizæ ac ſaccari feraciſſima, quæ maris inundatione vltimis his annis pene deſtructa fuit; tanta enim fuit in mari tempeſtas, vt ad multa milliaria intra terram & arbores naues tranſmiſerit: hanc credunt fuiſſe ſuſcitatam ad caſtiganda populi peccata; nam & Cruces & alia multa euertit, ſolum patibulum Iuſtitiæ inſtrumentum relinquens intactum: In illa Ciuitate eſt Imago Beatiſſimæ Virginis miraculoſa, maximæque deuotionis, apud Gentiles etiam, qui turmatim ad offerenda munera quotidie concurrunt, ob miracula in ipſis patrata; non tamen propterea conuertuntur: vocatur Noſtra Domina de remediis, eſt extra ciuitatem in Eccleſia Patrum Sancti Dominici, qui alium intra Ciuitatem habent Conuentum; ſunt etiam alij Conuentus, vt Ieſuitarum, Sancti Franciſci, Sancti Auguſtini; nobis etiam

vnum

vnum cum reditibus obtulerunt; ego enim epiſtolas Conſulum ac conſilij ciuitatis directas Proregi, ab ipſo licentiam fundandi exorantes, nobíſque fundationem maximo affectu offerentes accepi; ſed ob generalem fundandi prohibitionem ab ipſo Hiſpaniarum Rege factam non fuit acceptatus.

Deinde occurrit Chaülum, vrbs parua; ſed amœna valde, ac mercimoniis diues; ibi eſt Caſtrum à ciuitate remotum aliquantulum, ibi enim mare influit intra terram, fretum efficiens, ex cuius vna parte eſt Caſtrum freto imminens; ac proinde nihil ingreditur portum, niſi annuente caſtri Duce; ſed quomodo miraculosè ſit captum poſtea dicetur: Ex alia verò parte eſt Çiuitas ſatis munita. Inde ſequitur Danda, poſtea Daboul paucis abhinc annis ab Anglis pene deſtructa, deinde Reiapor; exinde Goa Ciuitas nobiliſſima, quæ peculiari digna eſt deſcriptione. Vlterius ſequitur Calicut, poſtea Cochinum, vltra verò caput Comorynum eſt Ciuitas Meliapor, ſic dicta ob multitudinem pauonum qui ibi reperiuntur; vulgò tamen dicitur ciuitas Sancti Thomæ, quia ibi Sanctus ille Apoſtolus martyrio coronatus eſt: hîc prope eſt caſtrum Batauorum dictum Paliacati: ex induſtria ſtudens breuitati omnia oppida, aliquáſque prætermiſi vrbes, celebriores tantùm referens.

In toto illo tractu maritimo ſunt infiniti propemodùm portus, iíque optimi, quidam ad excipiendas maximas etiam naues idonei: à Goa enim vſque Chaülum per ſpatium ſexaginta leucarum ſunt ferè triginta portus, inter quos ſunt optimi ac profundiſſimi, Goæ, Reiapor, Daboul, Danda, & Chaül: hi autem omnes portus natura, non arte facti ſunt; mare quippe in illis locus quaſi flumina efficiens, ac plura ſæpe milliaria intra terram procurrit: ſed omnes hi portus tempore hyemis modo deſcribendæ, arenâ ventorum vi, in mare proiectâ clauduntur; recedente hyeme, ceſſantibus huiuſmodi

iuſmodi ventis, contrariiſque flantibus iterum aperiuntur: propterea nullus tunc mare Indicum nauigare poteſt cùm præter tempeſtates tunç continuas quæ naues ad terram proiiciunt, non ſint portus ad quos ſe recipere poſſint: ſolùm duo in tota illa parte maritima ſunt, qui non claudantur, ſcilicet Membaini propter latitudinem, & Mormogani prope Goam; quia ibi ventus non dominatur, & ita ſi forte fortuna hyems aliquas naues in mari intercipiat, niſi ad vnum ex iſtis portum ſe recipere poſſit, infallibiliter naufragium patientur.

Hyems in India non eſt rigida præ frigore, nunquam enim plus friget quàm hîc menſe Maio; ſed propter continuas pluuias hyems denominatur: non enim annus in quatuor partes, ſicut hîc diuiditur; tempus veris aut autumni non agnoſcitur, ſolùm æſtas & hyems nominantur; quatuor menſibus, ſcilicet Iunio, Iulio, Auguſto, & Septembri, quibus continuò pluit, hyems durat; aliis verò octo reliquis æſtas computatur: hoc Diuina prouidentia factum eſt, vt his quatuor menſibus, quibus intolerabiles eſſent calores, continuis aër refrigeretur imbribus: menſibus Nouembris, Decembris, & Ianuarij aliquantulum friget; non ita tamen, vt igne opus ſit; tunc enim flant venti orientales è terra procedentes, deinde Februario incipit caleſcere, & tunc vuæ matureſcunt; menſe Martio & Aprili multùm intenditur calor, ſed menſe Maio eſt pene intolerabilis; præ calore ſiquidem, & continuo ſudore pellis corporis ex parte exuitur: ſolùm vbi ſpirat ventus, aër refrigeratur; inferiores enim partes domus ſunt calidiores; in fine autem Maij, ſiue in principio Iunij, mirabili Dei prouidentia, flant infallibiliter quotannis venti à mari, qui nubes imbriferas ad terram impellunt, quæ continuis imbribus calorem refrigerant; aërem autem adeo humectant, vt licèt hoſtiæ non aſſumantur niſi tempore

offertorij,

offertorij, & intra pannos siccæ conseruentur, antequam tamen consecrentur, ita sunt humidæ, vt instar cartæ madefactæ inclinentur, nisi eleuentur vel supra patenam, vel in superiori parte assumantur: tecta etiam domorum, natis præ humiditate herbis, virescunt; ita vt ciuitates prata videantur: non tamen imbres tota hyeme æqualiter decidunt; in principio enim continuò & affatim per quindecim, aut viginti dies sine intermissione fluunt, & ita aër nubibus condensatur, vt Sol penitus non compareat; imò in meridie crepusculum esse videatur. His diebus elapsis imbres paululùm cessant; licèt quotidie, ordinariè loquendo, pluat parùm aut multùm: iterum mense Iulio copiosi ac continui imbres per multos dies decidunt, quibus transactis rigor hyemis transiuit; non enim postea tam frequentes cadunt imbres, sed vel intercalatis diebus, vel noctibus veniunt; tunc enim, scilicet mense Augusto, repentinæ ac citissimæ eleuantur è mari nubes, quæ plurimùm aquæ effundunt; ita vt diluuium videatur, sed citò prætereunt, & ad interiores terras deferuntur, sic pertransit Augustus: Septembri iam rari sunt imbres, Octobri sunt rarissimi, aliis mensibus penitus non sunt.

Quando incipiunt imbres, agricolæ orizam seminant, quæ postquam nata est, solet transplantari, vt melius crescat: tota India maritima est orizæ feracissima, præcipuè in ditione Barcelor & Mangalor tanta crescit abundantia, vt inde trecentæ & amplius naues onustæ, ter aut quater in anno, veniant Goam; oriza enim est quotidianus hominum cibus, nunquam enim ibi mensæ sedent, nisi oriza compareat; quam vel cum pisce salso, vel cum fructibus in aceto conditis, vel aliter; manu, non cocleari vtentes comedunt, imò pauperes non panem, sed solam orizam manducant. Bassaini est etiam magna orizæ copia, vbi reperitur quæ-

dam minutiſſima odorifera ac delicatiſſima: vbi ſunt aquæ riuuli: bis naſcitur oriza in anno; niſi enim continuò aqua humectetur, ſtatim areſcit: Ibidem, ac etiam alibi per totam oram maritimam, maximè Bengalæ ſunt frequentes ſaccari arundines; & ita communiter Luſitani, præſertim infirmi cibos, aut mala aurea, citronica, aliáque ſaccaro condita manducant.

Vltra caput Comorynum incipit hyems, quandò citra caput deſinit; licèt quantum ad alia, nullum penè diſcrimen inueniatur.

CAPVT XV.

Deſcriptio Inſularum Maris Indici.

PLures ſunt in Orientali Oceano, eæque celeberrimæ Inſulæ, vtpote Inſula Sancti Laurentij, Sumatra, Iaua maior & minor, Iaponenſis, & Moluciæ. Vbi nux muſcata & clauus aromaticus naſcuntur. Item Philippinæ, Inſulæ Nicobar, aliæque plures: ſed meum hîc intentum eſt, illas præcisè referre, quæ iuxta oram Indicam ſitæ reperiuntur; aliis exigui momenti ſilentio prætermiſſis: ſolius Inſulæ Ceylam, quam Taprobanam ab antiquis nominatam communis tenet traditio, ac Maldiuarum mentionem faciam.

Inſulæ Maldiuæ dicuntur eſſe vndecim mille, Cochino non multùm diſſitæ; illarum incolæ ſunt Mahometani, quamuis nunc illorum Rex ſit Chriſtianus; Goæ tamen inhabitans: poſtquam enim Luſitanorum induſtria in Chriſtiana fide inſtructus ac baptizatus fuit, nec non Luſitanæ nobili fœminæ, quam ſæpe vidi, matrimonio iunctus, maior Inſularum pars ſe ab eius dominio ſeparauit, & ita Goæ ſecuritatis causâ habitare coactus eſt, eo præcipuè animo, vt à Prorege Indiarum claſſem Nauticam ad ſubiugādas ſibi rebelles Inſulas obtineret: ſæpe de his Regem Hiſpaniæ certiorem

rem fecit rogans hanc ſibi claſſem dari, imò & Luſitaniam ea de cauſa petiit, à Rege obtinuit quod poſtulabat; ſed Proreges Indici nunquam Regis imperium, ſiue verum vt extrinſecus apparebat, ſiue fictum vt creditur, executioni mandarunt; vnde Regno expulſus mortuus eſt: huic ſucceſſit filius Philippus nomine, medij coloris ſcilicèt ſubobſcuri participans aliquid de nigredine patris, & aliquid de albedine matris, hunc ſæpe viſitaui & allocutus ſum, mecum conuenerat vt ſimul in Europam veniremus; credebat enim ſe præſentia obtenturum à Rege Hiſpaniæ, quod per epiſtolas non poterat; videbat enim, aut eius mandata non eſſe efficacia, vel ſaltem in India derideri: non multos habebat reditus; ſolæ enim aliquæ Inſulæ eius Imperio ſubordinatæ perſeuerabant: mortuus eſt etiam hic adhuc iuuenis innuptus, vnde Regni ſucceſſorem reliquit ſuum ex ſorore nepotem; quamuis eius patruus, illius Regni legibus, & conſuetudini, ac ſubditorum acceptationi fidens regnum ad ſe pertinere lite diſputaret: Dum Goæ diſceſſi nullus adhuc Rex inſularum erat determinatus. Inter illas Inſulas ſunt aliquæ mediocres, nullæ magnæ, plurimæ perexiguæ, nihil ibi ſingulare eſt, ſed communia Indiis quoad victum, veſtitum & alia, participant.

Inſula Ceylam non multùm diſtans à promontorio Comòryno, olim apud omnes nominatiſſima Taprobana nuncupata; multa habet quæ nobiliſſimam eam, vtiliſſimámque reddunt; ptopterea Luſitani hoc decretum à Rege habent, vt illã præ omnibus aliis orientis coloniis conſeruent. Eſt ſatis ampla, multis olim Regulis ſubdita, inter quos præcipuus eſt Rex Candy, à præcipua ſua ciuitate ſic dictus; hìc continuis præliis Luſitanos aggreditur, ſæpe ob multitudinem ſuorum, & proditionem aliorum qui Luſitanis parent, victor exiſtit: quandò primùm in Indiam perueni, ob ſubdito-

rum rebellionem penè deuicti ac extincti fuêre Lusitani, illorum duce Constantino de Saa ibi occiso: Est etiam Rex Vuæ, aliique pauci Reguli; Lusitani enim maiorem & meliorem illius partem, scilicet oram maritimam circumquaque possident. Vrbs præcipua dicitur Colombo, ibi ordinariè moratur, tum Dux Ciuitatis, tum Dux generalis totius insulæ, ac exercitus ibi ob incursiones hostium semper ordinati.

Postea est vrbs Galli; deinde Negombo, has duas vrbes vel captas, vel obsessas post meum reditum audiui: iam Bataui, Triquilimale & Baticulo castra, dum adhuc essem in Indiis, cœperant; magna auiditate hanc Insulam appetebant, cùm enim alia omnia haberent aromata, solùm eis deerat cinnamomum, quod in hac tantùm Insula, saltem optimum reperitur; & procul dubio nisi mutatum fuisset Lusitanorum dominium, non solùm ab illa Insula; sed à tota India à Batauis fuissent expulsi; hi enim potentes viribus in mari ob plures, quæ quotannis ex Batauia appellunt naues, cum pluribus illarum partium Regibus fœdus inierant, ad Lusitanos pene viribus consumptos (aliquando enim nec intra annum nauicula è Regno Lusitaniæ veniebat) expellendos: vnde sicut iam cum Anglis pacem inierant, sic cum Batauis etiam inuito Rege Hispaniæ inire decreuerant; videbant enim se quotidie viribus deficere, se iam colonias aliquas amittere, se iam nauigare non posse, à quatuor enim iam annis Bataui multis nauibus portum Goënsem obsederant, & naues appellentes capiebant: licèt enim sæpe cum illis viriliter ac generosè pugnassent, tamen viribus inæquales obsidionem soluere non poterant Batauos expellendo; imò paucis, antequam discederem diebus, Dux classis Batauæ ausu temerario, sub Castro tres maximos potentissimósque Lusitanorum Galliones, in quibus erat robur illorum, combusserat; vnde commercium omninò

nõ terminatum videbant, fine quo India miſerrima, & cum quo feliciſſima eſt: Tandem vltimam ſibi imminere ruinam præuidebant; propterea iam ad Regem Hiſpaniæ legatum miſerant, vt vel auxilium ſibi mitteret, vel perditis ſuis rebus inita cum Batauis pace conſulere permitteret: hac vltima Regni Luſitaniæ mutatione illis optimè conſultum eſt.

De hac Inſula dicitur, quòd montes ſunt ex Chriſtallo, nemora ex cinnanomo, & flumina ex lapillis pretioſis: quia ibi in montibus plurimùm Chriſtalli, in fluminibus lapilli pretioſi, in nemoribus ferè omnes arbores ſunt cinnamomi.

Ibi ſunt plurimi Elephantes, præ aliis generoſiſſimi ac nobiliſſimi: vnde ab aliis, ſi forte occurrerint, vt tales agnoſcuntur, ac facta, vt audiui, reuerentia ſalutantur: propterea iſti à Regibus plurimùm æſtimantur; ſed de illis inferius iterum redibit ſermo. Sunt etiam in locis maritimis Crocodili, quibus aliquando homines nefarij, ad mortem damnati traduntur deuorandi.

Non naſcitur in hac inſula triticum; ſed de foris aſportatur: vnde ſæpe panis inopia laborant; eſt tamen plurimùm orizæ, quæ ordinarius in toto oriente eſt cibus; ibi quippe ter in anno naſcitur.

Rex Candy ſuam proſapiam ad ficta ac fabuloſa reducit principia: vnde ſe filium Solis nominat; & quidem optimè; ſi iuxta Philoſophicum Ariſtotelis axioma intelligeret, (Sol & homo generant hominem)quia Sol ad omnes inferiores has mutationes concurrit cum cauſis proximis. ſed fabulosè alio modo intelligit; vnde ab aliis deridetur.

Prope Inſulam eſt ora maritima, nomine piſcationis inſignita: quia non multis abhinc retro annis gemmæ piſcatione capiebantur; quapropter circa illam variæ inter Epiſcopum Cochinenſem & quoſdam Religioſos diſſenſiones ortæ ſunt, cuius videlicet eſſet ditionis:

prælia maritima inter diſſidentes commiſſa ſunt; victor Epiſcopus extitit, victi Religioſi ac inde expulſi. Inſuper Epiſcopus ſententiam excommunicationis contra oſtrea gemmifica pronuntiauit; nè ad illa accederent littora; res mira, Eccleſiæ imperio oſtrea obediunt, cui quotidie homines obedire reluctant; & ſic ibi poſtmodum talia oſtrea non comparuerunt.

CAPVT XVI.

Deſcriptio Inſulæ & Ciuitatis Goanæ.

INſula Goana non in alto mari ſita, ſed ipſi continenti vnita videtur: mare enim duplici formato flumine ſiue freto, continentem penetrat, ac ipſam efficit inſulam: habet circiter quatuor leucas longitudinis, vix duas latitudinis, qua parte latior eſt, ſcilicet in medio; in vtraque enim extremitate ſenſim reſtringitur: hi duo fluuij vbi diuiduntur, vt intra continentem procurrant, ſpatium vnius leucæ continent; ex cuius parte Septentrionali eſt caſtrum munitiſſimum dictum vulgò *d'Aguada*; quia ibi eſt fons vbi aqua à nauigantibus accipitur; ex parte etiam Meridionali eſt aliud, dictum *Mormogam*; in ipſo verò Inſulæ angulo, in medio illius ſpatij eſt arx, licèt exigua: vnde totus ille tractus facilè ab inimicis cuſtoditur. Poſtquam hi fluuij per quatuor leucarum ſpatium diuiſi excurrerunt, iterum coniunguntur in interiori Inſulæ parte; multas tamen prius efficiunt Inſulas ſtatim deſcribendas, ſuum fluxum ac refluxum à mari patiuntur: prope locum vbi confluunt, ex parte continentis, eſt lauacrum Gentilium, quo ex omnibus circumiacentibus oppidis ſæpè concurrunt, ibi ſe lauant, Solem adorant, aliquid in extructa ara idolis ſacrificant, ſicque redeunt mundatos ſe exiſtimantes: ibi ſemel in anno celeberrimum obſeruatur feſtum

ſtum, ad quod celebrandum plurima hominum millia ex vicinis concurrunt oppidis.

Maior pars Inſulæ Goanæ, muris circumquaque extructis, maximè vbi fluuij non ita dilatantur, munita eſt; varias identidem munitiunculas habens in circuitu, ſcilicet Pangi, Ribander, Daugi, Sancti Blaſij, S.Iacobi, S.Ioannis Euangeliſtæ, & Sancti Laurentij: fluuij illi ex vtraque parte ſunt amœniſſimi, palmis ſemper vireſcẽtes: ſtatim ac quis portum Goenſem appellit, præter dicta Caſtella, videt Conuentũ Reformatorum S.Franciſci, ſub titulo Noſtræ Dominæ de finibus, ſupra montem conſtructum ipſique mari imminentem, vndequaque circumfuſam habentem ſiluam: paſſim ex vtraque parte fluminis domus recreationis, & villæ paſſim in mediis palmis conſpiciuntur: Ad vnum circiter milliare occurrunt duo caſtra vnum inceptum & nunquam finiendum, dictum Gaſparis Dies in Inſula Goana, cui ex alia parte correſpondet Caſtrum Bardès, olim munitiſſimum, nunc pene deſertum, ibi prope eſt monaſterium Regum Magorum à Rege Luſitaniæ fundatum, vbi Patres Sancti Franciſci educant pueros in doctrina & pietate: his præteritis occurrit oppidum Pangi, vbi eſt domus admodùm pulchra, vbi hoſpitantur Proreges de nouo aduenientes; donec omnia ſolemni eorum receptioni neceſſaria parentur: licèt enim in Conuentu Regum ſtatim recipiantur, ibíque ſuas patentes coram alio Prorege, totáque nobilitate legendas exponant; inde tamen recedentes ad dictam domum commodiorem accedunt. Poſt illud oppidum ſtatim occurrit pons per multos arcus latè diſcurrens, deinde via ad vnam pene leucam diffuſa in mediis fluuij antea exundantis aquis fundata, in cuius termino eſt oppidum Ribander, quo ſuperato ſtatim ciuitas Goana pluſquam tribus leucis à mari diſtans apparet: vltra quam ad tria pene milliaria fluuius procurrens, alteri ex alia parte Inſulæ decurrenti

occurrit: tempore hyemis ob continuos imbres fluuius dulcessit, partémq; nominatissimi Gangis fluuij recipit.

In hac Insula dies toto anno penè æquales apparent, saltem non percipitur notabilis differentia, cùm circiter in decimoquinto sita sit gradu; non multùm enim à terra eleuatus aspicitur polus, ita vt non solùm Vrsa maior, sed & minor in suo circuitu terræ contegatur: Sol ibi bis perpendiculariter in anno pertransit; vnde in meridie nullam producit vmbram, aliis verò temporibus aliquandò versùs Septentrionem vt in Europa, aliquandò versùs meridiem illam efformat, ex hac Solis proximitate maximi procedunt calores, iíque sine dubio essent intolerabiles, nisi Deus ventum maritimum quotidie, & continuos imbres calidioribus mensibus, vt dictum est, prouidisset.

Ibi, sicut & in aliis vicinis regionibus, homines vt plurimùm nigri nascuntur, solùm aliqui inter eos præcipui, dicti Bracmani aliquantulum candidiores apparent; Lusitani verò filios à sua declinantes albedine, & ad matris nigredinem accedentes in principio sui in Indias aduentu procreatunt; propterea mixti, vulgò *misticij* vocantur, qui ex patre Lusitano in Indiis nascuntur: paulatim tamen aduenientibus quotannis iuuenibus Lusitanis, ibíque cùm puellis misticiis nubentibus, progenies ipsæ purificantur, naturales Indi in hac Insula, viciníque loci nudi omninò, etiam in publico comparent, sola telæ particula dimidio palmo lata ad honestatẽ vtuntur: mulieres paulò decentius vestiuntur; quamuis alicubi seminudæ incedãt. Mulieres Bracmanæ mortuo primo coniuge in honesta viduitate perseuerãt.

Per totam Goanam Insulam sunt circiter triginta parochiæ: in ciuitate Goa sunt septem præter Cathedralem; extra verò sunt sequentes in oppidis collocatæ, S. Ioseph, S. Ioannis Baptistæ, S. Ioannis Euangelistæ, S. Annæ, S. Crucis, S. Barbaræ, S. Mariæ Magdalenæ,

dalenæ, Noſtræ Dominæ Lauretanæ; item Nazarenæ; item de ſubſidio; S. Laurentij, S. Andreæ, S.Simonis, S. Mariæ d'Aquadeluppe, S. Ioannis Sahagun, S.Agnetis, S. Blaſij, S. Iacobi, Conceptionis, S. Michaëlis, aliæque nonnullæ: ex iſtis quatuor ſunt ſub regimine Patrum Dominicanorum; videlicet S. Barbaræ,vbi eſt Conuentus Recollectionis, S. Mariæ Magdalenæ, S. Crucis, & S. Michaëlis: duæ verò ſub Patribus S. Auguſtini, videlicet S. Agnetis, & S. Ioannis Euangeliſtæ: aliæ clericis ſæcularibus ſubſunt.

Multi reperiuntur in hac Inſula fontes optimi:aquam enim regulariter tam Luſitani, quàm naturales Indi bibunt; vinum quippe ex Luſitania delatum; tum carum tum præ calore Regionis eſt nociuum, ſicut & vinum ex palmis elicitum, ſi abundantius bibatur. Naturales Indi panem non manducant, non enim ibi naſcitur triticum, ſed vel ex Perſide, vel ex interiore parte continentis affertur; non tamen caro venditur pretio: triticum non minuitur in farinam; ſed in Craſſiores, inſtar arenæ, reſoluitur partes, quæ tamen commixtæ optimum panem efficiunt, ac ſatis album, guſtuíque ſuauem; dummodò recens coctus comedatur:poſtquam enim induruit, quod poſt ſex horas aduenit, qnaſi lutum inſipidus apparet, ac poſt paucos dies, maximè dum pluit computreſcit: vnde panis quotidie coquitur, ac poſt prandium dimidio minus pretio venditur. Ipſi autem qui panem conficiunt, ſuos habent determinatos emptores, ad quos ſummo mane quotidie panem recentem, iuxta conuentionem, pro tota die deferunt; nec magna ibi videntur molendina, quorum rotæ vento, vel aqua voluantur; ſed parua, quorum voluendis rotis labor hominis ſufficiat.

Prope Inſulam Goanam ſunt aliquot Inſulæ, aliæque terræ adiacentes Luſitanis ſubditæ: à parte quidem orientali, quæ eſt intimior, ac magis à mari remota, eſt

Insula Roderici Dies de Sampaio peramœna, sed exigua, opposita loco lauacri Gentilium; huic proxima iacet Insula Lecma vulgò dicta Sancti Stephani, ob Ecclesiam in ea constructam Sancto illi protomartyri dicatam: à parte Septentrionali est insula dicta Pietatis, ibi sunt tres parochiæ, scilicet nostræ Dominæ Pietatis, S. Bartholomæi in oppido Choram,& S.Mathiæ: prope mare autem est, non insula omninò, sed peninsula nomine Bardes, vbi sunt ferè viginti Parochiæ sub regimine Patrum S. Francisci de Obseruantia: ex parte meridionali est Insula Georgij da Costa dimidiæ leucæ in longitudinem, aliæque perexiguæ: vltra flumen verò est parua prouincia nomine Salsete, cuius præcipua oppida sunr Rachol & Margan, in illa sunt plusquam viginti parochiæ Patribus Societatis commissæ, eorum etiam est Collegium Racholi. In his Insulis præter Christianos tum Lusitanos, tum Indos, est maxima Gentilium multitudo; non tamen ibi suos ritus Gentilicos exercere permittuntur, saltem in publico; quamuis, dum essem Goæ, viginti millia aureorum obtulerint, vt sibi ritus proprij in celebrandis matrimoniis,& comburendis mortuorum cadaueribus permitterentur: hanc & maiorem pecuniæ summam Gubernatori Punda Mahometano ad prædicta in sua ditione celebranda persoluunt; vnde quando infirmi se desperatos vident, ad continentem se deferri curant (non enim mortuorum cadauera illuc transferri à Lusitanis permittuntur) vt post mortem comburi possint.

Superest nunc describenda sigillatim ciuitas Goana, caput ditionis orientalis Lusitanorum, curia Proregis, sedes Archiepiscopalis, vbi Parlamentum siue supremus Iustitiæ Senatus, & sanctæ Inquisitionis tribunal inuenitur.

Goa est ciuitas æqualis Auenioni magnitudinis, componitur ex Lusitanis qui ibi dominantur, Christia-

nis Indicis, Gentilibus; aliquibus etiam Mahometanis, ac paucis Iudæis cognitis, illuc mercaturæ causâ venientibus.

Ciuitas plus longa, quàm lata eſt; ad ripam quippe fluminis ab Occidente versùs Orientem procurrit; in Septentrionali parte Inſulæ intra ciuitatem ſunt duo colles, vnus ad Occidentem vocatus Sanctus; quia ſex in illo conſtructæ ſunt Eccleſiæ:alius ad Orientem. Collis Occidentalis ex parte meridionali coniungitur montibus totam in longitudinem penè ciuitatem percurrentibus, ác ex illa parte terminantibus: ex parte verò Septentrionali pene ad fluuium pertingit; vicus tamen ad eius radices prope ripam fluuij decurrit, perueniens ad Occidentalem ciuitatis partem ſatis exiguam, in qua eſt parochia S. Petri, & Collegium S. Thomæ Aquinatis Patrum Dominicanotum. Collis Orientalis coniungitur versùs Orientem monti, qui latè per Inſulam diſcurrit; hic collis duplici valli imminet; vni quidem à parte Septentrionali, iuxta fluuium diſcurrenti, domibúſque plenæ,vbi eſt parochia ſanctæ Luciæ: alteri verò intra ipſum montem, aliúmque iam dictum ad partem Auſtralem diffuſæ, domibus ad longum ſatis ſpatium ædificatis, ibi eſt parochia ſancti Thomæ Apoſtoli, ibi etiam in medio tractu eſt Collegium antiquum Patrum Societatis à S. Franciſco Xauerio Indiarum Apoſtolo conſtructum,vbi ſacrum eius Corpus diu requieuit; ſed nunc in domo Profeſſa collocatum eſt. In vltima parte huius vallis eſt templum incœptum,ſed nondum conſummatum eiuſdem S.Thomæ, cui adhæret puteus maximus, non multùm profundus, ex lapidibus quadris ædificatus: huic lacus adiacet, vnde plures exeunt vapores, qui aërem ciuitatis, quando vento inde flante deferuntur, corrumpunt. Noſter Conuentus eſt in angulo illius Collis Orientalis, in medio pene ciuitatis; quia à fronte habet præcipuam

puam ciuitatis partem sibi subiacentem: ex quolibet autem latere vnam habet ex vallibus iam descriptis; retrò verò per illum collem facilis est ad campos exitus; rarissimæ enim domus ibi reperiuntur: vnde etiam quasi extra ciuitatem computatur, ac proinde omnium calculo optimus totius ciuitatis locus iudicatur, tum ob prospectiuam, nam totam sibi subditam prospicit ciuitatem; tum ob aëris clementiam: Est enim optimo vento maritimo expositus; prope nostrum Conuentum à parte meridionali supra eundem collem est Ecclesia perexigua sancti Mauri, ad Orientem verò in loco editiori, ac paulò longius est Ecclesia nostræ Dominæ de Monte. loco tam amœno pulcherrimus noster correspondet Conuentus; licèt enim in hac Ciuitate plures sint alij maiores, nullus tamen iucundior est, aut apparet.

Constat ex dictis principalem Ciuitatis partem esse inter duos illos colles, montem meridionalem, ad littus fluuij constructam; domus ibi satis pulchræ conspiciuntur, palatium Proregis amplum, ac eminens ipsi fluuio prominet ante latam pulchrísque domibus circumdatam habens plateam; retrò verò, qua parte respicit fluuium aliam habens latissimam, fluuióque solummodo terminatam, in qua oriza & merces, quæ Goam afferuntur, pro soluendo vectigali deponuntur; ad terminum enim illius orientalem manent vectigalis exactores. In hoc palatio est aula, in qua Senatores ad ius dicendum congregantur; sunt aliæ ad alia tribunalia, statim in ingressu apparent dispositæ tabellæ, in quibus depictæ sunt naues, quæ à principio acquisitionis Indiarum, ad hæc vsque tempora in Indias à Lusitania destinatæ fuerunt; ita vt quolibet anno apponatur vna tabella, in qua sunt depictæ cum propria subscriptione, Capitaneorum etiam nomine expresso, naues quæ tali anno venerunt. Interius est aula Regia, vbi sunt omnes

omnes veræ effigies omnium Proregum,ac Gubernatorum Indiæ ad magnitudinem hominis, ad calcem est nomen ipsorum, & compendium earum rerum laudabilium, quæ gesserunt tempore sui regiminis: ibi Prorex conuocat consilia, admittit Legatos, aliáque plura facit: huic aulæ est annexa capella, in qua quotidie Prorex missam audit; ibi est Baldachinum ex oloserico rubro, & subtus cathedra ex eadem materia:vltra hanc aulam sunt aliqua cubilia habitationi Proregis destinata, non tamen multùm magnifica: huic palatio à parte orientali annexi sunt carceres interiecta perexigua area, vbi etiam apparent receptacula pulueris tormentarij destructa; puluis enim aliquandò concepto igne erupit, locum destruxit, dispersísque lapidibus plures occidit homines; quapropter nunc paulò infra Ciuitatem domum amplissimam pulueri faciendo destinarunt. Ab ipso palatio incipit vicus, qui dicitur rectus, vbi quotidie ad negotia multi confluunt homines; est præcipuus ciuitatis vicus, & terminatur ad Ecclesiam misericordiæ; non desunt alij vici optimi, præcipuè vicus sancti Pauli, sic dictus; quia Ecclesia S. Pauli ædificata à S. Francisco Xauerio in suo Collegio (propter quod Iesuitæ, in India Patres sancti Pauli dicuntur,)in medio illius vici tractu sita conspiciatur, hic vicus est longissimus: Item est vicus nostræ Dominæ de luce, in cuius termino est Ecclesia sub illa inuocatione, sed isti duo vici nunc penè sunt deserti; cùm aliàs essent valde habitati.

Non longè à Palatio Proregis est Ecclesia Cathedralis Archiepiscopalis, S. Catharinæ dicata; quia hæc ciuitas die S. Catharinæ capta fuit; est amplissima ac pulcherrima, triplici porticu distincta, quatuor habet ex vtroque latere capellas, præterea maiorem capellam, ac duas collaterales ei æquales: in altare maiori est historia martyrij S. Catharinæ, in plures distincta ta-

b llas,

bellas, ſculptas in ligno theca dicto incorruptibili, totúmque opus deauratum magnificentiſſimum apparet; porta huius Eccleſiæ reſpicit Orientem, ante quam eſt platea non exigua, denominata de Sabaio, id eſt platea Domini; quia ibi à parte meridionali eſt palatium Inquiſitorum, quod dicitur fuiſſe palatium antiquorum Regum illius Inſulæ; huic à parte Septentrionali opponitur domus publica Ciuitatis, vbi Conſules ad negotia Ciuitatis expedienda congregantur: ad partem occidentalem Eccleſiæ maioris eſt Conuentus S. Franciſci, cui adhæret ex vna parte, ſicut & Eccleſiæ maiori ex alia, palatium amplum ac commodum Archiepiſcopi; ad Septentrionem huius monaſterij eſt Xenodochium Regium, in quo nullus poteſt curari, niſi fuerit miles Regius; nec dedecus eſſe reputant, etiam nobiles, ibi curari; eius adminiſtratio eſt Patrum Societatis: huic Xenodochio à parte occidẽtali eſt area ampliſſima trabibus, tabulis, aliiſque ad naues conſtruendas neceſſariis plena; ibi quippe & naues Regiæ, Galliones, ac triremes conſtruuntur, tormenta bellica conflantur, rotæ pro ipſis fabricantur, aliáque ſimilia fiunt: propterea eſt ibi locus in quadam porticu, vbi Prorex ſæpe aſſiſtit, vt prædictis inuigilet; ibi etiam ordinariè moratur Procurator Regius: ibi eſt locus, vbi aluntur Elephantes, huic miniſterio neceſſarij, tandem eſt ibi Eccleſia ſanctorum Stigmatum, Parochia illorum qui ad triremes damnantur.

In hac Ciuitate præter Eccleſiam Cathedralem, & iſtam ſanctorum Stigmatum capellam, ſunt ſeptem parochiæ. Prima eſt B. V. Mariæ de Roſario, in vltimo angulo collis illius Occidentalis qui fluuio imminet, huic proximæ adhærent, vel non diſtant multùm quinque aliæ Eccleſiæ, ſcilicet Collegij ſancti Rochi Patrum Societatis, S. Anthonij de Padua, alia monialium S. Auguſtini, duæ Nouitiatus & Collegij Patrum S. Au-

guſtini

guſtini quarum prima titulo Noſtræ Dominæ de Gratia, altera verò titulo S. Auguſtini inſignitur. Secunda parochia eſt Noſtræ Dominæ de Luce, ſupra montem illum Auſtralem: huic proxima eſt Eccleſia Crucis miraculi; ferunt enim Luſitani, & hoc authenticè probatum eſt, in Cruce ſatis longa in dicta Eccleſia, ſub oloſerica theca in eodem loco conſeruata Chriſtum in ſpecie glorioſa, luce circumdatum; ſed Crucifixum apparuiſſe, ibíque ad pedes Crucis in ſaxo duriſſimo fontem miraculosè reſiliiſſe, qui per aliquot dies perſeuerans miraculoſam pluribus contulit ſanitatem: quapropter Archiepiſcopus, qui tunc Goæ aderat, Dominus Chriſtophorus Vliſſiponenſis, ordinis ſancti Hieronymi, nobis plurimùm ob ſanctam matrem noſtram Thereſiam affectus ampliſſimam cœpit ſanctæ illi Cruci conſtruere Eccleſiam, quam morte præuentus non multùm prouectam reliquit; ſed illam ad breuiorem formam reducentes Equites Chriſti ſibíque aſſumentes abſoluerunt: ibi eſt maius altare, vbi Crux erat tempore miraculi, & adhuc ibidem perſeuerat. Tertia parochia eſt ſanctiſſimæ Trinitatis iam penè deſerta ob defectum incolarum; ibi ferè tantùm captiui ſepeliuntur, eſt ad radices illius montis meridionalis à parte orientali Eccleſiæ Crucis miraculi. Quarta eſt S. Petri in vltima parte occidentali ciuitatis. Quinta eſt S. Luciæ in vltima parte orientali prope fluuium. Sexta eſt ſancti Thomæ Apoſtoli in eadem parte orientali; ſed multùm à fluuio remota. Vltima tandem eſt S. Alexij prope noſtrum Conuentum ad radices occidentalis illius collis.

Præter Parochias ſunt multa in hac Ciuitate monaſteria. Primum eſt monialium S. Auguſtini ſub iuriſdictione Archiepiſcopi, & adminiſtratione vnius Patris Auguſtiniani quantùm ad ſpiritualia ſimul & temporalia, eſt magnificum & ampliſſimum; plures enim habet

monia

moniales & magnos reditus: est vnicum in hac ciuitate; non enim aliæ sunt moniales; quamuis sit domus prope Ecclesiam misericordiæ, vbi aluntur virgines orphanæ sub strictissima clausura, donec ad statum nubilem perueniant; ibi etiam plures patres suas filias, & viri vxores custodiunt, dum foras proficiscuntur: est etiam alia domus propè sanctum Alexium, vbi reclusæ manent mulieres pœnitentes, habent ibi Ecclesiam sanctæ Mariæ Magdalenæ dicatam.

Patres Iesuitæ tres habent Conuentus in ciuitate Goa, scilicet Collegium antiquum S. Pauli, de quo supra dictum est; & Collegium nouum sancti Rochi: in primo penè deserto, nunc pauci Patres ob aëris inclementiam morantur; ibi aliquando fuit Nouitiatus quinquaginta ordinariè Nouitiorum; sed nunc ad Collegium nouum translatus est, vbi plusquam centum triginta Religiosi manent, fabrica est vastissima, & altissima cuidam præcipitio imminens: tandem habent domum professam in medio pene Ciuitatis, vbi triginta sunt Religiosi, in cuius Ecclesia est capella à latere dextro altaris maioris, vbi corpus sancti Francisci Xauerij Indiarum orientalium Apostoli in capsa magnificentissimâ, auro & gemmis ornata reclusum asseruatur; apparet tantùm caput, manus vna, ac pes vnus christallo demonstrante; aliæ eius partes multo ac pretioso capsæ artificio conteguntur.

Patres Dominicani duos habent Goæ Conuentus, scilicet S. Dominici nobis propinqui; est enim in illa valle Septentrionali prope fluuium, ibi est Nouitiatus: est ante ipsum platea paulò eminens. Alius Conuentus est in vltima parte occidentali Ciuitatis, nomine sancti Thomæ, vbi est Collegium illius ordinis.

Patres Franciscani duos item habent Conuentus: Primus est sancti Franscisci iam dictus, vbi aluntur nouitij; est primus totius Ciuitatis antiquitate Conuentus: alius

alius est sancti Bonauenturæ, vbi Religiosi student, hic supra fluuium subtus parochiam B.V.Mariæ de Rosario est ædificatus.

Patres Augustiniani habent item duos Conuentus; Primum nostræ Dominæ de Gratia amplissimum, vbi est nouitiatus, nostro oppositum Conuentui; portæ enim vtriusque Ecclesiæ mutuò se respiciunt ac luminaria capellæ maioris noctu apparent: quamuis plurimùm distent; ille quippe est in parte occidentali ciuitatis, noster in orientali; sunt tamen, vt dictum est, in duplici colle, inter quos media in valle subiacet Ciuitas. Secundus est sub titulo S. Augustini, vbi est Collegium solo vico intermedio ab alio separatum; sed facto arcu facilis est de vno ad alium transitus.

Nos etiam duos habemus Conuentus primum iam supra descriptum: secundum verò de nouo fundatum propè lacum adiacentem Ecclesiæ S. Thomæ.

Patres verò Recollecti, nullum quidem intra Ciuitatem, tres autem in Insula Goana, qui eleemosyna ipsius ciuitatis viuunt. Primus est Matris Dei, vbi habent nouitiatum, distans dimidio milliari à ciuitate, ex parte eius orientali in oppido Daugi; secundus sub titulo nostræ Dominæ in finibus; quia in vltima parte Insulæ prope mare in monte constructus apparet; tertius est nostræ Dominæ de Columna, vulgò *Do pilar*, in oppido Guadeluppe, vbi traditur fuisse Goa antiqua; optimus ibi est aër, propterea multi domos recreationis ibi construxerunt.

Denique in Ciuitate præter Regium Xenodochium sunt duo alia; primum quidem sumptibus Congregationis misericordiæ sustentatum; secundum nuperrimè sumptibus Ciuitatis, suasu nostrorum Patrum ædificacatum ad inopes colligendos, quia tunc grassante miserrima fame, in mediis vicis ac plateis moriebantur.

In hac Ciuitate, sicut & in aliis à Diuiensi vsque ad

caput Comorynum propter continuos imbres, qui mense Iunio aliísque tribus subsequentibus affatim decidunt, solemnis processio Corporis Christi præuenitur: vnde die Iouis post Octauam Paschæ festum celebratur ratione processionis, iterúmque de eo proprio in loco solemnitas redit.

Non cingitur hæc Ciuitas muris; cum tota pene Insula cincta sit: quia tamen hostes aliquandò ingressi pene ipsam cœperunt ciuitatem; ideo muros per vastissimum spatium discurrentes construere cœperunt; sed ab illo cœpto, nescio quas ob causas destiterunt. Intra ciuitatem non sunt fontes, prope tamen sunt duo copiosissimi, vnus in loco dicto Bangani ad occidentalem Ciuitatis partem; alius non longè in domo pulueris: afferunt etiam aquam in vasis terreis maximis è continenti, vbi est fons ipsi cohærens flumini. Aër non est ita salubris; ob maximam quippe humiditatem & calorem sanguis statim corrumpitur: vnde in vna infirmitate (quæ ibi malignæ & frequentes sunt) sanguis trigesies sæpe elicitur; mihi in vna infirmitate quaterdecies, in alia terdecies fuit elicitus: huius aëris malignitatem sæpe sum expertus, cùm ferè quotannis ægrotauerim, & semel ad vltimum vitæ periculum maligna consumptus febri peruenerim.



LIBER TERTIVS ITINERARII

In quo

Montes aliqui, Maria & Flumina describuntur.

CAPVT PRIMVM.

Vera Descriptio Sacri montis Carmeli.

ATTENTA mente,& quàm maximâ potui diligentiâ, sacrum montem Carmelum considerarui; vt pote natale solum originis Carmelitarum, venerandũ Eliæ Patris nostri ac successorum Prophetarum habitaculum, de quo tam repetita in sacris litteris habetur memoria: aliquando enim eius pulchritudo significatur, dum Isayæ 35. dicitur de Sponsa, *Gloria Libani data est ei Decor Carmeli & Saron*: dum etiam caput Sponsi Carmelo comparatur, *Caput tuum sicut Carmelus*: aliquando virtus eximia Religiosorum huius sacri montis prædicitur; dum Isaiæ 32. dicitur, *habitabit in solitudine iudicium, & iustitia in Carmelo sedebit*: aliquandò eius prænuntiatur desolatio, quæ tempore Homar successoris Mahometis, aliísque in persecutionibus Barbarorum contigit, vbi omnes Carmelitæ martyrio coronati fuerunt, dum dicitur

Isaiæ 16. *auferetur lætitia, & exultatio de Carmelo*, Item, *exsiccabitur vertex Carmeli*: & Hieremiæ 48. *ablata est lætitia & exultatio de Carmelo*: aliquandò reparatio illius, quæ tum tempore sancti Bertholdi sub Aymerico Legato Apostolico, tum his vltimis temporibus euenit, dum Micheæ 7. dicitur, *Pasce populum tuum in virga tua, gregem hæreditatis tuæ habitantes solos in saltu medio Carmeli, pascentur Basan & Galaad iuxta dies antiquos.* Sed præ aliis laudabilior est noster Carmelus, quòd Beatissimam Virginem hospitem habuerit sæpiùs aduentantem; vt plures docent authores, & noster sic canit Mantuanus.

Huc igitur, si quando quies, vacuùmque negoci
Tempus erat, veniens curas lenibat, & ipsa
Majestate loci largè oblectata redibat:
Propterea montana viri spelæa colentes,
Audito illius fato, sublime sacellum
Apricis posuêre iugis primi, atque quotannis
Sacra instaurantes himnos & thura ferebant.

Consideraui celeberrimum illum Eliæ fontem, à quo omnes aliarum Religionum riuuli effluxerunt, vt Idem canit Mantuanus.

Illinc perpetuis ceu missi è fontibus amnis,
Relligio, & sacri fluxit reuerentia cultus:
Quidquid habent alij montes pietatis, ab isto
Ducitur, hac vna plures è vite racemi
Diffusi latè terras, atque æquora complent:
Hinc Cartusieis æterna silentia claustris,
Hinc varias Benedictus oues collegit. &c.

Propterea exactam eius descriptionem, & delineationem, vt sequitur, propono.

Sanctus mons Carmelus est principium Terræ sanctæ, à parte Septentrionali maritima, est diuisus in plures ac varios colles sibi inuicem cohærentes, mediis prominentes vallibus: Pars Orientalis & Septentrionalis

trionalis eſt eminentior; Meridionalis autem & Occidentalis demiſſior: habet circiter tredecim leucas in circuitu, apparet quaſi inſula, cùm ſit ſeparatus ab aliis montibus; eſt valde amœnus, totus viridis, plenus arboribus: in vertice quidem pinis & quercubus, ad radices verò oliuis & lauris: abundat aquis, in medio monte inter oppida Buſtan & Dali eſt locus amœniſſimus, variis collibus & vallibus diſtinctus, pluribus irriguus fontibus nemoribúſque plenus, qui creditur eſſe ſaltus Carmeli, vbi ſunt viginti quatuor cauernæ ita diſpoſitæ, vt Eccleſiæ appareant: nam ex vtroque latere duæ ſunt quaſi capellæ collateralles, & alia maior in extremitate. In angulo occidentali meridionali eſt maxima aquarum copia è monte erumpens, ibi ſunt decem rotæ molendini collocatæ ſupra pontem antiquum, cuius arcus diuidunt aquam ſingulis rotis: inde olim aquæ deferebantur Cæſaream Paleſtinæ, cuius ingentes apparent ruinæ. Ad radices Orientales montis eſt fons maximus ſubtus locum ſacrificij, dictus Mocata ab incolis Arabibus, quod idem eſt latinè ac locus occiſionis, vbi traditur S. P. N. Eliam occidiſſe Prophetas Baal; vnde etiam ab aliquibus dicitur fons Eliæ; intrat in proximum torrentem Ciſſon, qui procedens ex quibuſdam montibus conſtitutis ad partem Auſtralem Carmeli, percurrénſque campum magnum Eſdrelon, nunc planitiem Genim, diuiditur in medio curſu in duas partes; quarum vna pertranſiens vallem Thabor & Hermon diuidentem decurrit ad mare Galileæ; alia verò magnam Carmeli partem circuiens, & eius radices orientales irrigans, influit fluuiolum dictum Mocatam à celebri illo fonte, cuius aquas iam torrenti Ciſſon mixtas recipit. Maxima pars aquarum huius fluuioli procedit ex variis riuulis è monte Carmelo ſcaturientibus, maximè ex quadam aquarum origine ad radices Septentrionales montis

erumpente: hic fluuiolus intrat mare Mediterraneum prope Carmelum, ad Orientem Ciuitatis Caiphæ: illius ostium, dum intumescit mare ventis occidentalibus congestâ vndis arenâ occluditur, eiúsque aquæ inundant planitiem versùs Ptolemaïdam: cessante tempestate patefit ostium ab incolis; forte olim tendebat Ptolemaidam, simul vnitus alteri fluuiolo eiusdem fermè magnitutidinis, dicto Arabicè Nahame, latinè delitioso: hîc prope muros Ptolemaïdæ intrat mare. Hi fluuioli olim diuerso vocabantur nomine; vnus quidem Belus, alius verò Pagida. In parte occidentali montis ad vnum ferme milliare à promontorio Carmeli, est celeberrimus fons Eliæ, cuius meminit nostra Carmelitana Regula, erumpens è monte in quadam valle, nunc duplici, olim multiplici, vt apparet, canali; eius aquæ Christallinæ ac dulcissimæ ad magnitudinem brachij exilientes, ad sex passus in Concham excisam in ipsa rupe recipiuntur, vnde iterum, effluentes plurimam vallis partem excurrunt, plures arbores ac plantas irrigantes.

Ex alia parte vallis ad ducentos circiter passus supra fontem Eliæ apparent ruinæ Conuentus, quem incolebat sanctus Brocardus cum sociis, tempore quo tradita fuit Carmelitis Regula à Beato Alberto Patriarcha Hierosolimitano: ibi est alius fons licèt non ita magnus: adhuc extat aula integra, & videtur oratorium ferè ruinis sepultum. Conuentus fuit maximus, nam ruinæ ad centum quinquaginta passus in longitudinem diffunduntur; non tamen fuit valde latus, cùm esset in decliuj montis in cuius summitate est campus plenus peponibus lapideis, qui miraculo sancti Eliæ ex traditione incolarum adscribuntur: tradunt enim sanctum Prophetam petiisse à quodam rustico illius agri domino peponem, consitus enim erat ager peponibus, qui cùm respondisset se non habere nisi lapides, subiunxit

iunxit Sanctus, sint vt dixisti lapides. E regione Conuentus est stabulum excisum intra montem, vbi sunt etiam excisa præsepia pro duodecim animalibus: supra est alia cauerna ad fœnum, & paleas.

In monte sunt plusquam mille cauernæ, olim habitatæ à Carmelitis Religiosis; nullibi tamen tot vnitæ videntur, sicut in quodam memorabili loco, quem incolæ hactenus vocant *Schif el Rueban*, id est, Cauernæ Religiosorum: hic locus est in eodem tractu occidentali montis, distans circiter quinque milliaribus à fonte Eliæ, continénsque vallem multùm diffusam, cui ex vtraque parte prominent rupes quadringentis ferè perforatæ cauernis, vbi sunt fenestræ & lecti excisi in rupe: sunt etiam fontes guttis iugiter manantibus pleni. Antequam perueniatur ad hunc locum in dextera ingredientium vallem, in summitate rupis est alia maxima cauerna, penetrans totaliter vnum collem, circumdata minoribus cauernis; quæ sufficiunt pro centum Religiosis.

Angulus occidentalis à parte Septentrionalj, dicitur promontorium Carmeli, est valde eminens & magno imminet mari, éstque sanctior pars ipsius montis; quia ibi præcipuè fuit habitatio sancti Eliæ, ibi præuidit Beatam Virginem sub typo nubeculæ, ibi attraxit ignem de cælo ad comburendos duos quinquagenarios cum suis militibus, & alia mirabilia operatus est; ibi est eius cauerna longa circiter viginti passus lata, & alta decem, excisa intra ipsum montem ad radices ferè promontorij, quæ est maximæ deuotionis, tum apud Christianos, tum Iudæos, tum Turcas; dicitur ab incolis Arabicè, *el Kader*, quod est epithetum sancti Eliæ, & idem est ac latinè viridis: hoc nomine insignitur, quia in florenti & viridi persistit ætate, non declinans ad flaccidam senectutem: habitatur à solitariis Mahometanis, nec extranei ad ipsam admittuntur,

nisi persoluto dimidio nummo: Intus ad læuam ingredientium est alia cauerna, sex circiter passus longa & lata, ibi traditur fuisse multoties B.Virgo: in hac parua cauerna est altare cum imagine eiusdem Sanctissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo cum lampade ardente, éstque iurisdictionis nostræ; creditur fuisse cella Sancti Eliæ, & quòd in maiori cauerna congregarentur filij Prophetarum tanquam in oratorio. In summitate promontorij sunt ruinæ Conuentus Carmelitarum, tépore quo S. Ludouicus Rex Galliæ adduxit eos in Europam, in quibus est oppidum dictum ab incolis, *Mar Elias*, id est, S. Elias; adhuc extant aulæ & cellæ integræ ex lapide quadrato. Retrò ad orientem est ædicula prima in toto orbe ædificata in honorem B. Virginis Mariæ demortuæ, dicitur ab incolis *Mazalia*, distans circiter ducentos passus à dicto Conuentu, est figuræ quadrangularis perfectæ, fuit cooperta fornice innixo super quatuor arcus, quorum duo adhuc extant, subtus habens cisternam: huic adhæret à parte orientali parua cauerna subterranea, in qua nostri Carmelitæ Discalceati erexerunt altare, ibique aliquando celebrant, & est sepultura Fratrum. Paulò subtus in decliui promontorij est cauerna dicta S. M. N. Theresiæ, quam nunc incolunt Patres nostri, satis capax pro quatuor Religiosis, in illa peracto muro ab anteriori parte, & aliis intermediis factæ sunt quatuor perexiguæ cellulæ, Oratorium in medio ipsarum, Refectoriolum, culina & furnus; foris verò hortulus, stabulum & cisterna: huic subiacet alia cauerna, quam annis preteritis incolebant nostri dicata S.Onofrio; sed derelicta, quia nimis exigua.

In summitate montis à parte orientali, in medio ferè tractu, est locus dictus ab incolis Arabibus, *El Korban*, id est, Sacrificium; quia ibi S. Elias sacrificauit coram Rege Achab: est maximæ venerationis inter

Iudæos;

Iudæos; ibi ſunt duodecim magni lapides ad æternam illorum memoriam, quos poſuit S. Elias, non deſunt qui credant eſſe eoſdem, habent caracteres Hebraïcos.

In monte, ſiue ad eius radices, ſunt plurima oppida maiora & minora; in monte quidem ſunt iſta, in ſummitate promontorij, vt dictum eſt, oppidum S. Eliæ, ad partem huius orientalem oppidum Ruſmia: prope locum ſacrificij eſt oppidum Eſſia, id eſt ſanitas, ſatis magnum in quadam valle inter ſiluas, vbi multæ videntur antiquitates: in eadem parte orientali, non longè à dicto loco ſacrificij, eſt oppidum Karaq, propè quod eſt cauerna adinſtar illarum, quæ ſunt in ſaltu Carmeli: in parte Auſtrali montis in mediis ſiluis inter colles & valles ſunt duo oppida, Ain Hhud, id eſt fons ſiluæ; & Ain Gazal, id eſt, fons Ceruæ: in ipſa medietate montis, iuxta ſaltum Carmeli, à parte eius occidentali, eſt oppidum amœniſſimum nomine Arabico Bouſtan, id eſt, hortus, inter colles & valles in medio ſiluarum poſitum abundans aquis: in parte verò orientali eſt oppidum Dali in quadam valle; præterea in ipſo monte eſt oppidum Loubi ſimiliter inter colles & valles in media ſilua: Item oppidum Doubel ad orientem Dali inter eoſdem colles, valles, & ſiluas: Item inter ſiluas oppidum Noüabi, vbi eſt templum deſtructum, quod traditur fuiſſe habitatio Prophetarum: Item in ſummitate montis oppidum Curriturria: Item in vertice montis apparet Damon magna ciuitas deſtructa, de qua traditur quòd tempore belli multi ad illam confugerunt, ibíque ſuos abſconderunt theſauros: ad radices verò Carmeli ſunt plurima oppida; incipiendo enim à promontorio versùs Orientem hoc ordine ſe conſequuntur, Caſſer; Saadi, Haſſas, Beladcheq, Iaiour, Hauaſſi, Hachoumaric, Sceloq, Karrubi, Eliajour, Saade, Telamon, Manſoura: prope fontem Mocatam eſt oppidum

el Montaar, aliáque oppida deſtructa; ad radices autem occidentales ſubtus promontorium eſt ciuitas Caïpha, vbi eſt optimus portus; iuxta vallem, vbi eſt Schif el Rueban, eſt oppidum, quod vocatur Tyr, in quo eſt palatium Principis montis Carmeli (licèt ordinariò habitet in ciuitate Genim, in campi Eſdrelon extremitate meridionali) hoc oppidum diſtat medio milliari à mari, ad cuius partem Auſtralem in littore maris ſunt ruinæ vrbis dictæ Caſtrum Peregrinorum, vbi eſt portus ad quem veniebant peregrini, qui pergebant Hieruſalem: paulò vlteriùs ad meridiem eſt Turtura, vbi ſunt ruinæ portus eximij, qui nunc exiguas tantùm capit naues; ad radices verò montis eſt ciuitas Caſerſames deſtructa.

Diſtat Carmelus ab Hieruſalem quindecim circiter leucis, à mari Galileæ & Iordane ſeptem, à montibus Thabor & Hermon quatuor, à Nazareth duabus, totidémque à Ptolemaïda, non vulgariter dicta S. Iean D'acti; & ſimiliter duabus à Cæſarea Paleſtinæ: vnde hæ tres ciuitates ac mare mediterraneum ſunt eius limites; Nazareth à parte Orientali, Ptolemaïda à Septentrionali, Cæſarea à Meridionali; mare verò ab Occidentali, quod ferè alluens ipſum promontorium, paulatim recedit à radicibus montis, quò magis accedunt ad Auſtrum; ita vt inter montem & mare ſit maxima planities, partim plena oliuis, partim conſita frumento, & aliis. Figura montis eſt ſatis longa, nam tractus occidentalis reſpiciens mare, eſt circiter quinque leucarum; non tamen directè procedit: nam duo anguli ſe mutuò reſpiciunt; in medio autem paululùm incuruatur ad modum arcus, cui proportionatur tractus orientalis: nam paulatim dilatatur, & in medio eſt maximæ latitudinis, poſtea iterum reſtringitur: multa alia breuitatis causâ prætermitto.

CAPVT

CAPVT II.

Descriptio Montis Libani.

LIbanus Mons Syriæ nobilissimus, sæpe in sacris codicibus exaltatur; maximè, dum sponsum laudans, eius gloriam eidem sponso tribuit dicens, *Gloria Libani data est ei.* Est mons altissimus, septem enim in eius ascensu leucæ computantur, per multas in longitudinem diffunditur leucas: dicitur Libanus, quasi candidus; in parte enim Septentrionali semper niuibus candet, mense quippe Octobri reliquias niuis in eo vidi; in fine verò Nouembris totum montem nouis niuibus candidum aspexi, quæ tanta copia decidunt, vt per aliquot menses nec ad illum ascendere ab illo descendere liceat; inde est quòd multi, præsertim hyeme, ex mõte procedunt aquarum riuuli impetu defluẽtes, multi enim in planities ciuitatis Tripolis, aliqui etiam magni decurrunt: imò & plures fluuij videlicet ab Oriente Faxfar & Abana; ab Occidente Sanctus, Adonis, & Eleuterus: à Septentrione Orontis: & à meridie Iordanis. Ad radices montis Libani est cauerna, cum tumulo ex vnico lapide longitudinis viginti septem pedum, qui dicitur esse Iosuë, vbi est oratorium Mahometanorum; Antilibanus autem incipit à mari prope Sidonem, & procurrit versùs montes Arabiæ vltra Damascum.

In monte Libano sunt plura oppida, & aliquæ sed perexiguæ ciuitates; solùm hoc nomine dignæ, quia Episcopali dignitate fulgent; locus primarius dicitur Canobin, Latinè Cœnobium in quo Maronitarum Patriarcha commoratur: ibi suos habet monachos, cum quibus manet, eique redditus ex toto monte colliguntur, cuius Ecclesia integra multùm ampla, & pulchra intra montem sculpta est. Primaria Libani ciuitas vel oppidum est Bsarrai non multùm distans à Cedris. Alia est ciuitas quæ vocatur Edem, Sedes Archiepiscopa

piſcopalis, ibi Archieſcopum vidi Religioſum pauperrimum,qui nihil vltra domum ſatis exiguam,& vineam mediocrem habebat,quam ſuis vidi manibus colentem, vindemiantem, ac ex illa lignis onuſtum reuertentem: Inſuper gregem habebat ouium in inferiori parte domus manentem, quem eius nepos ad paſcua quotidie deducebat: Sicut domus erat paupercula, ſic & vtenſilia eius paupertatem redolebant:non eſt apud nos vllus ruſticus, qui non meliorem lectum habeat, quam haberet ille Archiepiſcopus; vnde ſubridens nobis dixit:En, Patres, lectus Archiepiſcopi: Capellam domi habebat, vbi ſacrum celebratur: propè hanc domum riuus aquæ chriſtallinæ defluit, qui in imas poſtea præcipitatur valles.

Habitatores montis Libani ſunt Maronitæ Chriſtiani,ſoli inter alios orientales Catholici; nulli eis admiſcentur in illo monte Mahometani, terras ibi colunt, plurimæ enim ſunt intra montem planities, & valles quas vineis plantant, frumento ſeminant, arboribúſque conſerunt; plura ſunt paſcua,& ita multa boüm armenta, ac ouium greges, hinc inde pererrant. Per multas adiacentes ciuitates, maximè Tripolim, Damaſcum, Aleppum, Sidonem, & Hieroſolymam colonias fundarunt, ibíque mercatoris munere funguntur:imò & Romæ Collegium habent, quo iuuenes Maronitæ ex illis partibus adducuntur, vt ibi litteras, Philoſophiam, ac Theologiam addiſcant, vt poſtea ad patriam redeuntes conciues in fide inſtruant, & affectum erga Eccleſiam Romanam, ac ſummum Pontificem conſeruent. Ex his verò,qui in Romano Collegio ſtuduerunt,tum Patriarcha, tum alij Archiepiſcopi, & Epiſcopi aſſumuntur: licèt autem fide Romani ſint, in ſuis tamen officiis ritibus antiquis vtuntur, ieiuniáque ſiue potiùs abſtinentias more aliorum orientalium, vt dictum eſt de Armenis, obſeruant.

In Libano plures ex noſtris arboribus reperiuntur, illi propria eſt Cedrus, arbor ſua incorruptibilitate & magnitudine in ſcriptura ſacra celebris maximéque nominata, quia ad conficiendum illud magnificentiſſimum Salomonis templum, ex Libano ratibus per mare tranſuecta deſeruiuit. In ſummitate ferè montis huius naſcuntur cedri, quas incolæ *Ars* vocant; in planitie admodùm lata, à Septentrione montis iugo munita, ac Auſtro expoſita: ibi viginti & vna cernuntur, ex maximis & antiquiſſimis; vna paulò ante ceciderat, ac ſemiuſta adhuc apparebat: ex paruis autem circumquaque in eadem plantie recenter natæ videntur; has maiores credunt incolæ fuiſſe à Deo in principio mundi creatas, ac peculiari Dei prouidentia ad hæc vſque tempora perſeuerare, & hoc authoritate ſacræ Scripturæ confirmant, quæ vno loco ſic ait, *Cedri Libani quas plantauit*; & alio, *ſicut cedros Dei*; In quibus ſcriptura productionem Cedrorum peculiari titulo Deo attribuit, quod non eſſet niſi illas immediatè creaſſet: horum dictis nec refragor, nec aſſentior: illud ſolùm teneo indubitatum, illas eſſe antiquiſſimas.

Ingentes repræſentant pinos, multúmque eis aſſimilantur: truncus præ magnitudine ſiue craſſitate vix à tribus aut quatuor hominibus illum amplexantibus cōprehendi poteſt: latos ſicut pini in ſummitate protendunt ramos: folia verò & breuiora & minutiora ſunt; non enim craſſitie & longitudine ſuperant aſſiculam, ſunt aliquantulùm adinſtar arcus retorta, quæ in immenſum multiplicata, plures ad modum roſæ circulos efficiunt, ac condenſam arboris comam efformant, nullum ex his foliis inferius, aut in obliquum; ſed omnia in cœlum ſurſum reſpiciunt.

Cedrus nullum comeſtibilem producit fructum; quædam poma ſolis corticibus compacta producit; hæc partim ſimilia pomo pini, partim diſſimilia ſunt: magnitu-

dine

dine ac longitudine, nec non & in materia aſſimilantur; diſſimilia verò ſunt in figura: nam pomum pini eſt infernè craſſius, ſupernè in acumen deſinens, ac circum inæquale; Pomum verò Cedri in medio eſt craſſius, in vtraque extremitate magis tenue, non tamen acuminatum, ac per totum lene: quando humidum ac viride eſt, leuigatum arte comparet; circuli ſiquidem inferiores ſuperioribus ita cohærent, vt lignum ſolidum, nec ex partibus compactum appareat; at exſiccatum in ſuos circulos diſſoluitur. Hæc poma in ſuperiori ramorum parte nata in altum protendunt: propter hanc foliorum & pomorum cedri in altùm tendentium proprietatem, ſicut Palmæ, ſic etiam cedro iuſtus comparatur, dum dicitur, *Iuſtus vt palma florebit, ſicut Cedrus Libani multiplicabitur.*

Poſt meum in Europam reditum, nobis in hoc monte à Patriarcha fuit conceſſa quædam ſancti Eliſæi Eccleſia cum ſuo hoſpitio prope Bſarrai, & locum cedrorum, tanquam huius prophetæ filiis & ſucceſſoribus.

CAPVT III.

Deſcriptio montis, in quo traditur requieuiſſe, & eſſe Arca Noë.

EST in Armenia maiori prope ciuitatem Eriuan mōs præcelſus, vicinis aliis eminentior, & procul apparens, in quo ſucceſſiua auorum & proauorum traditione referunt Armeni Arcam Noë decreſcentibus aquis diluuij requieuiſſe, & ad hæc vſque tempora perſeuerare; hunc propterea maximè venerantur, nobiſque proficiſcentibus à longè comparentem indicarunt: in eo ſemper præ altitudine conſpiciuntur niues; nullus ad eius verticem hactenus aſcendere potuit; licèt id multi tentauerint: de vno præſertim Religioſo dicunt; quòd deuotionis causâ, vt ſacram illam Noë videret Arcam, illuc

illuc magno labore voluerit penetrare; ſed cùm tota nocte, qua potuit celeritate, fuiſſet progreſſus,ſe in ipſis montis radicibus redeunte Sole conſpexit,Angelúmque vidit Arcæ particulam deferentem: ſibíque eam tradendo dicentem audit; *Accipe quam exoptas reliquiam: ſupra montem aſcendere nulli mortalium licet*; his dictis euanuit. Propter hoc aliqui Paradiſum terreſtrem in aliqua montis illius planitie probabiliter conſtituunt: montem hunc aliqui vocant Pariardem, alij Gordianũ: Armeni verò nunc vocant montem Noë.

De Paradiſo terreſtri multæ ſunt apud authores ſententiæ.Quidam dicunt Paradiſum terreſtrem eſſe tótum mundum, fontem illius eſſe oceanum, ex quo quatuor illa celeberrima flumina oriuntur; ſed hæc opinio eſt Scripturæ diſſona: nam ex illa habetur, quòd illa quatuor flumina exeunt de Paradiſo; & tamen conſtat non exire de hoc mundo: deinde Scriptura docet primum parentem de Paradiſo poſt peccatum fuiſſe eiectum; conſtat autem in mundo perſeueraſſe,

Alij docuerunt Paradiſum hunc eſſe locum ſecretiſſimum, & in concauo Lunæ collocatum: ſed hi etiam parum Scripturæ conſonant: nam Scriptura dicit in eo fuiſſe arbores, præcipuè lignum vitæ,& lignum ſcientiæ boni & mali: deinde in eo fuiſſe fluuium, qui in quatuor capita diuidebatur:quæ omnia denotant illum eſſe Terreſtrem, non aëreum, aut cœleſtem.

Alij denique aliis in locis Paradiſum terreſtrem collocant, vel in alia terra nobis incognita, vel in Palæſtina circa Iordanem, in terra Sodomorum, vel in Inſula Taprobana; ſed hi quoque à veritate deuiant:non enim ex aliquo horum locorum emanant quatuor illa flumina, quæ Scriptura docet ex Paradiſo oriri.

Vnde aptius alij conſtituunt Paradiſum terreſtrem in Meſopotamia & Armenia; quia ex Scriptura Paradiſus fuit in Eden; Eden autem fuit iuxta Haran;Haran verò

ſecun

ſecundùm Hebræos idem eſt ac Meſopotamia. Quod confirmatur ex eo, quòd Caïn ante diluuium, & poſteri Noë poſt diluuium has terras incoluerunt, vt patet ex Geneſ. 4. & 8. credibile autem eſt quòd Caïn non ſtatim tranſiit ad remotas regiones, ſed ſteterit iuxta regionem, in qua Adam eius ac omnium mortalium primus parens illum procreauit. Denique quia ex montibus Armeniæ & Meſopotamiæ fluuij Tigris & Euphrates oriuntur, quorum origo ad fluuium illum Paradiſi reducitur.

Sed nouæ difficultates oriuntur; nam ex Scriptura habetur fluuium illum Paradiſi in quatuor capita diuidi ſiue flumina, ſcilicet Phiſon, Geon, Euphratem, & Tigrim: nomine autem Phiſon, intelligunt aliqui Gangem: & nomine Geon intelligunt Nilum: conſtat autem, quòd Nilus & Ganges, non ex Meſopotamia, & Armenia; ſed Nilus ex montibus Lunæ iuxta promontorium bonæ Spei in regno Congo; Ganges verò è Caucaſo monte Indiæ dimanant. Aliqui ſe ab hac difficultate expediunt, dicentes hæc flumina ſub terra abſcondi, & per meatus ſubterraneos defluentia ex variis poſtea naſci regionibus; ſed tamen incredibile videtur, quòd hæc flumina tanto ſpatio ſub terra lateant,& tam diſſitis oriantur Regionibus, vt ex mundi mappula patet. Quapropter alij per Phiſon & Geon, non Gangem & Nilum; ſed alia flumina, vel etiam ramos ipſius Tigris & Euphratis volunt intelligi: per Æthiopiam autem quam dicit Scriptura Geon percurrere, intelligunt non Æthiopiam Abyſſinorum, ſed aliam Aſſyriorum, quam iuxta ſinum Perſicum conſtituunt, ibíque etiam terram Heuilat collocant prope Arabiam fœlicem cum authoritate ſacræ Scripturæ, vt patet Geneſis 25.& 1. Regum 15.

Sed ex dictis, aliqua pro mea ſeligens ſententia, dico probabile eſſe quòd Paradiſus terreſtris adhuc perſe-

uerat

uerat in aliqua planitie amœna montis huius Armeniæ, quem deſcripſimus,in qua Sancti Henoch & Elias in deliciis viuunt, peculiari Dei prouidentia locum illum, & à frigoris rigoribus, & Solis ardoribus temperante. Cùm enim hi ſancti Prophetæ in hoc mortali ſolo, deliciis pene cœleſtis Paradiſi affluentes, ad finem vſque mundi præſeruentur, veriſimile apparet, quòd in Paradiſo terreſtri, pro ipſis à Deo conſeruato maneant, vbi edentes fructum arboris vitæ, ſenectutis & infirmitatis moleſtias ignorant.

Ad radices huius montis naſcitur Euphrates, de quo nullus dubitat eſſe eundem, quem proprio nomine Scriptura quarto loco nominat: non longè inde naſcitur Tigris, quem etiam Scriptura proprio indicans nomine, de eo ait, *ipſe vadit contra Aſſyrios*: ad radices eiuſdem montis naſcitur fluuius ab Armenis vocatus Araxes, hic versùs Orientem procurrit: alius etiam fluuius dictus Cyrus non longè inde dimanat, qui Armeniam præterlabitur: forte hi Geon & Phiſon olim nominabantur; & nomen, ſicut & Prouinciæ, quas irrigant defluendo,mutarunt; niſi dicamus Gangem eſſe Phiſon,& Indum eſſe Geon egredientem è Paradiſo terreſtri, quia Ganges & Indus creduntur oriri è mari Caſpio, in quod confluunt Araxès & alij fluuij ab hoc monte Armeniæ profluentes: vel Phiſon eſt ramus Tigris, dictus à Plinio, Paſitigre corruptè, ſiue Fiſotigris; Arabes enim carent littera P, & mutant in F. Geon autem forte eſt Geon fluuius nominatus in Perſide, qui ſeparat Regnum Koraſſon à Regno Vzbech: & licèt eius origo diſtet ab hoc monte, hoc ſucceſſit ex diluuio,quod multa in orbe terrarum immutauit.Cui plurimùm patrocinatur impoſſibilis, vt ex Armenis pluribus didici, in montem illum aſcenſus: nec mirum ſi in illo monte ſint aliqua loca mortalibus ignota; cùm nuper in medio Hiſpaniæ in præruptis montibus, oppi-

dum terrásque habitatas comparuisse dicatur : cum tamen tot sæculis, à tempore scilicet quo Mauri Hispaniam inuadentes ac subiugantes, Christianos per illos montes disperserunt, penitus latuerint Hanc veritatem confirmat,quòd Sanctus Elias illis in locis aliquando apparuit,vt Armeni nostris Patribus in Perside commorantibus retulerunt: sed hæc sufficiant in tam abstrusa materia, ac tantâ diuersitate apud Authores agitata.

CAPVT IV.

De aliis Montibus.

MOntes plurimos in hoc itinere meo, tam eundo, quàm redeundo superaui: sed in præsenti paucos inter alios celebriores adducere mens est.

Vidi in Europa quatuor igniuomos cuique notos: Vesuuium scilicet prope Neapolim, quamuis tunc ignem non spiraret, postea tamen ingenti fragore & terræ motu, ignitos cineres, flammásque circumquaque emittens, vicina quæque deuastauit, & plurima consumpsit. Deinde alium in medio mari prope oram Calabriæ,vulgò *Stromboly* dictum, qui non continuum æquale incendium, sed repetitas identidem ignis euaporationes,aliquandò etiam cineres, & lapides eructat. Item montem Vulcanum in Insula Lipari prope Siciliam, apud poëtas celeberrimum, qui de die ingentem fumum, nocte verò ignem continuum exhalat. Denique Æthnam in Sicilia aliis altiorem & nobiliorem, omnibúsque notissimum: vidi montem Idam in Creta & alios.

Traiecto mari Mediterraneo, cùm ad Regnum Syriæ peruenissem: primò vidi montem Amanum, siue Nigrum:deinde montem Saudin, apud Ptolomæum Principem Astrologorum nominatum, quia in æquinoctio instru

inſtrumentis aſtronomicis Solis eleuationem ſuper eum obſeruauit : quem illuſtriſſimus Dominus du Purèz Aquenſis imitatus , miſſis ad noſtros Patres , alióſque Gallos Aleppi commorantes Aſtronomiæ peritos inſtrumentis, obſeruatæ eleuationis à tempore Ptolomæi variationem deprehendere voluit (quod & in monte Ciuitatis Maſſilienſis , & in aliis locis ab eodem Ptolomæo indicatis fecit :) ſed omnibus inſtrumentis,& aliis itineri neceſſariis iam paratis (hic enim mons Aleppo aliquot diſtat milliaribus) Conſulis Gallorum iuſſu à propoſito deſiſtendum fuit ; timebatur enim , & cum fundamento, ne Turcæ profectionem hanc inuſitatam pœna plecterent pecuniaria.

Arabiam deſertam , Chaldeámque pertranſeuntes, nullum montem nominatum offendimus : ſed tranſacta Babylone ſexta die montes altiſſimos , quos Perſidis portas vocant , ingredimur : media verò inter Babylonem & Aſpahanum Perſidis Regiam via , duos reperimus montes inſculptis hominum , aliorúmque figuris (quod opus eſſe Romanorum traditione dicitur) admodum venerandos : hi ſunt montes, quos eundo tanquam celebres aduerti.

Aliquos etiam redeundo vidi : medio inter Aſpahanum , & Tauris itinere , mons à recta via non multùm diſtans , & patens , ob ſpectra ſæpius apparentia deſertus , & horridus nobis à dextris occurrit ; plura de illo comites itineris narrabant , & maximè quandò aliqui illuc accedentes perierint.

In Armenia vidi montem Arcæ ſuprà deſcriptum, & montem Ararat , vulgò *Varach* , decem millium in eo Crucifixorum martyrio glorioſum , infra deſcribendum.

Littora Syriæ nauiganti mons Libanus primò; deinde noſter Carmelus mihi occurrit ; vterque nobiliſſimus,myſteriis plenus, ſed iã ſigillatim ſupra deſcriptus.

 Cùm

Cùm partem Terræ Sanctæ lustrarem, plurimos montes in Scriptura nominatos, & vestigiis Christi Domini consecratos aspexi: vidi montem Ciuitatis Nazareth nunquam satis laudandæ, eo quòd patria Sanctissimæ Virginis Deiparæ, & locus Conceptionis, ac diuturnæ habitationis Incarnati Dei fuerit, aliísque pluribus titulis: hic mons, licèt vbi sita est ciuitas, non admodùm altus appareat: cùm tamen post milliare ad depressum campum magnum Esdrelon attingit, altissimus est: inde Iudæi Christum Dominum præcipitio perdere voluerunt.

Conscendi sacrum montem Thabor infra describendum: ex quo ferè omnes Palæstinæ montes sum diu contemplatus: ab Oriente dissiti montes Arabiæ, aliíque obiiciebantur; ab Occidente noster Carmelus, aliíque Galilææ montes; à Septentrione mons Libanus; mons in quo Christus Dominus Beatitudines suis prædicauit Apostolis, aliíque montes in Tribu Nepthali; tandem à Meridie vicinus mons Hermon, paulò remotior mons Gelboë, montes Ephraim, aliíque comparebant.

CAPVT V.

Descriptio Oceani Orientalis Indici.

OCeanus Orientalis Indicus incipit à fluuio Indo, qui omnibus aliis suum nomen communicat, siue à promontorio Arabiæ fœlicis dicto Ras Algati, quod prædicti fluuij ostio magis Septentrionali opponitur, interiecto sinu Persico: terminatur autem versùs Austrum ad Insulas Sumatram & Iauam maiorem.

In eo sunt plures, magnæ & celebres Insulæ supra descriptæ; nam præter duas prædictas, est ditissima Insula Ceylam, Insulæ Maldiuæ, Insulæ Nicobar, Insula Goana, & plures aliæ.

Multa

Multa recipit flumina; ſed inter alia nobiliſſima Indum prope Perſidem; & Gangem prope Bengalam multiplici oſtio confluentes: hi fluuij apud Indos Gentiles ſacratiſſimi ſunt; vnde ſe quotannis ad eorum aquas transferunt, vt illis immerſi propriis ſceleribus ablutis purificati reſurgant: non hîc diutius in eorum deſcriptione immorabimur; cùm de illis iterum agendum ſit.

Huius Oceani nauigatio eſt admodum regularis: cùm enim in Indiis, vt dictum eſt, venti ſuo ordine vt plurimùm ſine inuidia, determinatis menſibus ſpirent: quiſque nauta conſtantis huius ordinis noritia peritus, facilè ſcit quandò ad Auſtrum, quando ad Septentrionem, quandò ad Occaſum nauigandum eſt; vnde rariſſima contingunt naufragia: menſibus Iunij, Iulij, & Auguſti ad centum prope littus milliaria, nullus audet nauigare; tunc enim continuò venti occidentales vehementiſſimi perflant, qui naues in oceano repertas vel perfringerent, vel ad terram allideren; omnes enim portus, duobus exceptis, vt ſupra dictum eſt, congeſta vento arena clauduntur.

Paucos è noſtris piſcibus, plures ex aliis nobis incognitis, alibi deſcribendos profert: plura gignit pretioſiſſima, vt Corallium rubeum & nigrum: Succinum, tam nigrum ad odores, quàm griſeum ad cibos: & tandem Vniones maximè prope Inſulam Ceylam; propterea littus illud vocatur piſcationis: ſed iam ab aliquot annis anathemate Epiſcopi Cochinenſis ſupra ipſos fulminato, vt ſupra dictum eſt, inde expulſi & Eccleſiæ præcepto parentes non comparebant: modus piſcandi Vniones poſtea deſcribetur.

CAPVT VI.

Descriptio Maris Mediterranei.

MAre Mediterraneum incipit ab Hispania in freto Gaditano ad Herculis columnas, & per mille, & amplius leucas vsque ad Regnum Syriæ versùs Orientem ab Occidente percurrit: dicitur Mediterraneum, quia medium iacens antiquum terrarum orbem in tres partes, videlicet Europam, Asiam, & Africam diuidit.

Hæc alluit regna: à dextris in Africa totam Mauritaniam Hispaniæ & Galliæ oppositam; Regnum Carthaginis, vulgò de Tunis, Italiæ correspondens; deinde Ægyptum minori Asiæ obiectam: à sinistris autem in Europa, Hispaniam, Galliam, Italiam, Dalmatiam, & Græciam; cui succedit Asia minor: in extremo autem Syriam, Phœniciam, & Palestinam, quæ sunt in Asia.

Mare Mediterraneum alia duo Germana complectitur; scilicet Adriaticum, quod ab Insula Corcira, & promontorio Hidruntino inter Dalmatiam & Italiam procurrens Venetias attingit; & mare Ægæum quod à Creta Insula ad Septentrionem decurrens ad turres Dardaniæ peruenit: vbi aquas maris maioris, siue ponti Euxinij per Canalem Constantinopolitanum continuò fluentes admittit.

Plures nobilissimos recipit vndequaque fluuios: in Ægypto Nilum celeberrimum à montibus Lunæ venientem, & emensa ab Austro versùs Septentrionem tota Africa, multísque aliis auctum fluuiis ostio septemplici exundantem. In Syria inter alios Orontem è monte Libano ab Austro etiam versùs Septentrionem properantem, & pluribus fluuiolis tumidum sub Antiochena Ciuitate desinentem: Danubium è Germania per Pannoniam, aliáque Regna per sexcentas circiter

leucas

leucas ab Occaſu ad Ortum properantem, ac ſexaginta, vt dicitur nauigabilibus fluuiis admiſſis, primò in mare maius, deinde in ipſum medio canali Conſtantinopolitano exundantem: in Italia Padum, & Tiberim, alióſque plures: in Gallia Rhodanum ſuo curſu rapidiſſimo celebrem, & alios plurimos: in Hiſpania iberum, & complures alios ex Pirenæis montibus defluentes: alios miſſos facio, quia non vidi, nec ita celebres habentur.

Plurimas, eáſque celeberrimas in toto ſuo tractu continet Inſulas: prope Hiſpaniam ſunt inſulæ Baleares, videlicet Maiorica Epiſcopali dignitate fulgens, Minorica, & aliæ: Galliæ propriæ adiacent Stecades, vulgò dictæ inſulæ *d'Hieres*, ob vicinam eiuſdem nominis vrbem, ab Occidente ad Orientem recto tramite coordinatæ; quælibet ſuum habet nomen, orientalior inſulæ Titanis vocatur: oppoſitæ ad tria milliaria ſunt portui Maſſilienſi tres inſulæ paruæ, ſuo quæque caſtro munitæ: minima ipſarum caſtrum habet munitiſſimum, quæ toti dominans littori, acceſſúmque prohibens Maſſiliam defendit; vocatur Caſtellum D'if: ad finem orientalem prouinciæ ſunt Lirinenſes inſulæ, vulgò Sancti Honorati, & Sanctæ Margaritæ; non ſolùm apud antiquos propter ſanctitatem monachorum ibi commorantium, ſed etiam his vltimis temporibus propter bella celeberrimæ; nam primò ab Hiſpanis captæ, plurimúmque munitæ; deinde à Gallis maiori cum gloria fuerunt recuperatæ; plures aliæ ſunt, ſed non notæ.

Italiæ etiam plures adiacent: præcipuæ ſunt Sicilia, Sardinia, Corſica & Elba: duæ primæ ſunt ditionis Hiſpaniæ; Tertia ditionis Genuenſium; Quarta partim ditionis Gallicæ, partim Magni Ducis Etruriæ: tres primæ Regalis nominis dignitate gaudent, plurimi Epiſcopatuum honore fulgentes, de his ſicut & de aliis modo referendis plurima dici poſſent: ſed quia omnibus

notæ, & à pluribus descriptæ, cursim pertransibo ad ignota processurus.

Sequitur Melita, propter naufragium & hospitium Sancti Pauli Apostoli, in Scripturis sacris nominata; & propter gloriam Equitum sancti Ioannis ibi commorantium inclyta; primus eius Episcopus dicitur fuisse S. Publius, qui ante erat Dominus, ab eodem Apostolo consecratus: deinde ad Orientem nauigantibus occurrit Creta, nunc Candia, partim à Turcis occupata, Venetisque erepta; ad eius Septentrionem in Archipelago sunt sparsæ Ciclades, Negropontus, Scio, Pathmos, aliæque plures, & in sacris, & in prophanis codicibus plurimùm commendatæ; quas quia non vidi, licèt multa de eis afferre possem, sciens volénsque prætermitto.

Vltra procedentibus minori Asiæ adiacens apparet Rhodus, diuturna Equitum nunc Melitensium habitatione nobilitata; obsidione Turcarum sub Solimano eorum Imperatore, exercitui præsidente, celeberrima: tandem est Ciprus omnium orientalior toti titulis in sacris litteris exaltata.

Circa littus Africæ inuenitur Tabarca, & aliæ vix notæ; sicut & in mari Adriatico; ad cuius initium sita iacet Corsira, sacris sancti nostri Spiridionis illustrata reliquiis, cuius corpus post mille & ferè quadringentos annos incorruptum miraculosè perseuerat.

Piscibus nostrum mare Mediterraneum abundat: sed sicut dicitur, quòd non omnis fert omnia tellus; sic nec in toto mari iisdem pisces inueniuntur; sed pro diuersitate climatum diuersi generantur: Tunnus vniuersaliter totum percurrit; piscis Spatha, sic dictus, quia in capite os habet adinstar Spathæ efformatum, ad tres palmos longum, & ad tres digitos latum; in freto Messanensi videtur, irreconciliabiles cum pisce Cane exercet inimicitias, quem continuò prosequitur, & sæpe

sua

ſua ſpatha confodit: in littore Genuenſi aliorum piſcium penuria laborante menſe Martio quidam piſciculi tenuiſſimi, dicti Albuli, ſiue candiduli propter candorem, vulgò *Bianchetti*, affatim capiuntur. Plurimi per totum mare apparent ſaltantes Delfini, qui comitantes Tunnos ad retia deducunt, & vt dicitur ad vocem piſcatorum, illis relictis ſoli foras exiliunt: apparent etiam alij ingentes, dicti mulati, quos Cete mares vocant.

Plurima etiam precioſa hoc mare producit, ſicut in littoribus Africæ & iuxta Stecadas inſulas in littore Prouinciæ plurimum Corallij rubri; aliáque quæ paſſim apud probatos authores deſcripta reperiuntur.

CAPVT VII.

Deſcriptio Sinus Perſici.

MAre illud, quod inter Perſidem & Arabiam fœlicem decurrit, vocatur ſinus Perſicus, qui vento proſpero ſex dierum ſpatio præteriri poteſt; vno autem die facilè transfretatur: incipit prope Regnum Sindi, vbi fluuius Indus mare influit, ex alia parte Arabiæ correſpondet promontorium vulgò dictum *Ras al gatti*, & definit ad oſtia fluuiorum Euphratis & Tigris, ad dexteram habens Perſidem à qua nomen Perſici ſortitur, à ſiniſtra autem Arabiam: à ſuo principio paulatim reſtringitur, donec ad caput ſiue promontorium Moſſandam perueniat; (ibi quippe montes ex vtroque littore conſpiciuntur.) Iterum dilatatur, ſicque per totum diſcurrens ad dicta flumina terminatur.

In ſinu Perſico aquæ ſuo ordine bis quotidiè fluentes & refluentes, rapidiſſimo feruntur impetu, cuius effectus in Euphrate comparet; tanto enim contra proprium repellitur curſum, vt ad centum circiter milliaria retrocedat; maximè dum ventus ſpirat meridionalis:

lis: tunc enim aquæ maris falſæ vſque Baſſoram, quæ quatuordecim à mari diſtat leucis, perueniunt: frequentiſſimæ ſunt ibi tempeſtates, & omninò mare illud eſſet innauigabile, niſi plures ex vtroque littore eſſent portus, multæque post illud ſparſæ Inſulæ: ſæpe enim contingit, vt vi ventorum nautæ ter aut quater retrocedere cogantur: ingentes, quas in illo paſſus ſum tempeſtates in meo reditu, poſtmodùm enarrabo.

Eſt locus in illo periculoſiſſimus, ac ordinariè tempeſtatibus agitatus; in promontorio quippe Moſſandam ſunt plures ſcopuli, quos vocant *Salemas*; inter quos vnus ita ad promontorium accedit; vt anguſtum mari vix iactus lapidis præbeant aditum; ibi mare, etiam dum alibi tranquillum eſt, continuò feruet, ac tam magnos edit vortices; vt in medio illorum maximè dum mare agitatur, per aliquod ſpatium poſſit lapis magnus dimitti, abſque eo quod aquam tangeret; propterea infeſtus ac periculoſus eſt ibi nautis tranſitus: nullus quidem mari turbato tranſit; ipſo verò quieto, non velis ob ventorum ibi flantium inconſtantiam; ſed remis illud decurrunt; rapidiſſimo quippe aquarum impetu feruntur; & ita ad promontorium accedunt, vt pene tranſeundo attingant, timent enim ne ad illum ſcopulum, & ad vortices rapiantur; propterea remos, qui illam reſpiciunt partem, immergunt mari, magnóque conatu inſiſtunt, vt nauis fluxui reſiſtens ad aliam feratur partem; breuiſſimo temporis ſpatio locus ille periculoſus pertranſitur, Nautæ Mahometani, aliíque mercatores inde tranſeuntes, aliquid comeſtibile proiiciunt; fingunt enim ciuitatem ſubtus reperiri, vbi homines viuant, & commercium exerceant; Eóque dementiæ vnus illorum deuenit, vt omnes ſuas merces ibi proiici iuſſerit; ſéque poſt illas præcipitem in mare dederit; dicens ſe ibi multùm fore lucraturum.

Sinus iſte, dum fluxu creſcit, per aliqua milliaria intra

tra

tra terram, præsertim in littore Persico decurrit; ibi enim terra adeo plena ac demissa est; vt facilè tumentes maris vndas latè discurrere, progredi, ac recedere permittat: vnde nautæ terram attingunt, antequam videant; sciunt tamen se ad finem maris peruenisse, cum aquas maris ex commixtione Euphratis pallidas, ac quasi flauas aduertunt; tunc enim assumpto plumbo aquarum altitudinem metiuntur; & an limus, an arena in fundo reperiatur, tentant; ex his enim facilè colligunt, quò peruenerint; eò autem vnus Arabs, qui nautæ munus obibat, experientiæ deuenerat; vt cùm esset cæcus, ex limi vel arenæ odore differentia maris loca distingueret; illúmque mercatores aliis nautis, vtpotè magis idoneum, præferebant: sed is continuò demisso plumbo adipe linito, quò aliquid è fundo educeret, mare tentabat: procurant igitur nautæ canalem fluuij dicto experimento attingere; nam ibi plus aquæ reperitur: si enim extra illud nauigarent, refluente mari in sicco naues remanerent, ac fundum tangerent; non quod ibi sit aliquid periculi, ob maximam quippe limi flaui ac liquidi copiam, quasi in molli culcitra naues quiescunt; sed quia ibi, vsque ad plenum maris incrementum, coguntur remanere.

His sinus maris est piscium feracissimus, ex quo Arabes prope mare habitantes præcipuum habent alimentum; ibi enim quotidie piscantur, piscésque retibus captos exenterant, sícque apertos supra illos montes & scopulos Solis ardoribus, ibi vehementissimis, exsiccandos exponunt, siccos colligunt, iísque non aliter coctis simul cum Dactilis vescuntur. Præcipuus piscis, qui in illo mari capitur, vocatur piscis *Serre* à Lusitanis, Ab Arabibus verò *Ser Mahi*: est maior maximis Tunnis, repertos in mari deuorat homines, magnis quippe armatus est dentibus; recenter captus, est delicatissimus, ac gustui suauissimus; sed duræ digestionis, salubrior est

eſt ſale conditus : multa vaſa illo plena in Indias deferuntur, vbi talis piſcis non reperitur, ſed multùm æſtimatur. Inueniuntur ibi etiam aliquando Cete grandia, plurimi etiam ſerpentes ſupra mare natantes conſpiciuntur : plures tamen in oceano Indico, quinquaginta à terra milliaribus apparent ; propter quod illa pars oceani, mare Serpentum nuncupatur : hi ſerpentes vi imbrium à terra in mare rapiuntur.

Magna in hoc mari copia corallij nigri naſcitur, ex quo roſaria pulcherrima fiunt : ibi etiam Vniones ſiue Margaritæ, omnium aliarum pulcherrimæ ac pretioſiſſimæ. Hic autem eſt piſcandi modus ; conueniunt centum, aut ducentæ nauiculæ Arabum & Perſarum, qui in illo mari in variis portibus habitant, ac loca in quibus norunt eſſe oſtrea gemmarum productiua : tunc mari tranquillo demittunt in fundum caniſtrum lapide onuſtum, vt deſcendat, ipſi nauiculæ alligatum : deinde, qui oſtrea collecturus ſe mari immergere debet, ad pedem alligat ſibi, ſed leuiter vt facilè poſtea ſoluatur, lapidem magni ponderis ; quo citius deſcendat : qui item lapis nauiculæ fune nectitur : poſtea ſe ſub brachiis alio fune cingit, qui præ manibus habetur ab his, qui in naui ſunt : Denique omninò denudatus clauſis gozipio auribus, conſtrictis quodam inſtrumento naribus, oleum in ore geſtans ſe in mare proiicit, & quàm citiſſimè ad fundum peruenit : tunc ſoluto lapide, quem pedi ligauerat ; colligit oſtrea quæcumque occurrunt, identidem oleum ex ore dimittens, quo melius videat ; cúmque caniſtrum impleuerit, vel cùm halitus deficit, mouet funem quo eſt alligatus, ſtatímque magna diligentia ab aliis extra aquas educitur, poſtea caniſtrum extrahunt, oſtrea in naui recipiunt, ſic tota die piſcantur : non tamen idem ſe ſemper aquis immergit ; ſed alij aliis ſuccedunt, vt laborem inuicem partiantur. Contingit aliquandò, quòd aliqui deficiente halitu moriantur,

vel

vel à piſcibus deuorentur : ſunt inter hos homines, qui ducentos palmos ſubtus aquas deſcendant ; ſed hi rari.

Multæ ſunt in hoc Sinu Inſulæ ; propè Maſcatum eſt perexigua, dicta victoriæ Inſula ; propter inſignem, quam Luſitani de multis triremibus Turcicis, hoc in loco reportarunt victoriam ; ad illam ſæpe deuotionis causâ accedunt Iudæi Maſcati commorantes : huc ex mari rubro claſſis triremium Turcicarum venerat ; vt primordia Luſitanorum in Oriente deleret. Deinde ſequuntur inſulæ, ſiue potius ſcopuli Suadi, deinde prope Moſſandam eſt Inſula dicta *Murium*, ob magnam eorum ibi multitudinem ; item Inſulæ *Caprarum*, quia multæ ibi reperiuntur. In promontorio Moſſandam ſunt plures Inſulæ, vt plurimùm exiguæ, quas vocant Salemas ; poſtea occurrit Lareca, cui proximum eſt Ormuſium, nobiliſſimum & ditiſſimum olim Luſitanorum emporium ; quia omnes Perſidis merces illuc aſportabantur ; eſt Inſula non latè patens, ob ſalſuginem ſterilis de foris aſportanda indigens aqua : nunc ſub ditione Perſarum redacta, penè deſtructa ac deſolata eſt: nos in ea Conuentum habebamus. Ormuſio proxima eſt inſula Quexomis in longitudinem ſatis diffuſa, fertiliſſima, & aquis abundans: ſequuntur Inſulæ Tombo, Angan, Piloxo, Surrin, Andruuia, Caïs, Lara, Carga, Lera, aliæque hinc inde ſparſæ. Ex his vltimis duæ tantùm Surrin, & Carga habitantur ; aliæ verò ante aduentum Luſitanorum incolis plenæ erant, ſed nunc ob eorum incurſiones penitus deſertæ. Vltima omnium prope oſtia Euphratis eſt Inſula Baren, olim Luſitanis ſubdita, nunc Perſarum præſidio munita : ibi gemmæ plurimæ capiuntur ; ibi etiam reperiuntur fontes aquæ dulciſſimæ, ſub aquis maris illius ſalſis erumpentes; creditur his in locis fuiſſe paruas inſulas, nunc mari ſubmerſas, in quibus prædicti fontes emanabant : Nau-

tæ,

tæ, vt ex illis fontibus aquam hauriant (ſciunt enim locum, vbi ſcaturiunt) aſſumunt vtrem, os eius manu comprimunt, deinde ſe mari immergunt, os vtris fonti applicant, vbi plenus fuerit, os eius iterum manu comprimunt, & ab aquis exiliunt.

CAPVT VIII.

Deſcriptio maris Armeniæ.

PAruum in Armenia mare vidi, quod ſine dubio lacus vocaretur, niſi aquarum ſalſedo prohiberet: circumquaque altis cinctum eſt montibus.

Incipit propè ciuitatem Van ſupra deſcriptam, & ad oppidum Tatuan terminatur, vbi magis anguſtum, retro collem ſecuram nauibus præbet ſtationem; tres alibi in eo parum tutos inuenimus portus.

Montes illud cingentes, tanquam corona ſimul apparent; non enim magna eſt eius longitudo, vel latitudo: paucis enim horis transfretari poteſt.

Crebri in eo perflant venti; cùm ex circunſtantibus illis ſpirent montibus, etiam media æſtate; circa feſtum Aſſumptæ Virginis illud ingredientes, bis, aut ter retrocedere coacti ſumus: ſi enim vento proſpero aliquantulum procedebamus, ſtatim exurgente contrario ad oppoſitam partem deuoluebamur; vnde quatuor, aut plures dies maximo cum tædio inſumpſimus, vt illud ſpatij conficeremus, quod vnica nocte vento moderato facilè pertranſiri poteſt: illud adhuc magis tædium augebat, quod intra quartam horæ partem ſæuientibus permiſcuè ventis omnibus, & labor nautis in velis mutandis, & nobis naufragij metus cauſabatur: vnde, vt audiui hyeme tutò nauigari non poteſt.

Piſces in hoc mari admodum rari videntur: nam vt ab indigenis accepi, vnica ſpecies piſcium, paulò Sardinia maior, nec valde delicata, & adhuc de-

terminato

terminato tantùm tempore reperitur.

Vnica comparet, huic mari vicina ciuitas Van, iam ſupra deſcripta, & admodum rara oppida, duo tantùm vidi in littore eius meridionali, Tatuan videlicet in amœna planitie, & aliud ſupra collem ſitum viginti circiter inde milliaribus diſſitum, in quo propter contrarios ventos duobus diebus ſiſtere coacti fuimus: raræ etiam aliquæ apparent villæ; horum incolæ ſunt Armeni, quamuis aliqui eis admixti ſint Turcæ.

Plures hoc mare ex circunſtantibus defluentes montibus torrentes, & riuulos admittit, quibus tamen nec augetur, nec dulceſſit; ſicut nec alia maria redundant, aut dulceſcunt ſuſceptis fluminibus.

Creditur hoc mare per ſubterraneos meatus à mari Caſpio, non multùm inde diſſito procedere, quod in præſenti non deſcribo; cùm non viderim: licèt per multos dies Aſpahano Tauris veniendo, non longè ab illo incederemus, mediis montibus: eius tamen piſces delicatiſſimos ſæpè comedi, dum in Perſide commorarer.

CAPVT IX.

Deſcriptio fluuiorum Euphratis, & Tigris.

NObiliſſimi, & à multis iam ſæculis in Sacra Scriptura nominatiſſimi fluuij, Euphratis & Tigris, fratres verè vnitiſſimi, ab eodẽ patre ſacro ſcilicet fonte Paradiſi terreſtris ſimul nati, ſimul pari curſu non longè ab inuicem versùs Aſſyrios tendentes, iterum vniti ſimul in ſinu Perſico moriuntur: quia ipſos in principio, in medio, & in fine curſus vidi; ideo exactam deſcriptionem exarabo.

Euphrates, qui ab Arabibus *El-farat*, à Turcis verò *Morat* dicitur, à monte Armeniæ, quem iam deſcripſimus, originem ducit: versùs meridiem iter dirigens, mediam primò præterlabitur Armeniam, deinde Syriã

Arabíam

Arabiámque à Meſopotamia & Chaldea diuidens, longo ſatis tractu Sinum influit Perſicum.

In ſuo curſu aliquas ciuitates, pluráque oppida ſuis exhilarat aquis, agros fæcundando; primò enim Armeniæ egreſſus finibus, inuenit ciuitatem El-bir caſtello munitam, in Meſopotamiæ littore proximo Syriæ ædificatam, non longè ab Vr Chaldeorum nunc Orpha, diſſitam: qua relicta emenſo plurium dierum itinere, pluribus adæquatis oppidis, attingit Annam ciuitatem olim, vt iam dictum eſt, celeberrimam; cui poſtquam plurima ſuis aquis ſaluberrimis ac fœcundiſſimis contulit beneficia, vltra procedens ripis iam palmarum viriditate identidem decoratis, frequentiora etiam prætériensoppida, peruenit Hellam itinere pluſquam vnius diei à Babylone diſtantem, apud Mahometanos ob ſepulchra aliquorum Pſeudoprophetarum ipſorum plurimùm commendatam: digreſſus inde vrbem Aria peruenit, vbi lentus connaturalis eius curſus, refluentibus ob impetum ſinus Perſici eius vndis (quamuis adhuc triginta & amplius diſtet leucis) perturbatur: Tandem prope Cornar oppidum viginti diſtans à mari leucis, fratri ſuo Tigri ſociatur.

Eſt Euphrates in toto ſuo curſu iucundiſſimus; non enim inter ſcopulos, ſed per immenſas diffluit planities, ripis vndequaque virentibus: ſunt eius aquæ, non ſolùm guſtui bibentium depoſito iam limo ſuauiſſimæ, verùm & ſalúberrimæ: vnde credunt Arabes, ſe ab omni morbo etiam peſte, eius potu ſanandos: ſunt tamen turbidiſſimæ adinſtar Druentiæ; imò dum ad medium deſerti peruenium, plurimo mixtæ limo ibidem reperto flaueſcunt, ac tali colore per multa in ipſo marí Perſico dignoſcuntur milliaria.

Lento fluens curſu quietiſſimo, non profundus admodùm, niſi pluuialibus aut niuium Armeniæ liquefactarum intumeſcat aquis; ſed multis in locis diffuſus

Araris magnitudinem adæquat, abundat piſcibus delicatiſſimis, maximè iis qui ab illo piſces Euphratis nominantur.

Tigris, qui ab Arabibus *Dagella* nominatur, in Armenia maiori, ad radices montis non longè ab origine Euphratis fluuij diſtantis, ortum habet: In toto curſu, quo versùs Aſſyriam tendit, candidis rapidíſque aliquantulùm decurrit aquis, quæ licèt ad bibendum ſuauiſſimæ, non ita tamen ſalubres eſſe quotidianâ conſtat experientiâ; ob nimiam quippe ſubtilitatem, fluxum ventris hominibus cauſant non aſſuetis.

Multas, caſque celeberrimas in ſuo curſu pertranſit vrbes: in ſuo ferè principio mœnia Diarbequir, nobilis Meſopotamiæ ciuitatis, alluit: ibi adhuc tenuiſſimus eſt, nec latior quàm ſit iactus lapidis, nec altior duobus palmis; ſed facilè & ſæpè intumeſcit, maximè quandò niues montium Armeniæ liqueſcunt, vel magni ingruunt imbres; quod ex eius lecto plurimùm coram illa ciuitate diffuſo apparet; tunc autem ſupra pontem ad vnum milliare infra ciuitatem, inter anguſtias duorum montium fabricatum, pertranſitur. Ex his autem paruis principiis in magnum excreſcit fluuium; omnes enim fluuiolos, qui paſſim ex Armeniæ montibus profluunt, in ſe recipiens, cum Babylonem peruenit, ipſum Euphratem à ſuis magnum principiis adæquat. Hac ciuitate relicta, hinc radices montium Armeniæ, inde verò vaſtiſſimas Meſopotamiæ planities alluens; primò Ciuitatem Merdin, deinde Moſſul olim maximam & magnificentiſſimam Aſſyriorum Reginam Niniuem, plurimùm receptis auctus fluuiis attingit. Ingentibus eius, quæ adhuc apparent, ruinis ſuperatis ad nominatiſſimam Babylonem Chaldæorum olim caput decurrit, eiúſque pontem ligneum ſupra nauiculas fabricatum præterfluens, Perſidémque à Chaldæa diuidens, ad Arabiæ fœlicis initium ſuum fratrem Euphratem.

prope oppidum Cornar attingit.

Eius ripæ viriditate, & vtilitate ripas Euphratis ſuperant; cùm enim per habitata vt plurimùm pertranſeat loca, plurimos hortos, & campos palmis conſitos, rotis impetu fluminis continuò voluentibus & aquam effundentibus, irrigat; quod etiam in Euphrate contingit: piſcium etiam delicatiſſimorum eſt feraciſſimus.

Poſtquam Tigris & Euphrates ad Arabiam fœlicem peruenerunt, viginti ſcilicet milliaribus ſupra Baſſorã, ſimul confluentes maximum efficiunt fluuium, ambo proprium deperdunt nomen, & flumen Arabum impoſterum nominantur. Propter fluxum & refluxum maris, ſuum ſimiliter fluxum patitur & refluxum, qui ad centum ferè contra fluminis impetum aſcendit milliaria. Ex illo hinc inde propè infiniti dimanant fluuioli, qui illo ob maris refluxum intumeſcente, aquis repleti circumuicinas irrigantes terras, fertiles efficiunt,& ad ſingulas diuiſis ſuis riuulis palmarũm arbores attingunt: inter quas, mirabile dictu, reperiuntur & mares & fæminæ: mares producunt quoddam ſemen candidum, quod niſi determinato tempore hiantibus fæminarum immittatur ramis, ex quibus botri Dactilorum procedunt, non pingues Dactilos,ſed nucleos ſola pelle contectos producent.

Totus fluuius à flauis Euphratis aquis flaueſcit, & dum mare in ſeipſum refluit, flauæ illius aquæ ad multa milliaria intra mare pertingunt, aliquæ in medio fluuio ſunt Inſulæ, elatis palmarum comis, ſicut & vtraque fluminis ripa,decoratæ:ſed antequam ad mare conſociatas effundat aquas; in tria diuiditur capita, quorum primum & maximum recto fluit tramite; aliud à dextris valde magnum versùs Barem & Catiffam decurrit; inter quæ relicta ſatis magna Inſula, Kader id eſt viridis, nominatur; aliud denique paulò minus, flumen

Gaban

Gaban vocatur, quòd solùm inter alia capita vsque ad mare dulces suas conseruat aquas, nec fluxum maris patitur; alia verò duo capita intumescentis maris salsas ad duodecim intus milliaria recipiunt aquas; vnde per illud spatium nullæ nascuntur palmæ.

CAPVT X.

Descriptio fluuiorum Gangis, & Indi.

Ganges & Indus ab eodem monte Tauro, nunc dicto Imao, qui est pars Caucasi; imò ab eâdem origine procedentes, diuersa tamen decurrentes via; Ganges quidem ad partes Indiæ magis Australes, Indus autem ad Septentrionales; sicque inuicem diuisi ad quingentas circiter leucas in oceanum Indicum; ambo ostio multiplici consociatas effundunt aquas.

Indus, qui totam denominat Indiam, eámque à Perside separans à parte Septentrionali terminat, plures eásque maximas & celeberrimas irrigando exhilarat ciuitates; videlicet Magni Mogoris Regiam, quæ dicitur Agra & alias; nec longè transit à ciuitate Lahor, cuius fluuium recipit ad sui cursus finem in duo capita diuisus, vno versùs Cambaïam, alio versùs ciuitatem Tatta Regni Sindensis Metropolim propetans, iterum ibi multipliciter subdiuisus, iam multis auctus fluuiis ingressus mare terminatur.

Non solùm piscium piscationi, sed etiam Anatum venationi deseruit: hæ ordinariò aquis fluminis insident, cui cum multa vasa semifracta iniecta hinc inde fluctuent, Anates his assuetæ non fugiunt, dum accedunt; & sic homines ad illas capiendas hac vtuntur occasione: accipiunt enim vasa testacea, in eis foramina ad videndum simul & respirandum faciunt, deinde capiti dolosè imponentes flumen ingrediuntur; cautè ambulant, vel tali modo natant, vt nihil præter illa vasa com-

pareat:accedunt ſenſim ad aues, quæ de his fraudibus non ſuſpectæ remanent,crura eis ſubtus aquis frangunt, nec propterea gemitum edunt, quo reliquæ de inſidiis moneri poſſint;fractis autem cruribus auolare nequeũt: ita omnes percurrendo venantur; tunc vaſa deponentes, & prædam colligentes ſuam terminant venationem.

Ganges maior Indo mediam præterlabendo regionem Indicam,eamque in citeriorem & vlteriorem diuidens, multáſque percurrens ciuitates diffuſa plurimùm conficit ſpatia, & infinitis propemodum receptis fluminibus tumeſcens in freto Bengalæ, oſtio multiplici mare ingreditur.

Hic fluuius non ſolùm vulgares gignit piſces, ſed ad inſtar Nili formidabiles Crocodilos, qui non ſolùm incautos deuorant homines, ſed etiam nauiculas ad prædandum aggrediuntur; ad eius quoque ripas ferociſſimæ videntur Tygrides hominibus infeſtæ; caſus in hac materia contigit admirabilis, quidam Luſitanus fluuiũ Gangem enauigans voluit neceſſitate coactus, ad fluuij ripam exonerare ventrem; dum ibi recedente aliquantùm nauicula neceſſitate detinetur, ex parte fluuij repentinus apparet Crocodilus, dum miſer hic territus fugam meditatur, ex parte terræ ferociſſima Tigris aſpicitur:quid faciet his preſſus anguſtiis, vndique mors certa comparet; ſi ſe in fluuium ad effugiendam Tigridis rabiem proiiciat, ſe ſtatim ab hiante Crocodilo certiſſimè deuorandum videt; ſi in terram fugiat,vt Crocodilum euitet; ſe à Tigride diſcerpendum eſſe non dubitat: ſi maneat, præſens imminet vtrinque periculum: quibus, amabò, angebatur curis; quanto mortis ſibi imminentis periculo cruciabatur, quibus ſe Deo, Beatiſſimæ Virgini Deiparæ, aliiſque ſanctis obſtringebat votis, quæ irrita non fuerunt; Deo ſiquidem illis obſecundante inexpectato ſed mirabili modo mortis periculum euaſit; Tigris quippe illum diſcerpere volens

lens, impetu magno fremens insilit; quod aduertens Lusitanus statim se deprimit, ac ita Tygris in fluuium decidit, & à Crocodilo arrepta sub aquis deuoranda immergitur.

Vtriusque fluminis aquas mihi videre licuit: Ganges quidem prope Goam in terris Salsete, vbi ramus eius mare ingreditur: Indi verò, cum in mea profectione ad Indias, & in meo reditu regni Sindensis littora nauigarem.

Non desunt, qui ambos hos fluuios è Paradiso terrestri procedere dicant; sicut Euphratem & Tigrim, ipsúmque Gangem asserunt esse Phison; Indum autem esse Geon: iuxta superius dicta capite tertio facilè concedi potest; si vtrumque è mari Caspio vna duntaxat origine procedere dicatur: vnde mediatè ab eodem monte Armeniæ, quo Tigris & Euphrates procederent: ex ipso quippe plures emanant fluuioli, qui in mari Caspio recepti suas Gangi & Indo subterraneis meatibus aquas subministrant; vel si dicatur quòd iisdem meatibus subterraneis per multa spatia latitantibus à dicto monte procedant immediatè: hos fluuios tanquam è Paradiso dimanantes Indigenæ venerantur, & suaues ac salutiferas exaltant laudibus aquas.

CAPVT XI.

Descriptio fluuiorum Iordanis, & Orontis.

IOrdanis quoque & Orontes fluuij fratres esse creduntur, ab eodem monte Libano procedentes: sed Iordanis ad Austrum, Orontes verò ad Septentrionem percurrit.

Iordanis è meridionalibus Libani radicibus è duplici fonte consurgit, vnus dicitur Ior, alius verò Dan, quorum riui paulò post simul vniti Iordanem componunt, qui versùs Austrum decurrens, pontémque Iacob

præterlabens, in mari Galileæ primò quiescit, sed inde maior exurgens, riuulis & torrentibus auctus tandem in mari mortuo receptus emoritur: hæc duo maria, cum dulcibus gaudeant aquis, potius lacus à Iordane effecti videntur.

Plures in toto decursu admittit torrentes, Cisson, Carith, aliósque in sacris litteris nominatissimos.


Omnes Tribus Israël: paucis exceptis, riparum eius viriditate, & dulcium aquarum commoditate frui potuerunt, vt in descriptione Palestinæ dictum est; propterea pulchras ciuitates, plurimas vrbes, plurimáque oppida suo decursu irrigabat: circa mare Galileæ erant Tiberias à qua mare Tiberiadis, Gennezaret à qua lacus Genezaret dicitur, Bethsaïda sanctorum Petri, Andreæ, Philippi, & aliorum patria, Corozain, Capharnaüm, &c. In mari autem mortuo, siue lacu Asphaltite erant Sodoma, Gomorra, Seboïn, & Adama, quæ cœlesti igne in pœnam nefandi peccati tempore Abrahæ, solo Loth viro Iusto cum vxore & filiabus erepto, consumptæ fuerunt.

Pluribus fluuiis minor est Iordanis, si aquarum quantitatem, si decursus longitudinem consideres; omnibus verò maior & celebrior si quæ in eo gesta sunt, attentè perpendas. Primò ad ingressum filiorum Israël in terram promissionis, stupendo, & tunc inaudito miraculo, constituta in medio eius alueo Arca Domini, à parte superiori excrescentibus aquis in altum adinstar montis, ab inferiori verò defluentibus, siccum toti populo transitum aperuit; deinde Naaman Principis Syri ad mandatum sancti Elisei nostri, maculosam lepram abstersit; eiusdem sancti Elisei discipulis continua successione ad eius ripas concurrentibus solitarium ac dulcissimum præbuit habitaculum; sancto Ioanni Baptistæ Collegiis ipsorum, tunc essenorum dictis associato, faciléque Principi, & quietem, & baptizandi commodi

moditatem ſubminiſtrauit; quid amplius? ipſum Chriſtum Dominum, cœli terræque Regem, ad Baptiſma Ioannis accedentem ſuſcepit, & vndis irrigauit: à quo ſanctificatus ipſe Iordanis plurium quotannis Chriſtianorum, illuc deuotionis cauſa concurrentium, deuotione celebratur.

Orontes fluuius ſatis exiguus ad Septentrionales Libani radices exurgens, in Cœleſyria verſùs Septentrionem ſuum dirigit curſum; in quo duas celebres Ciuitates, pluréſque alias irrigans ad mare Mediterraneum leniter fluens procurrit. Prima illarum Ciuitatum eſt Aman, olim Apamea ſecunda eſt celebris Antiochia, ad cuius planitiem poſtquam deuenit, pluribus riuis, torrentibus, & fluuiolis plurimum auctus amœnior & celebrior reliquum viæ decurrit.

Plurimos alios vidi, tum in Syria, tum in Chaldæa, tum in Perſide, tum in Armenia, & Meſopotamia fluuiolos; ſed quia vix noti; ideo propriis in locis eos indicaſſe ſatis eſt nobis breuitatem affectantibus.





LIBER QVARTVS ITINERARII

In quo

Monarchæ Reges & Principes adducuntur, qui in Oriente ſunt dominati.

CAPVT PRIMVM.

De quatuor mundi Monarchijs in communi.

QVIA plura Orientis regna deſcripſimus, lectori iucundum & vtile iudicamus; ſi etiam Principes, qui eis dominati ſunt, recenſeantur: quod ex parte fiet deſcribendo quatuor mundi Monarchias ſibi ſuccedentes: videlicet Aſſyriorum ſiue Chaldæorum, Perſarum, ſiue Medorum, Græcorum, & Romanorum: dictæ ſunt autem Monarchiæ; non quia erant ſingulares principatus (ſic enim quodlibet Regnum vni Regi ſubditum, eſt Monarchia: ſed quia eorum imperium ad maiorem orbis partem dilatatum florebat.

De hac quadruplici mundi Monarchia, non ſolùm prophanæ litteræ; ſed & ſacri Codices plurima referunt, vel deſcribendo præterita, vel futura prænuntiando;

tiando; sed maximè de his agitur apud Danielem in sua prophetia sub figura diuersorum animalium.

Sanctus Propheta Daniel cap. 7. sic ait: Et quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari diuersæ inter se. Prima quasi Leena,& alas habebat Aquilæ: aspiciebam donec euulsi sunt alæ eius, & sublata est de terra,& super pedes quasi homo stetit, & cor hominis datum est ei. Et ecce bestia alia similis Vrso in parte stetit, & tres ordines erant in ore eius, & in dentibus eius, & sic dicebant ei, surge, comede carnes plurimas. Post hæc aspiciebam & ecce alia quasi Pardus,& alas habebat quasi auis,quatuor super se,& quatuor capita erant in bestia, & potestas data est ei. Post hæc aspiciebam in visione noctis, & ecce bestia quarta terribilis, atque mirabilis, & fortis nimis, dentes ferreos habebat magnos, comedens, atque comminuens, & reliqua pedibus suis conculcans: dissimilis autem erat cæteris bestiis, quas videram ante eam,& habebat cornua decem: hanc tamen Propheta non describit,sed eadē forte est,quam sanctus Ioannes in Apocalyp.cap.13 exprimit his verbis.Et vidi de mari bestiā ascendentem habentem capita septem, & cornua decem, & super cornua eius decem diademata, & super capita eius nomina blasphemiæ.Et bestia,quam vidi, similis erat Pardo & pedes eius sicut pedes Vrsi, & os eius sicut os Leonis: dicitur autem dissimilis aliis tribus; quia ex singulis aliquid habens, nulla earum penitus erat, sed ex illis composita robur & furorem ipsarum continebat; propterea dicitur terribilis, atque mirabilis, & fortis nimis: quod autem hæ quatuor bestiæ, quatuor futuras ante Christum Monarchias præfigurarent; eidem sancto Prophetæ denunciatum est: subiicit enim. Horruit spiritus meus, ego Daniel territus sum in his, & visiones capitis mei conturbauerunt me:accessi ad vnum de assistentibus,& veritatem quærebam ab eo de omnibus his; qui dixit mi-

hi interpretationem ſermonum, & docuit me: Hæ quatuor beſtiæ magnæ, quatuor ſunt regna, quæ conſurgent de terra: ſuſcipient autem Regnum ſancti Dei altiſſimi, & obtinebunt Regnum vſque in ſæculum, & ſæculum ſæculorum: poſt pauca, beſtia quarta Regnum quartum erit in terra, quod maius erit omnibus regnis, & deuorabit vniuerſam terram, & conculcabit,& comminuet:iam idem Propheta eadem quatuor regna præuiderat, & deſcripſerat in ſtatua repræſentata Nabuchodonoſor: harum beſtiarum, & ſtatuæ partium adaptationem ad quatuor Regna Expoſitoribus relinquo.

Prima Aſſyriorum, ſiue Chaldæorum Monarchia paulò poſt diluuium à Nembrod,ſiue Belo inchoata,ſub Balthaſare deſiit: Secunda Perſarum, ſiue Medorum victo Balthaſare à Dario & Ciro fundata, ſub alio Dario corruit. Tertia Græcorum debellato Dario ab Alexandro Magno cœpta,ſtatímque diuiſa vix duobus ſæculis perdurans; Quartæ Romanorũ Monárchiæ ceſſit.

CAPVT II.

De Monarchia Aſſyriorum & Chaldæorum.

PRima mundi Monarchia fuit Aſſyriorum, & Chaldæorum, ab his prouinciis, vt à principalioribus denominata, & apud quas ſedes Imperij alternatim, modo Babylone,modo Niniue manſit.

Huic Monarchiæ principium dedit Nembrod, ædificata turri Babel, & Babylone Ciuitatẽ in regione Chaldæorum Euphratem fluuium: de illo agitur Geneſis 10.& dicitur eſſe filius Chus,nepos Cham,& pronepos Noë; apud prophanos authores vocatur Belus:quã uis non deſint, qui Belum filium Nembrod aſſerant.

Nembrod Patri poſt ſexaginta duos annos Imperij, ſucceſſit Ninus filius,qui inchoatã ſic ſtabiliuit, & dilatauit Monarchiã,vt ab ipſo quaſi fundatore anno mũdi ſecundùm

ſecũdùm aliquos milleſimo nongenteſimo ſeptimo: ſecundùm alios anno milleſimo nongẽteſimo nonageſimo ſeptimo cœpiſſe dicatur. Propter hãc Chronologię apud authores differentiam nullam annorum mundi mentionem faciemus in ſingulis Monarchis, tam huius Monarchiæ quàm aliarum: donec ad tempora Chriſti Domini accedamus, quando apud omnes authores certa eſt annorum ſeries. Poteſt tamen quilibet computatis Imperij ſingulorum annis, in quorum numero nulla pene eſt difficultas, eorum imperij & mortis tempus ad annos mundi ſecundùm vtramque opinionem, & alias ſi quæ ſint) reducere. Hic ad ſuæ potentiæ & gloriæ iactantiam Ciuitatem maximam à ſe Niniuem denominatam ſupra ripam Tigris fluuij ædificauit: tanta fuit eius magnitudo, vt trium dierum itineris fuiſſe in ſacris litteris dicatur. Hic Ninus Geneſis 10. vocatur Aſſur, à quo hæc Monarchia, dicta eſt Aſſyriorum: Babylonios, Armenos, Medos, Perſas, Parthos, Hircanos, Bactrios, Syros, aliáſque regiones Aſiæ, ipſámque Ægyptum in Africa ſuo ſubiugauit imperio, quinquaginta duos imperauit annos, eiúſque quadrageſimo ſecundo natus eſt in Vr Chaldæorum Abraham Patriarcha.

Semiramis vxor Nini propter minorem filij ætatem imperium adminiſtrat, ſimúlque cum eo quadraginta duobus annis imperat: hæc Babylonem ampliauit, eiúſque muros tanta mole & arte conſtruxit, vt inter mundi miracula numerentur, ſuæque ditioni plures ſubiecit nationes.

Ninyas ſiue Zameis Nini & Semiramidis filius, trucidata matre, ſolus triginta octo annis regnat, cuius anno trigeſimo tertio Abraham ætatis ſuæ ſeptuageſimo quinto vocanti Deo obediens ab Vr Chaldæorum, patria parentibúſque relictis in terram Chanaan tranſmigrauit: hunc Ninyam aliqui dicunt eſſe Amxaphel Regem Sennaar, de quo agitur Geneſis 14.

Arius

Arius regnat triginta annis, quorum decimo Abraham ætatis ſuæ centeſimo genuit Iſaac.

Aralius regnat quadraginta annis, quorum vltimo Eſau & Iacob filij Iſaac & Rebeccæ vno partu naſcũtur.

Baleus ſiue Xerxes regnat triginta annis.

Armamitres, ſiue Armatrites regnat triginta octo annis.

Belochus regnat triginta quinque annis.

Baleus II. regnat quinquaginta duobus annis, eius tempore Iacob ad filium Ioſeph in Ægypto dominantem perrexit.

Althadas ſiue Sethos regnat triginta duobus annis.

Mamyſthus, ſiue Maminthus regnat triginta annis, eius tempore moritur Ioſeph Patriarcha in Ægypto.

Mancaleus ſiue Macaleus ſiue Aſcharius regnat viginti octo annis.

Sperus ſiue Sphærus regnat viginti annis, eius tempore naſcitur Moyſes.

Mamylus ſiue Mamilas regnat triginta annis.

Sparetus ſiue Sparthæus regnat quadraginta annis.

Aſcades ſiue Aſcatades regnat quadraginta annis, eius tempore Moyſes filios Iſraël eduxit de Ægypto.

Amynthes regnat quadraginta quinque annis, nono imperij eius anno mortuo Moyſe, & ſuccedente in ducis dignitatem Ioſue filij Iſraël terram promiſſionis ingrediuntur.

Belochus II. regnat viginti quinque annis, & ſub ipſo Othoniel eſt iudex Iſraël.

Bellepares, ſiue Bellopares ſiue Balatores regnat triginta annis, ſub ipſo vixit Aioth Iudex in Iſraël.

Lamprides regnat triginta annis.

Soſares regnat viginti annis.

Lampares regnat triginta annis, ſub ipſo floruit Debora in Iſraël.

Panyas regnat quadraginta quinque annis, eius tempore Gedeon Iudex eſt in Iſraël.

Soſarmus regnat nouemdecim annis, ſub ipſo Abimelech, & Thola iudicant Iſraël.

Mithræus regnat viginti nouem annis, ſub ipſo Iair iudicat Iſrael.

Tautanes ſiue Teutamus regnat triginta duobus annis, hic miſit Memnonem in auxilium Troiæ à Græcis obſeſſæ.

Teutæus regnat quadraginta annis, ſub ipſo floruit Sanſon in Iſraël.

Thimeus, ſiue Thinneus regnat triginta annis, eius tempore fuerunt Heli Sacerdos, & Samuel Propheta.

Dercylas regnat quadraginta annis, eius tempore regnarunt Saul & Dauid in Iſraël.

Eupales regnat triginta octo annis, eius tempore regnauit Salomon.

Laoſthenes regnat quadraginta quinque annis.

Pyriciades ſiue Pyrithiades regnat triginta annis, eius tempore regnauit Roboan in Iuda & Ieroboan in Iſraël.

Ophracteus regnat viginti annis.

Ophratenes regnat quinquaginta annis.

Acrazapes, ſiue Ocrazapes, ſiue Acracarnes regnat quadraginta duobus annis, ſub ipſo regnant Amaſias in Iuda, & Ioas in Iſraël.

Thonos-Concoleros, dictus à Græcis Sardanapalus, regnat viginti annis: qui cùm nimis eſſet effeminatus, itavt purpuram cum mulieribus neret;à ſuis deſpectus, & indignus imperio iudicatus eſt: ſub ipſo Ionas Propheta Niniuitas ad pœnitentiam conuertit, ipſo Rege fidem adhibente verbis Prophetæ: ſed cùm ad vomitũ rediiſſet, in ſua Imperiali ciuitate Niniue ab Arbace Medo, & Beloſo Babylonico obſidetur, & ad extremas anguſtias redactus in ingentem, quem erexerat rogum ſe, ſuos filios, & vxores coniiciens, igne conſumitur cum quinquaginta menſis aureis, totidemque lectis, ac

decem

decem millionibus auri, centúmque millionibus talentorum argenti. Eius tempore regnauerunt Ozias in Iuda & Ieroboan in Iſraël. Hæc ſucceſſerunt anno mundi 3149. ſecundùm aliquos, ſecundùm alios autẽ an. 3108.

Sunt qui credant tunc terminatam fuiſſe Aſſyriorum Monarchiam; & Perſarum; ſiue Medorum inchoatam; ſed iuxta ſincerum ſacrarum litterarum ſenſum, & Sancti Hieronymi, aliorúmque Sanctorum Patrum authoritatem, dicendum tunc non terminatam, ſed tantùm diuiſam fuiſſe hanc Monarchiam; quæ denuò in priſtinum rediit ſplendorem, ac ducentis octuaginta quinque annis amplius floruit vt doctiſſimè probat Noſter Franciſcus à S.Maria in ſua hiſtoria prophetica. Licèt igitur Arbaces patriam ſuam Mediam, & Baloſus Babyloniam prouinciam tirannicè vſurpauerint, ſuóſque habuerint ſucceſſores: Phul tamen deſolatam Aſſyriorum Monarchiam ſuſcipiens regnat 48. annis: & in Palæſtinam veniens à Manahen Rege Iſraël mille argenti talenta exegit.

Teglar-phalaſſar, ſiue Phul-Aſſar ſucceſſit, & venit in Palæſtinam tempore Phaceæ filij Romeliæ Regis Iſraël, ac tribũ Nephtali in Aſſyrios trãſtulit: regnat 25. annis.

Salman-Aſſar ſeptemdecim regnat annis, Oſeam Regem Iſraël tributarium primò facit; deinde rebellem debellat; expugnatâque Samariâ capit, & decem tribus captiuas duxit in Aſſyriam.

Sennacherib, ſiue Sargon ſeptem regnat annis: hic tempore Ezechiæ Regis Iuda cum immenſo exercitu in Palæſtinam pergit: ſed Deo ſanctiſſimum Regem Ezechiam protegente, Angelus Domini eius exercitum delet, occiſis centum octuaginta quinque millibus Aſſyriorum: ipſe verò Sennacherib Niniuem reuerſus à propriis filiis Adramelech, & Sarazar in templo adorans occiditur.

Aſarhadon filius Sennacherib patri ſucceſſit, ac decem

cem regnat annis: poſtea à Rege Babylonis. Merodrac Baladan ſuperatur: vnde iterum ex Aſſyriis & Babyloniis prima hæc Monarchia refloret: quia tamen Imperij ſedes Babylonem transfertur: ideò impoſterum in ſacris litteris nomen Imperij Babylonici frequentius eſt.

In Babylone regnauerant Beloſus quatuordecim annis, Naſſyus duobus, Chinzerus & Porus quinque, Dulilæus ſiue Dilulorus alios quinque: quibus ſucceſſit Merodrac Baladan, quem Ioſephus vocat Baladar, & Ptholomeus Mardokempalum: ſiue filius Baladan, quẽ idem Ptolomeus vocat Nabonaſſar: hic deuictо Aſarhadon, & Aſſyriâ Babyloniæ vnitâ primam Aſſyriorum & Chaldæorum Monarchiam plurimùm reſtaurat anno mundi ſecundùm aliquos 3229. ſecundùm alios verò 3332. eius imperium aliqui ad quinquaginta duos annos dilatant: alij duodecim terminant.

Ben-Merodrac, quem alij ſecundum Merodrac vocant, patri ſucceſſit, & viginti quatuor annis regnat.

Nabolaſſar, ſiue Nabunaſſar patri Ben-Merodrac ſucceſſit: de hoc fit mentio apud Ioſephum lib. 10. antiq. cap. 11. à quo etiam vocatur Nabuchodonoſor: regnat viginti nouem annis.

Nabuchodonoſor, ob præclara geſta & victorias, cognomento Magnus patri Nabolaſſar ſucceſſit. Hic in ſacris litteris nominatiſſimus, & apud prophanos authores celeberrimus, duas Tribus reliquas, ſcilicet Iuda, & Beniamin captiuos in Babylonem duxit, Regémque Iechoniam excæcatum carceri mancipauit: Ægyptum ſubiugat, Tyrum obſidione capit: cúmque alia mirabilia geſſiſſet, & in eo geſta fuiſſent, moritur anno Imperij ſecundùm Ioſephum 43. ſecundùm Scaligerum 32.

Eluimerodach ſucceſſit patri Nabuchodonoſor: hic Iechoniam ſoluit è Carcere, & aliis Principibus ſuis antepoſuit: ſanctúmque Prophetam Danielem plurimùm coluit: cùm regnaſſet viginti tres annos, occiditur proditione

proditione cognati sui Niglisar nomine, qui regnum inuadens quatuor imperat annis, suúmque filium nomine Labosardac, siue Labdassarac successorem reliquit: hic suis ita fuit inuisus, vt à propriis seruis primò sui Imperij anno trucidatus fuerit.

Baltassar filius Eluimerodach vsurpatum recuperat Imperium & septemdecim annis imperat; suis delictis diuinam contra se vindictam suscitans; maximè impietate, qua in solemni conuiuio cum Principibus, vxoribus, & concubinis, vasibus sacris ex Ierusalem adductis ad potandum vsus est: quo sacrilegio commotus Deus, mirabili manus in pariete scribentis prodigio proximã eius mortem, Assyriorum & Chaldæorum Monarchiæ ruinam, eiúsque ad Persas & Medos translationem denuntiat: vnde capta Babylone à Dario Medorum & Cyro Persarum Rege, occiditur anno mundi secundùm aliquos 3390. secundùm alios anno 3445. denique secundùm alios anno 3516. quo hæc prima terminatur Monarchia, postquam mille quingentos circiter annos perseuerasset in quadraginta nouem Regibus.

CAPVT III.

De Monarchia Persarum, & Medorum.

SEcunda mundi Monarchia fuit Persarum & Medorum à Dario Medo & Cyro Persa superato Balthassare fundata: iam, vt dictùm est, regnum Medorum & Persarum ab Arbace fuerat erectum, & à successoribus Regibus administratum: sed quia Assyriorum, & Chaldæorum potentia & gloria maior erat; ideò Monarchiæ nomen solùm sub Dario & Cyro meruit.

Inter Arbacem & Darium octo Reges mediarunt: videlicet Mandances, siue Mandanes ex Diodoro, ex Eusebio autem Medides filius Arbacis: hic regnat 50. annis; pater vero eius 28. Sosarmus qui regnat 30. annis.

Articas

Articas siue Artias ex Diodoro; ex Eusebio autem Cardiceas siue Cardicas regnat 50. annis Arbianes 22. Arseus siue Deioces 40. Artynes siue Phraortes 22. Artibarnas siue Astibaras siue Cyaxares 40. Apandamus siue Astyages pater Darij 35. Hîc notandum quòd plures ex Regibus Medorum duplici vocabantur nomine: ante Arbacem autem regnum medorum & Persarum Assyriis à Nino subditum fuit, deuicto Pharno primo Medorum Rege.

Astyages, qui Danielis 9. dicitur Assuerus, habuit filium Darium cognomento Astyngem imperij Babylonici destructorem, & filiam nomine Mandanem, quam Cambysi nobili Persæ coniugem dedit: Ex illa natus fuit Cyrus apud authores, tam sacros, quàm prophanos celeberrimus, quem Xenophon omnibus mundi Ducibus præfert. Cyrus filiam Darij Auunculi accipit vxorem, ab eóque ad partem regni assumitur, simulque cum eo ad expeditionem Babylonicam proficiscitur.

Captâ Babylone, & interfecto Balthasare, Darius & Cyrus secundam Persarum & Medorum Monarchiam simul inchoant, quam mortuo Dario primo Imperij sui anno solus Cyrus moderatur. Græci primum Monarchiam ponunt Cyrum ob eximium animi valorem: Daniel autem testis oculatus ponit Darium ob venerandam Caniciem; vtrique autem charissimus fuit Daniel ipse; tum quia ipsum purpura indutum & aliis Principibus à Balthasare præpositum inueneruñt; tum etiam & maximè, quia ob interpretationem mysticæ illius scripturæ & prophetiam celeberrimus erat.

Cyrus mortuo iam Dario solus imperare cœpit: hic videns se in Isaia Propheta diu ante prænunciatum mundi Monarcham, & populi Iudaici liberatorem futurum, in signum animi grati primum libertatis eius decretum edidit, eúmque ad patriam cum maximis ho-

noribus & facultatibus dimisit, Zorobabel ei Ducem præficiens. Tandem anno sui regni Persici trigesimo, & Monarchiæ septimo apud Masagetas & Scythas cum toto exercitu periit occisus, vt dicit Iustinus, ab ipsamet Regina Temin: cùm prius immensam gloriam ex tot partis victoriis cumulasset: imperauit 30. annis.

Cambyses filius Cyri (quem Esdras etiam Assuerum vocat, forte quia nomen Assueri, nomen erat gloriæ & potestatis: sicut apud Ægyptios nomen Pharaonis, & apud Romanos nomen Cæsaris) patri successit: hic non fauit Iudæis ad Palæstinam remissis: vnde contradicentibus Samaritanis ædificatio templi cessauit: moritur anno Imperij 7.

Smerdis magus dolo & fraudibus Imperium inuadit: sed his detectis, vix septem conseruat mensibus, & à Persis trucidatur.

Darius filius Histaspis ad Imperium assumitur; filiam Cyri & Cambysis sororem in matrimonium duxit: eius anno primo Zorobabel è Ierusalem in Persidem proficiscitur, vbi tam prosperè suæ gentis negotia promouit, vt ab ipso Imperatore Regias patentes, & plurima dona ad construendum Ierosolimis templum obtinuerit, & in Iudæam profectus opus absoluerit. Darius totius penè Asiæ Imperio non contentus, plures fecit bellicas expeditiones; maximè contra Græcos, in quibus tamen parum proficiens moritur anno Imperij 35.

Xerxes filius Darij Patri succedens, cœptas eius expeditiones promouit: sed contra eosdem Græcos cum maximo exercitu decies & quinquies centenorum millium militum profectus, ab ipsis debellatur, victúsque penè deleto recessit exercitu. De hoc dicit Cicero, quòd ambulauit in mari, & nauigauit in terra; quia in freto Traciæ pontem maximum supra naues construxit, supra quem in Europam exercitum transmisit: & montem Aton in Græcia aperuit, vt

inde naues transirent: moritur anno Imperij 20.

Artaxerxes filius Xerxis patri successit: hic creditur esse Assuerus, qui Esther duxit vxorem, cuius Imperium ab India vsque Æthiopiam pertingebat: hic tertius est Iudæorum liberator (primus enim fuit Cyrus, secundus fuit Darius Histaspis filius) cuius authoritate Esdras Propheta Rempublicam Iudæorum perfectè stabiliuit. Artaxerxes dictus est longimanus, vel propter liberalitatem, vel quia eius manus extensæ ad genua pertingebant: moritur anno Imperij 40.

Xerxes II. successit qui duobus tantùm imperat mẽsibus. Deinde Sogdianus qui vix sex mensibus imperat, quem sequitur Darius Nothus, cuius tempore S. Esdras moritur: hic imperat annis 19.

Artaxerxes II. cognomento Memnon siue Mnemon id est memoratiuus in Imperio successit: ita denominatus est, quia tam fœlicis fuit memoriæ; vt omnium immensi sui exercitus militum nomina recordaretur. Moritur 40. Imperij anno. Hunc sequitur Artaxerxes Ochus id est magnus, & 26. annis imperat. Deinde Arses siue Arseas qui 4. Imperij anno occiditur. Darius Arsami filius dictus Codomanus vltimus Persarum Monarchia fuit potentissimus, ditissimus, & gloriosus; quippe qui supra centum viginti octo prouincias in Asia Maiori & Minori ac in Ægypto dominabatur: sed Alexandri Magni fortunæ, quamuis generosissimus, resistere non potuit, vt capite sequenti dicetur: vnde cuiusdam proditoris dolo occisus anno Imperij 6. secundam Persarum & Medorum Monarchiam terminat; postquam in quatuordecim Imperatoribus ducentis triginta circiter annis perseuerasset, anno mundi secundùm aliquos 3620. secundùm alios anno 3654. denique secundùm alios anno 3724.

Persæ, Medi & Parthi Græcorum Monarchis subditi legibus eorum obtemperarunt vsque ad annum 13. An-

thiochi cognomento Dei, qui fuit ducentesimus quinquagesimus ante Christum natum; tunc enim Parthi iugum Græcorum excutientes; licèt non Monarchiam; suum tamen regnum repararunt. Primus eorum Rex, qui & Medis, & Persis dominatur vocatus est Arsaces; huic successit filius eiusdem nominis;deinde Pampacius, siue Phraartes qui regnat 12. annis; regnúmque filio Pharnaci reliquit, cui Mithridates frater succedit: hic moriens anno ante Christum natum 136. filium Phraartem II. instituit Regem, qui in bello contra Scythas occubuit.

Artabanus filius Pampacij nepoti succedit,qui in bello vulneratus moritur; filiúmque Mitridatem II. successorem reliquit, hic ob præclara gesta Magni nomen obtinuit, multas prouincias suo adiecit imperio, Scytas & Armenos debellauit; sed ob crudelitatem deponitur; cuius loco sufficitur Orodes frater, hic Babylonem obsidet, captúmque ibidem fratrem Mithridatem occidit, varias expeditiones contra Romanos in Syria parauit: & tandem à proprio filio, quem regni successorem reliquerat, occisus fuit.

Phraartes III. siue Phrahates filius Orodis, & patricida tempora Christi attigit:cui primo Christi nati sæculo successerunt Phraartes IV. Orodes, Vonones, Artabanus II. Gotarzi. Vonones II. qui præerat Medis. Vologeses I filius Vononis, Artabanus III. filius Vologesis,Pacorus filius Artabani,Chosroas I. frater Pacori.

Parthenaspates anno Christi 101. à Traiano Parthis præficitur: sed hic à Chosroa breui è sede deiicitur:cui sæculo secundo successit Vologeses II. eius filius,deinde Vologeses III. filius secundi, Artabanus IV. frater Vologesis tertij, qui vltimus fuit Rex Parthorum; ipso enim ab Artaxerce Persa interfecto, sceptrum Parthorum ad Persas translatum est.

Artaxerxes regnum Persarum Parthis prius subditum, indepen

independens, & gloriosum reddidit tertio Christi sæculo; eique tam Parthos quàm alios subiecit populos. Moritur anno Christi 242. illi successit Sapor filius, qui triginta & vno annis regnat; vnde moritur anno Christi 272. huic successit Hormisda filius, qui vnico regnat anno: hunc sequitur Varanes frater, qui tribus regnat annis. Varanes II. filius primi dictus Narseus decem regnat annis. Varanes III. filius secundi dictus Saganesnus quatuor tantùm regnat mensibus: cui successit Narses filius Hormisdæ, qui ferè octo regnans annis moritur anno Christi 301.

Misdates, siue Hormisdate filius Narsis penè octo annis regnans peruenit ad annum Christi 309. huic succedit filius Sapor II. posthumus, crudelis persecutor Christianorum: Constantiũ, Iulianum, & Iouinianum Imperatores diu armis vexauit: sed post tot victorias à Valentis duce superatur: septuaginta regnat annis, & moritur anno Christi 379. illi succedit Artaxerces II. frater, qui quatuor regnat annis, & moritur anno Christi 383. quem sequitur filius Sapor III. hic regnat quinque annis, & moritur anno Christi 388. Succedit Varanes IV. filius dictus Cermazat, qui regnat vndecim annis, & moritur anno Christi 399.

Izdegerdes filius Varanis Christianis plurimùm affectus constitutus est ab Arcadio Imperatore tutor Theodosij filij, regnat viginti & vno annis; quo tempore fides Christiana in Perside viguit: moritur anno Christi 421. relicto successore suo Varane V. filio, qui sæpe bellum & pacem cum Imperatoribus iniens viginti regnat annis: & moritur anno Christi 441. Isdegerdes filius Varanis, quem alij Varanem VI. nominant, septendecim regnat annis, & moritur anno Christi 458. Successit Perozes Dux eximius; plus generosus, quàm prudens: hic regnauit viginti annis, & in expeditione contra Hunnos deleto exercitu moritur anno Christi

 478.

478. illi ſucceſſit Valens frater, qui pacificus quatuor regnat annis, & moritur anno Chriſti 482. huic ſucceſſit Cabades, ſiue Cauades eius nepos, filius Perozis, qui ob tyrannidem à ſubditis deponitur, & ſubrogatur Zambaſes frater. Poſtea ſecundùm aliquos Saha & Adaana: ſed iterum vi thronum conſcendens, regnat quadraginta & vno annis vſque ad annum Chriſti 532.

Choſroas I. inter Perſas Patri Cabadi ſucceſſit, & ad eius exemplum Romanis infenſus ditionem eorum bellis infeſtat: ſed à Iuſtiniano duce generali Tiberij Imperatoris victus, & à Perſide pulſus, mœroréque confectus moritur anno Chriſti 580. poſt quadraginta octo annos Imperij. Illi ſucceſſit Hormiſda II. eius filius: ſed ob nimiam crudelitatem à ſuis ducibus è ſede deiicitur, & excæcatus carceri mancipatur, ac tandem iuſſu filij eius ſucceſſoris, poſt octo regni annos, directè trucidatur anno Chriſti 588. Choſroas II. filius Hormiſdæ cum Mauricio Imperatore pacem init: ſed eo interfecto cōtra Phocam & Heraclium crudele bellum geſſit, Syriam, Palæſtinam, aliáſque regiones Romani Imperij vſurpauit, captáque Ieroſolima Crucem Chriſti in Perſidem abſtulit, Chriſtianos dirè perſecutus eſt: ſed Deo vlciſcente à Romanis ter debellatus fugit, ac tandem à proprio filio Siroë natu maiore occiditur, cum Medarſe natu minore, quem regni ſucceſſorem conſtituerat, poſt trigeſimum octauum imperij annum, anno Chriſti 626.

Siroës filius Choſroæ & Mariæ filiæ Mauricij Imperatoris, pacem init cum Romanis, Crucem Chriſti, aliáque reſtituit, ad inſtantiā Heraclij baptizatur: cúmque octo annis pacificè & iuſtè populum ſuum rexiſſet, moritur peſte anno Chriſti 634. ſucceſſit illi filius Adeſir qui primo regni anno occiditur à Sarbaras, qui regnum vſurpat. Poſtea ſubintrat Siahriar qui ſtatim occiditur. Deinde Choſroas filius Kobad, qui etiam breui trucidatur. Exinde ſuccedit Baraina filia Choſroæ cum

filio

filio Bornaim. Post eos sequitur Hormisda III. quem sequitur alia Chosroæ filia nomine Azurmi cum fratre Ferochzad; sed secundo regni anno hic gladio, illa veneno perimitur. Tandem regnat Iesdagird, qui à Calipha Arabum, siue Saracenorum Omar victus occiditur anno Christi 632. Vnde regnum Persidis ad Saracenorum potestatem redactum est vsque ad annum Christi 1258. quo tempore à seruitute liberatum sub propriis Regibus floruit.

Haalon siue Hayton deuicto Calipha regnum Persidis armis conquirit, Babylonem destruit, captúmque Calipham fame enecat: vxorem Christianam duxit nomine Doucoscaro è sanguine Magorum, qui Christum adorauerunt, oriundam; cuius suasu templa Mahometanorum destruit: auxiliaribus armis Hayton Regis Armeniæ adiutus Mesopotamiam, & partem Syriæ conquirit: cúmque maiora meditaretur; moritur anno Domini 1264.

Abaga filius Haalon patri successit, Sultanum Ægypti debellauit, & ex Armenia eiecit; dúmque expeditionem in Syriam parat, à domesticis suis occiditur anno Christi 1285. regni vigesimo primo. Hinc successit filius Tangador, vocatus in baptismate Nicolaus: sed ad Mahometanam legem peruersus Mahamet vocatur, & Christianos maxima rabie persequitur, ipsúmque fratrem Cobilam Christianum sibi contradicentem occidit, iussítque Argon filium Cobilæ nepotem suum trucidari: sed hic fauore populi ereptus, & ad regnum sublimatus, Tangadorem patruum anno Christi 1287. in pœnam scelerum trucidauit: & amicus Christianorum perseuerans moritur anno domini 1291. Regaytus frater Argon succedit; sed ob ignauiam & lasciuiam à suis strangulatur anno Christi 1295. & sufficitur Baydon eius consanguineus: hic fuit Christianæ legis zelator, sed breui à Cassan filio Argon occiditur: hic in re-

gnum succedens ciuitatem Damasci rebellem reduxit, ac Sultanum Ægypti è tota Syria expulit, rediénsque in Persidem moritur in ciuitate Casbin, & ad ciuitatem Tauris sepeliendus defertur anno Christi 1304. Deinde successerunt Cambaga, postea Carbandes frater Cassani, filius Christianæ mulieris, à qua baptizatus vocatur Nicolaus; sed mortua matre ad Mahometanos deflectit, filiúmque innominatum successorem reliquit, quem sequitur Gempsa Parthus.

Tamberlan siue Tamerlan anno Christi 1369. ad regnum communi applausu populi propter insignes animi dotes assumitur: coacto ingenti exercitu immensas subiecit prouincias, cœpit Aleppum Damascum, Babylonem; Farachem Sultanum Ægypti debellat, & Baiazet Imperatorem Turcarum captiuum apud se retinet: ipsóque tanquam scabello pedum ad conscendendũ equum vsque ad eius mortem vtitur: Tamerlan ex prosapia magnorum Kan Tartarorum oriundus dicitur: tandem plenus gloriâ decessit. Illi successit filius Tzochius siue Trochius, qui viginti duobus regnat annis. Postea sequitur Tzochius II. qui octodecim regnat annis. Tandem Trauires siue Trauises vltimus Rex ex prosapia Tartarorum post quem regnũ Persarum occupat Vsumcassanus Turca, cui succedunt Iacuppus cognomento Chiotzeinal, Iulanerus, Baysingirus, Rustanus, Agniatus, Carabes, Acuantes vsque ad annum Christi 1514.

Ismaël Sophi filius Xeque Aidar ex prosapia Aly nepotis & generi Mahometis anno 14. ætatis, & Christi 1500. patris mortem vlturus insequitur Farrok Yaçar Regem Xyruan eius interfectorem, debellat & occidit, eiúsque regnum inuadit: anno sequenti Ciuitatem Tauris occupat; deinde alias Persidis Ciuitates vt Siras; anno verò Christi 1510. Babylonem, vulgò Bagdad capit, deinde Susam nunc Suster, totúmque regnum K[illegible]istan; anno sequenti regnum Vzbek & Korason acquirit:

quirit: tandem victoriis clarus moritur anno Christi 1524. ætatis 38.

Tahamas Patri Ismaëli successit eodem anno Christi 1524. & quinquaginta tribus annis regnans peruenit ad annum Christi 1576. hic contra Soliman Turcarum Imperatorem bellum gessit, postea cum eo pacem init. Eius filius Ismaël II. ei succedens vno tantùm anno, & decem mensibus regnat. Mahamet eius frater & filius Tahamas, quamuis cœcus, imperat septem annis, & moritur anno Christi 1585. illi succedit Xa-Abbas, de quo supra dictum est, qui regnum optimis legibus muniens vndequaque dilatauit, multis adiunctis prouinciis & regnis vt Babylonis, Candar, & aliis; quibus nepoti suo ex primogenito, Xa-Sophi relictis moritur anno Christi 1628. hunc vltimum vidi, & dum redii è Perside, regnantem reliqui.

CAPVT IV.

De Monarchia Græcorum.

TErtia mundi Monarchia fuit Græcorum ab Alexandro Magno Philippi Macedonum Regis filio inchoata anno mundi secundùm aliquos 3620. secundùm alios anno 3654. denique secundùm alios anno 3724. Hic mortuo patre Rex effectus Ciuitates, prouincias & regna Græciæ arte vel armis primò sibi subiecit: deinde propriæ zelo gloriæ ad totius mundi Monarchiam adhuc iuuenis aspirauit; vnde cùm vigesimum primum vix complesset annum factis heroïcis generosos quoscumque superauerat duces. Cúmque deuicto Persarum Monarcha Dario totius orbis potentissimo, omnia sibi facilè paritura & subiicienda præuideret: coacto electorum peditum triginta & quatuor millium, & paulò amplius quàm quatuor millium equitum exercitu per Hellespontum traiiciens in Asiam

contra Darium perrexit.

Nouerat Darius ex rebus geſtis, partiſque victoriis Iuuenem Alexandrum, in cuius occurſum miſit Ducem cum valido exercitu; quem Alexander ad fluuium Granicum delet. His territis Darius ipſe cum ſexcentis millibus militum obuiam procedit: ſed Alexander multò minori ſuo exercitu, ſed diſciplina militari inſtructo, præteritíſque victoriis glorioſo immenſas inimici turmas vndique obſidentes profligat: fugiénſque Darius trecentorum rurſus millium militum comparat exercitum; ſed iterum ab Alexandro debellatus aufugit. Hac parta inſigni victoria in Syriam rediit, Damaſcum, Gazam, Tyrum, totámque Ægyptum ſubiugauit: Alexandriam à ſe denominatam fundauit:híſque expletis cùm iterum contra Darium procederet, fortuna votis eius ſecundante, proditione cuiuſdam domeſtici eius occiſum inuenit: proditorem punit, ipsúmque Darium cógruo Monarchæ ſepelit apparatu. Totum pene Orientem vſque ad Indias ſumma celeritate percurrens ſuo adiicit imperio:ſícque Tertiam Græcorum fundat Monarchiam ſpatio ſex annorum,quam etiam ſex aliis moderatus eſt annis. Tandem toto orbe celeberrimus vix attingens trigeſimum quartum ætatis annum Babylone moriens; ſe hominem,non Deum eſſe agnouit.

Cum Alexander ſucceſſorem competentis ætatis non haberet (Roxana ſiquidem filia Darij nondum pepererat,& Hercules adhuc puerulus erat) ſuis Principibus è Macedonia ſecum adductis Imperium in partes diuiſit. Philippo fratri Macedoniam, totámque Græciam,quaſi patrimonium conceſſit: Ptholomeo Ægyptum, Aſiam minorem Antigono Syriam verò & Babyloniam Seleuco Nicanori, in quo eiúſque ſucceſſoribus,tanquam potentioribus Monarchiam Græcorum continuabimus. Hic deuicto Antigono, ac Demetrio eius filio ſe Syriæ, totiúſque Aſiæ Regem nominat. Fuit filius Antiochi cuiuſdam

cuiusdam ducis Phiiippi Macedonum Regis, & Laodices: propterea in honorem patris sexdecim ædificauit Ciuitates sub nomine Antiochiæ, & quinque sub nomine Laodiceæ in honorem matris, & nomine suo nouem Seleucias. Tandem moritur trigesimo secundo regni sui anno.

Antiochus Soter siue Saluator patri successit qui nouercam Stratonicam à patre in vxorem obtinuit; cúmque viginti annis regnasset, moritur.

Antiochus per adulationem vocatus Deus alteri Antiocho patri successit, qui postquam annis quindecim regnasset ab vxore Laodicea perimitur veneno.

Seleucus Gallinicus filius Antiochi patri successit, & viginti regnat annis.

Seleucus Ceraunus filius Gallinici patri succedéns tribus tantùm regnat annis.

Antiochus Magnus fratri Seleuco successit, Iudeam inuasit, Ptholomeum Philopatrem debellauit; sed à Romanis victus Asiam minorem amisit, moritur anno regni 47.

Seleucus Philopater Patri Antiocho successit: hic omnes sumptus pro templo Hierosolimitano è suis reditibus subministrauit: duodecimo regni anno moritur.

Antiochus Epiphanes, siue illustris frater Seleuci, infensissimus Iudæorum inimicus, Synagogæ Antichristus, omnium mortalium pessimus totam Palæstinam bello & crudelitate deuastat; nece zelantes Iudæos perimit: sed execranda eius scelera & sacrilegia in libris Machabæorum descripta mors horrenda & funesta subsecuta est, quæ libro 2. cap. 9. distinctè & eleganter exprimitur: regnat annis vndecim.

Antiochus Eupator successit in regnum, quod duobus tantùm possidet annis.

Demetrius cognomento Soter, consobrino, vel vt alij dicunt patruo Antiocho successit; hic bellum in Iudæos

dæos continuans, misit contra eos Nicanorem & Bachidem duces, qui à Machabæis debellantur:in prælio victus occiditur anno regni decimo.

Alexander dictus nobilis Demetrio tyrannicè succedens aliquandiu pacificè vixit; sed adueniente ab insula Creta Demetrio primogenito Demetrij Soteris, quinto sui regni anno turbatur, & septimo à Zabdiel Arabe occiditur.

Demetrius II. filius Demetrij Soteris quinto Alexandri anno ex parte regnare cœpit: sed mortuo Alexandro Syris inuisus fuit; eo quòd militibus tantùm extraneis vteretur. Tandem Triphon, qui Alexandro adhæserat, hanc odij Syrorum in Demetrium occasionem captans, Antiochum Alexandri filium ex Arabia in Syriam adduxit:hoc à Syris in Regem admisso,Demetrius in Mesopotamiam fugit, vbi Dux Græcorum & Macedonum electus contra Mithridatem Parthorum Regem proficiscitur, à quo captus eius filiam postea in matrimonium duxit. Tribus tantùm annis regnauit.

Antiochus Alexandri filius vix regnare cœpit, cùm à Triphone eius tutore in via occiditur anno 142. ante Christum natum.

Triphon occiso Antiocho regnum tyrannicè occupat:sed ab alio Antiocho cognomento Sidete in ciuitate Apameæ occiditur post quartum regni annum 138. ante Christum natum.

Antiochus Sidetes filius Demetrij Soteris, & frater Demetrij II. ad Thronum Syriæ sublimatur.Hic contra Phraatem Regem Parthorum bellum mouens Babylonem occupat; sed postea in prælio victus occiditur anno regni nono & ante Christum natum 129. eique successit Demetrius frater, qui iterum regnans contra Ptholomeum Regem Ægypti bellum mouit; sed rebellantibus suis à quodam Alexandro victus est, & à Tyri Gabernatore trucidatus quarto iterati regni anno,

ante

ante Christum verò natum 124.

Alexander cognomento Zebenna vix duobus annis regnat: ab Antiocho enim Grypho è Throno deiicitur anno ante Christum natum 122.

Antiochus Gryphus, sic dictus ob nasum longum & aduncum, Demetrij II. filius regnat, postquam veneni à matre oblati periculum euasit: octo annis pacificè viuit; sed postea ab Antiocho Cyziceno fratre eius vterino, ac filio Antiochi patrui, qui Cleopatram Ptholomęi Regis Ægypti filiam vxorem duxerat, è regno deiicitur duodecimo eius anno, & ante Christum natum 112.

Antiochus Cyzicenus fratri succedens regnat octodecim annis: sed postea à Seleuco V. nepote suo, & Antiochi Griphi filio in prælio trucidatur anno ante Christum natum 94.

Seleucus V. in Thronum Syriæ sublimatus à consobrino Antiocho Cyziceni filio dicto Eusebe expellitur, & fugitiuus in Cilicia occiditur: cúmque inter Antiochum, Philippum, & Demetrium Eusebis fratres bella sæuirent à Syriæ populis Tigranes Rex Armeniæ ad regnum aduocatur, qui octodecim annis pacificus imperat; sed à Lucullo victus eiicitur, & Antiochus filius Cyzicini Rex Syriæ ab ipso Lucullo creatur: sed postea à Pompeio magno deturbatur anno post fundatã Græcorum Monarchiam 259 quæ tunc terminata fuit: nam Syria, quæ huius Monarchiæ sedes fuit, in prouinciam Imperij Romani redacta est. Non desunt tamen qui Monarchiam Græcorum post centum quadraginta nouem annos à fundatione terminatam fuisse dicant: cùm diminutâ eorum potentiâ Romani vbique potentes, Orientis regna sibi subiicientes, florere cœperunt; suæque Monarchiæ mundi quartæ, cæterarum præcedentium potentissimæ fundamenta iecerunt.

CAPVT

CAPVT V.

De Monarchia Romanorum.

ROmanorum Monarchia à paruis initiis ad summam breui peruenit gloriam. Incœpit anno ante Christi Domini natiuitatem 752. ædificata Roma à Romulo primo eius Rege; cui per raptum Sabinarum & vnionem populi Sabini stabilitæ & auctæ succedēs Numa Pompilius regnat 43. annos: Romulus autem regnauerat 38. Postea Tullus Hostilius regnat 32. Ancus Martius 24. Tarquinius Priscus 38. Seruius Tullius 44. Tarquinius superbus 25. Sed propter huius arrogantiā mutatū est regnum in Rempublicam, nunc sub Consulibus, nunc sub Dictatoribus, nunc sub Decemviris, nunc sub Tribunis militum & plebis florentem: quamuis interdum ciuilibus bellis agitatam.

Iulius Cæsar imperandi desiderio motus, post deuictas Gallias, Hispanias, aliásque prouincias; Lauris coronatus, & militum auxiliis fretus Romam ingreditur; animi magnitudine, & armorum timore omnia sibi subiicit, & tandem Imperator acclamatus Monarchiam restituit; quam pulso & debellato Pompeio eius competitore stabilitam aliquot annis moderatur: sed in Senatu occisus ipsam Romanorum Monarchiam mundi quartam, Græcorum Monarchiæ succedentem, vix natam reliquit.

Succedit in Imperio Octauianus Augustus filius adoptiuus Iulij Cæsaris: hic Marcum Antonium naualí prędlio superās omnes ab imperio tumultus remouet, ipsúmque pacificè gubernat quinquaginta septem annis: cuius imperij quadragesimo secundo Iesus Christus æternus Deus, æterníque Patris Filius mundum volens aduentu suo piissimo consecrare, de Spiritu Sancto conceptus in Bethleem Iudæ nascitur ex Maria Virgine factus homo: de

de hoc Imperatore traditur quòd ipſa die natiuitatis Chriſti prohibuerit ſe vltra Dominum vocari.

Claudius Tiberius dictus Nero filius vxoris Auguſti, poſtea eius gener & filius adoptiuus, epiſtolis Pilati de perſona & doctrina Chriſti inſtructus, Chriſtum inter alios Deos colendum Senatui propoſuit, ſed ipſo recuſante ſaltem ſub pœna mortis ſanciuit, ne quis Chriſtianos accuſaret: meritò autem noluit verus Deus ſimul cum falſis adorari. 23. anno ſui Imperij deceſſit & 39. Chriſti.

Caius Caligula filius Germanici & nepos Tiberij crudelis & laſciuus anno regni 4. & Chriſti 43. à ſuis cuſtodiæ militibus occiditur.

Tiberius Claudius filius Druſi fratris Tiberij veneno perimitur ab vxore Agrippina filia Germanici anno Chriſti 56. & regni 13. dicitur eſſe natus Lugduni.

Domitius Nero filius Agrippinæ à Claudio adoptatus, Senecæ diſcipulus; in principio Clemens & bonus; deinde laſciuus, & crudeliſſimus occidit ſanctos Apoſtolos Petrum & Paulum, Senecam magiſtrum, Amitam, coniugem Octauiam, matrem Agrippinam, & ſeipſum; ne decretam ſibi à Senatu pœnam incurreret anno Chriſti 70. regni 14. Sergius Galba ex nobili Sulpiciorum proſapia, à ſuis militibus Imperator proclamatus, ab iiſdem crudeliter occiditur ſeptimo poſt menſe.

M. Siluius Otho poſt trium menſium ſpatium ſeipſum occidit.

Aulus Vitellius poſt octo luxus & luxuriæ potius, quàm regni menſes ab inimicis captus, manibus retro ligatis, inſerto fune collo per vrbem tractus & occiſus proiicitur in Tiberim.

Flauus Veſpaſianus, dum bello Iudaico occupatur, Imperator à militibus ob eximias animi dotes eligitur; cùm multa præclarè geſſiſſet, dum fluxu ventris ad mortem

tem laboraret, è lecto surgit asserens Imperatorem erectum, non iacentem debere mori vnde decessit anno Christi 81. Imperij. 10.

Titus Vespasiani filius captâ Hierosolimâ, & vniuersâ Iudeâ, cum patre triumphat; electus Imperator virtutibus maximè benignitatis & castitatis clarus, deliciæ generis humani vocabatur; cum omnium lachrimis anno Christi 83. Imperij 3. veneno, vt creditur, à fratre perimitur.

Domitianus filius Vespasiani, & frater Titi in principio pudicus & clemens: postea lasciuus & crudelissimus plures nobiles exilio mulctauit, maximè Christianos, & inter ipsos sanctum Ioannem Euangelistam in Pathmos insula, & Flauiam Domitillam in insula Pontia: ita fuit superbus & arrogans, vt nomen Dei sibi attribui, & statuas erigi iusserit: sed ob nimiam crudelitatem occisus est, eiusque edicta à Senatu rescissa anno Christi 98. Imperij 15.

Nerua Cocceius à Senatu & militibus electus, fuit optimus Princeps, in pauperes misericors: in successorem adoptauit M. Vlpium Traianum Hispanum vt pote benemeritum: febre moritur anno Christi 100. Imperij. 2.

Traianus Phutarchi historici & Philosophi discipulus, ad instantiam Senatus mouit persecutionem in Christianos, quam postea sedauit moritur morte repentina anno Christi 119. Imperij 19. ætatis 64. eâ fuit bonitatis opinione, vt acclamatio Principum esset, sis fœlicior Augusto & melior Traiano.

P. Ælius Hadrianus industrius in armis, Græcæ & latinæ linguæ peritissimus; optimus Astrologus, Geometra, Musicus, Poëta, Medicus, Pictor, & Sculptor: fœlicissimæ quidem memoriæ, sed animi inuidi, lasciui, & iactabundi; vel adoptione, vel industria Traiano succedens primò crudeliter insequitur Christianos,

&

& ſine iudicio ad ſolum populi clamorem occidit,& inter eos ſanctũ Euſtachium cum vxore, & filiis:ſed apologiis Quadrati & Ariſtidis in fauorem Chriſtianorum motus aliquantum miteſcit: infirmus ſæpe venenum à Medicis & à domeſticis expoſtulabat: moritur anno Chriſti 140. Imperij 21. ætatis 62.

Antoninus filius Hadriani adoptiuus, ob manſuetudinem & vitæ integritatem Senatus authoritate cognominatus Pius libro S. Iuſtini Philoſophi perſuaſus Chriſtianos pacificè permiſit viuere: ſed creſcentibus calumniis aduersùs eos motus, miſſis ad Præſidentes Aſiæ epiſtolis exterminare voluit: moritur anno Chriſti 163. Imperij 23.

Marcus Aurelius, & Lucius Verus fratres ab Antonino adoptati,diuerſimode viuunt, Lucius Verus quaſi alter Nero laſciuus & impudicus, apoplexia oppreſſus moritur anno Chriſti 172. Imperij 9. ſed Marcus Aurelius Philoſophus Stoicus, ob modeſtiam & iuſtitiam vocatus defenſor Vniuerſi, Veriſſimus, & ſpeculum virtutum maximo Senatus & populi mœrore moritur anno Chriſti 182. Imperij 19. peſtilentiâ ſublatus.

Commodus Marci Aurelij filius, ſed ei diſſimilis; nam crudeliſſimus, impudicus, & adeò ſuperbus exſtitit, vt nomen patris dedignans vocari voluerit Hercules Romanus Iouis filius: cùm venenum ab Ælio Læto & Martia concubina paratum euitaſſet,à Narciſſo ſtrangulatus, Senatus decreto raptatus per Vrbem proiicitur in Tiberim anno Chriſti 195. Imperij. 13.

Ælius pertinax, à militibus conſentiente Senatu, ab iiſdem octuageſima ſecunda ſui Imperij die, anno Chriſti 195. occiditur; quia reſtitutionem Reipublicæ moliebatur.

Didius Iulianus Imperium à militibus emit, à quibus ſexageſima ſexta poſt die trucidatur.

Seuerus Carnoti in Gallia ab exercitu Imperator

creatus, à Senatu acceptatur, Albinum Cæsarem declarat, contra Pescennium in Syria rebellem armatus incedit, ipsum occidit anno Christi 197. & similiter occidit Albinum anno 199. tunc etiam rebellem, in cuius locum Cæsarem creat Bassianum Antoninum suum primogenitum. In Anglia non tam morbo, quàm mœrore confectus decessit anno Christi 213. Imperij 17.

Antoninus Caracalla filius Seueri, simul cum fratre Geta imperat, ipsum paulò post occidit, magiæ vacat arti, & à Martiano centurione ad sollicitationem Marcini Mauri Cæsariensis pugionibus trucidatur, anno Christi 218. Imperij. 6.

Macrinus à militibus creatus Imperator cum filio Diodumene ob crudelitatem occiditur anno Christi 219. Imperij reuoluto anno & duobus mensibus.

Marcus Aurelius Antoninus filius Caracallæ dictus Heliogabalus ab exercitu proclamatus Imperator, ob effrenatam impudicitiam, Senatui, populo Romano, & militibus execrandus occiditur, & per vrbem tractus in Tiberim proiicitur anno Christi 224. Imperij 4. ætatis 18.

Alexander 16. ætatis anno creatur Imperator, ipse à matre affecta religioni Christianæ, & inter Christianos educatus, ipsos pacificè viuere permisit, & Christum peculiari cultu simul cum falsis Diis venerabatur; sed suorum consiliis animum mutat, & Christianos vexat, deuicto Persarum Rege Artaxerxe insolente, & pacis contemptore, Romam reuersus triumphat: sed in expeditione Germanica fraude Maximini Moguntiæ occiditur cum Mammea matre anno Christi 237. Imperij 13.

Maximinus Imperator in Germania proclamatus, Christianorum persecutor, ab obsidione Aquileæ recedens, ob barbaram crudelitatem à militibus simul cum filio occiditur anno Christi 240. Imperij 3. simúlque à
mili

militibus occiduntur Maximus Pupienus, & Cælius Balbinus, qui contra eorum beneplacitum imperium vsurpauerant.

Gordianus ætatis 16. anno creatur Imperator; cui ad instantiam militum associatur Philippus; à quibus ipse Gordianus occiditur anno Christi 246. Imperij 6.

Philippus eodem anno factus Imperator filium etiam Philippum sequenti anno denominat Augustum: annò verò 249. vterque Christianus effectus leges sanctissimas condunt, & piissimè viuunt: sed postea Pater Veronæ, filius autem Romæ occiduntur anno Christi 253. Imperij 7. dolo Decij.

Decius ex Pannonia oriundus factus Imperator filium item Decium Cæsarem creat, Christianos crudeliter persequitur: sed Deo suos vlciscente in bello Gothico, dolo Galli cum filiò occiditur anno Christi 254. Imperij 2.

Gallus Imperium inuadit, filium Volusianum creat Augustum: in principio reddit pacem Ecclesiæ, sed secundo anno persecutionem renouat, in cuius pœnam dum contra Æmilianum Imperatorem proclamatum procedit, à militibus cum filio trucidatur, & quatuor post mensibus trucidatur etiam ipse Æmilianus anno Christi 257. Imperij 3.

Valerianus, & Gallienus eius filius ad Imperium promouentur: Valerianus in principio Christianis affectus in omnibus prosperatur, postea eos persequens ad extremas redigitur angustias: nam fraude Macriani Ducis à Sapore Persarum Rege căpitur, ei tanquam scabellum deseruit ad ascendendum equum; tandem pelle detracta sale conditur. Gallienus autem simul cum fratre Valeriano iuniore & filiis Mediolani occiditur à militibus sub Duce Cecropio, suasu Flauij Claudij anno Christi 269. Imperij 12.

Flauius Claudius communi Senatus applausu electus,

dum Christianos persequitur, pestilentia perimitur anno Christi 271. Imperij 3.

Quintillus frater Claudij vix Imperator creatus à militibus, ob nimiam grauitatem & seueritatem in ipsos 17. die Imperij trucidatur.

Domitius Val. Aurelianus ex vili prosapia natus, à militibus creatur Imperator, persecutionem in Christianos subscripturus brachij immobilitate plectitur, Orientis rebelles imperio restituit, murorum Romæ circuitum ampliauit: tandem à suis occiditur anno Domini 278. Imperij 7.

Tacitus transactis circiter 6. mensibus Imperator à Senatu declaratur: persecutionem Christianorum extinxit, & nominato fratre Floriano successore, sexto Imperij mense decessit: eius successor duobus post mensibus à militibus necatur anno Domini 279.

M. Aurelius Valerius Probus, ad votum Senatus, & populi petitionem in Oriente à militibus proclamatus, Gallias à Germanis potenti exercitu liberat, cæsis quadringentis millibus ipsorum; dum se accingit bello Persico, à suis militibus occiditur, & honorifico sepulchro sepelitur anno Christi 283. Imperij 5.

M. Aurelius Carus à militibus creatus Imperator, filios Carinum & Numerianum Cæsares declarat, Christianis fauit; in expeditione belli Persici, vel morbo, vel fulgure, vt dicunt aliqui, moritur anno Christi 284. Imperij 1.

Carinus imperat in Occidente & Numerianus in Oriente, vix vno anno à morte patris; hic à socero Apro occisus, ille à Diocletiano.

Aurelius Valer. Diocletianus Dalmata, ab exercitu declaratus Imperator & cognominatus Iouius. M. Valerium Maximianum dictum Herculeum sibi in throno Imperiali sociauit; hic Constantium Chlorum, ille Galerium Maximianum dictum Armentarium Cæsares creant:

creant: hi sæuissimam supra prædecessores excitant in Christianos persecutionem; asserunt scriptores tertiam generis humani partem, vel gladio, vel pestilentia periisse: hi post triumphum de Persis, & Parthis, cum viderent Christianorum nomen & genus extingui non posse tot persecutionibus, at potius crescere, mœrore & rabie se imperio abdicantes vitam priuatam degunt, & finiunt miserrimè: Diocletianus factus amens & diuturno langore tabescens cùm prius se tanquam Deum adorari præcepisset. Maximianus laqueo se suspendens anno Christi 304. Imperij 20.

Constantius Chlorus Diocletiano in Oriente, & Galerius Maximiano in Occidente succedunt. Primus fuit vir optimus & humanissimus, moritur Eboraci in Anglia anno Christi 306. Imperij 2. relicto Constantino suo ex Helena filio. Secundus impiissimus non solùm fouet, sed auget persecutionem, Maximinum & Seuerum Cæsares in Oriente dominaturos creat: mortuo Seuero Licinium substituit: tandem in pœnam scelerum, graui & horribili morbo percussus, hæc à Deo esse intelligens, persecutionem sedat, Christianos ritus permittit, quorum precibus à morbo liberatus postea moritur anno Christi 311. Imperij 7.

Constantinus Magnus anno Christi 306. ætatis 31. Imperium capescit, Faustam Maximiani Herculij filiam in matrimonium duxit; dum bellum in Maxentium mouet, viso Crucis signo in aëre cum hac inscriptione *in hoc signo vinces* & apparente noctu sibi Christo, ad eius mandatum signum Crucis in vexillo, & galea imprimit, quo protectus Maxentium, & postea Licinium vincit & occidit: anno Christi 324. mirabili apparitione sanctorum Petri & Pauli conuersus baptizatur à sancto Siluestro Pontifice, & à lepra liberatur: relicta Pontifici Roma sedem Imperij Bisantium transtulit, eámque ciuitatem magnificentissimè ornatam suo no-

mine insigniens Constantinopolim vocat : post innumera pietatis opera Nicomediæ moritur anno Christi 337. Imperij 31. ætatis 65.

Constantinus II. Constantius ; & Constans fratres, Constantini magni filij iuxta patris testamentum sibi diuidunt Imperium, Canstantinus non contentus Gallia, Hispania, & Anglia ; dum fratris Constantis limites ingreditur, ab eius militibus occiditur anno Christi 340. Imperij 3. Constans etiam Augustoduni à Magnentio occiditur anno Christi 350. Imperij 13. Constantius relictus solus Catholicos persequens fauit Arrianis: sed pœnitens, vt aliqui dicunt ; moritur anno Christi 361. Imperij 24.

Iulianus dictus Apostata, quia relictâ Christi fide Christianos omnibus modis persequens, Deorum cultum restituere conatur : dum in Persas bellum parat, voto se diis astrinxit Christianos sacrificaturum ; si inde victor & triumphans redeat: sed mirabili Dei prouidentia, lanceâ vulneratus diffluentem sanguinem manu receptum in aëra sparsisse dicitur, hæc verba rabidè pronuntians : *Vicisti Galilae, Vicisti :* hoc nomine Christum in dedecus nominabat ; hoc vulnere moritur anno Domini 363. Imperij 2.

Iouianus ex Pannonia oriundus ab exercitu Imperator electus, clausis idolorum templis Christianam religionem in pristinum decorem restituit : dum Antiochia Constantinopolim proficiscitur, morte repentina decedit nondùm expleto octauo Imperij mense, ætatis anno 33. Christi vero 364.

Valentinianus ex Pannonia similiter oriundus, communi consensu ei subrogatur. Hic in præmium pietatis, virtutis, & exilij pro Christi nomine sub Iuliano tolerati, ad Imperij dignitatem peruenit ; fratrem Valentem Augustum declarans consortem Imperij creat: ipse Valentinianus, etsi Catholicus, vxoris & fratris preci-

bus

bus Arrianis fauet, & moritur sanguinis vomitu anno Christi 375 Imperij II. Valens autem in principio Catholicus, postea Arrianus Catholicos dirè persequitur, & moritur anno Christi 378. Imperij 15. ætatis 50. à Gothis vulneratus, & viuus combustus.

Gratianus filius Valentiniani tribus annis cum Valente patruo imperat: decreuit, vt frater suus Valentinianus Iunior vix quatuor annorum ætatis Augustus nominetur: cum in Gallias venisset, Theodosium Hispanum Imperatorem Orientis creat, & tandem proditione sui exercitus occiditur anno Christi 383. Imperij 8 ætatis 28.

Valentinianus II. simul cum Theodosio imperat, Lugduni insidiis Comitis Arbogasti occiditur anno Christi 392. Imperij 9. ætatis 21. eius corpus cum dedecore suspenditur, sed Mediolanum postea translatum honorificè à sancto Ambrosio sepelitur, facta ad eius & Gratiani fratris honorem panegiri.

Theodosius remanens solus imperat vsque ad annum Christi 395. tunc enim pietate conspicuus, rebus præclarè gestis contra Paganismum & hæreses, meritisque plenus moritur Mediolani anno ætatis 50. Imperij 16.

Arcadius & honorius Theodosij filii post mortem patris: hic puer 10. annorum in Occidente: ille 20. in Oriente imperant, in omnibus pietatis operibus maximè zelo Catholicæ fidei contra Paganos, Iudæos, & Hæreticos patrem imitati. Arcadius moritur anno Christi 408. Imperij 13. Honorius autem Romæ moritur anno Christi 423. Imperij 28.

Theodosius II. filius Arcadij, cùm post mortem patris imperasset in Oriente, imperante Honorio patruo in Occidente, vsque ad annum Christi 423. imperat cum Valentiniano III. filio Honorij germano suo, quem anno Christi 425. Augustum nominat, mortuo Ioanne tyranno, qui inuaserat imperium Occidentis, sub ipso

celebratum fuit Concilium Ephesinum, cui ex mandato Celestini Pontificis præfuit noster S. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, in quo condemnato Hæresiarcha Nestorio; Decretum est B.V. Mariam esse Dei matrem; moritur anno Christi 449. secundùm aliquos infirmitate, secundùm alios cadens ex equo inter venandum, secundùm alios in flumine suffocatus, Imperij 41: Huic succedit Marcianus vir prudens, generosus, & continens, quem Pulcheria Augusta ex consilio Theodosij fratris sui in maritum assumpsit sponsione facta quòd ipsa virginitatem Deo promissam illibatam seruaret.

Valentinianus III. Imperium cum Marciano regens, in principio benè vixit, & Ecclesiæ fauit: sed postea ipsam oppressit, & magia vsus est ad oppugnandam mulierum castitatem: in quorum scelerum pœnam ab Attila Gothorum Rege vexatur, & ni Deus misso in Attilæ occursum sancto Leone prouidisset, fuisset Imperio priuatus; tandem occiditur dolo Maximi, qui Imperium inuadit ducta in matrimonium Eudoxia Valentiniani vidua; quæ cùm à secundo marito didicisset ipsum esse interfectorem primi vocat ex Africa Gensericum vindictæ causa, quem fugiens Maximus secundo Imperij mense à populo Romano lapidatur: cui successit Auitus ex Aluernia oriundus, contra suam voluntatem proclamatus: propterea Placentiæ breui se abdicat Imperio anno Christi 456.

Marcianus, qui iam ab anno Christi 449. imperare cœperat in Oriente, anno 451. ad extinguendas hæreses maximè Eutichetis & Dioscori, supplicibus epistolis obtinuit à sancto Leone Papa celebrationem Concilij Chalcedonensis: multa alia ad bonum Ecclesiæ sanciuit, & tandem bonis operibus plenus moritur anno Christi 457. Imperij 6. nullus Imperatorum, excepto Constantino, huic præfertur; licet Armeni de eo, vt-

pote

pote ipſorum erroribus contrario, conquerantur.

Leo dictus Magnus ex Thracia oriundus, Senatus beneplacito ad Imperium electus, Maiorianum Ducem exercitus Imperatorem Occidentis declarat; ſed hoc veneno pereunte, Anthemium ſubrogat: huic etiam violenter extincto ſuccedit Olybrius, poſtea Glycerius: ipſe Leo in omnibus laudabilis, niſi erga hæreticos fuiſſet indulgentior, declarat Leonem ex Ariadna nepotem, Zenonis filium Auguſtum & ſucceſſorem: moritur anno Chriſti 474. Imperij 18.

Zenon Iſaurus filij tutor, & Imperij adminiſtrator, poſt filij mortem vſurpat Imperium: erat prauus moribus, & hæreticorum fautor: à Baſiliſco Leonis magni cognato priuatur Imperio: ſed hoc capto & in exilium pulſo, iterum capeſcit Imperium, quod regit vſque ad annum Chriſti 491. in quo moritur morbo caduco. Tempore ipſius Iulius nepos, tonſo & in Epiſcopum conſecrato Glycerio Imperium Occidentis vſurpat: ſed ab Oreſte duce exercitus eiectus fugit in Dalmatiam ſuccedente Momilio Oreſtis filio dicto Auguſtulo: ſed hoc etiam in exilium pulſo Odoacer Arrianus nomen Imperatoris in occidente extinguens Italiam inuadit, & ſub nomine Regis poſſidens, non multò poſt à Theodorico item Arriano occiditur.

Anaſtaſius auxilio Ariadnæ Zenonis viduæ eidem Zenoni ſufficitur, contradicente Euphemio Epiſcopo Conſtantinopolitano, qui eum noluit coronari; donec Concilium Chalcedonenſe approbauerit, & profeſſionem fidei Catholicæ emiſerit. Hic benè vixerat vita priuata, & in principio Imperij; ſed omninò mutatus omnia peruertit, hæreticis fauit, & apertè Catholicos perſecutus eſt anno 494. contemnénſque ſalutaria monita ſummorum Pontificum Gelaſij, Anaſtaſij, & Symmachi, ab eodem Symmacho excommunicationis fulmine percuſſus anno 502. materiali ful-

mine consumitur anno Christi 518. Imperij 27.

Iustinus ex Thracia oriundus, à Senatu & exercitu ab aratro ad Imperium eleuatur; fuit vir optimus, Catholicæ fidei affectus, hæreticorum hostis acerrimus, erga summum Pontificem obsequentissimus: post multa præclarè gesta moritur anno Christi 527. Imperij 9.

Iustinianus Iustini ex sorore nepos, prius ab illo Cæsar nominatus, Imperium regit: eius principia pietate Catholica, & virtutibus admiranda relucent: vnde sub Dei protectione constitutus multas referens victorias maximè de Cabade Persarum Rege, florens regit Imperium, delectis decem Iurisperitis, maximè Triboniano Ethnico, Codicem ex Gregoriano, Hermogeniano, & Theodosiano congestum, propter nouas constitutiones ab ipso additas Iustinianeum vocat; Ecclesiam sanctæ Sophiæ magnificentissimam Constantinopoli ædificauit: sed à tam faustis principiis recedens, ob hæreticorum familiaritatem, & nimiam in rebus fidei propria authoritate determinandis temeritatem, anno 563. labitur in hæresim, Catholicos; imò Summos Pontifices persequitur: in cuius impietatis vindictam morte repentina decedit anno Christi 565. Imperij 38.

Iustinus II. dictus Iuuenis, Iustiniani ex sorore Vigilantia nepos, licèt pietati & fidei Catholicæ plurimùm affectus appareret: corruptis tamen erat moribus: fascinatus à Magis, applicato sibi freno, in quo erat clauus Christi, miraculosè sanatur. Anno Christi 578. in Collegam assumit Imperij Tiberium: moritur anno 582. Imperij 17.

Tiberius solus imperans multis bonis operibus, præsertim misericordia in pauperes, & insigni pietate celebratur: moritur anno Christi 586. Imperij 4.

Mauricius gener Tiberij, dum religiosè viuit, & fidem Catholicam defendit, cum filiis à Phoca trucidatur

cidatur anno Christi 602. Imperij 6.

Phocas aliqua præclarè gessit, confessionem fidei Catholicæ ad Pontificem Romanum misit, Episcopum Constantinopolitanum vniuersalis nomen vsurpantem coërcuit, asserens hoc nomen soli Romano conuenire, Pantheon Bonifacio IV. in honorem Beatissimæ Virg. & martyrum dedicandum concessit: sed postea à recta via declinans, à Photino, cuius vxorem constuprarat, propter impudicitiam, & tyrannidem veste imperiali denudatur, & lugubribus indutus ad Heraclium ducitur, à quo manibus & pedibus, deinde humeris & pudendis, denique capite truncatur, fratribus & consanguineis eius simul extinctis anno Christi 610. Imperij 8.

Heraclius à Sergio Patriarcha simul cum vxore, mutato de Fabia in Eudociam nomine, Constantinopoli coronatur: ad Bellum contra Persas procedens plus Deo, quàm armis confidens triplici victoria Cosroëm debellatum fugat, crucem Christi in Persidem delatam à Syroë filio Cosroës recuperat, ipsámque baiulans abiectis imperialibus ornamentis facilè ad montem Caluarium refert, cum prius ornatus progredi non posset; sed in Edessa ciuitate ab Anastasio Iacobita, Sergio Patriarcha Constantinopolitano Monothelita, & Cyro item Patriarcha Alexandrino peruersus cadit in hæresim, & postmodùm afflictus animi mœrore, & variis morbis consumptus moritur anno Christi 641. Imperij 31.

Constantinus III. Patri Heraclio succedens, tum in Imperio, tum in miseriis; quarto post mense à nouerca Martina Augusta veneno necatur.

Heracleonas filius Martinæ Augustæ, matris industria, & Pyrrhi Patriarchæ Constantinopolitani fauore ad thronum sublimatur; sed rebellante Senatu inde deiectus, præciso ipsi naso, & amputata matri lingua sexto

ſexto Imperij menſe eiicitur in exilium.

Conſtans II. Conſtantini filius à Senatu proclamatur Imperator Monothelitis fauens Romæ condemnatur: cúmque fratrem Theodoſium Diaconum occidiſſet, ipſe Siracuſis in Sicilia occiditur anno Chriſti 668. Imperij 4.

Conſtantinus IV. Conſtantis filius, occiſo Mezentio Armeno Imperij inuaſore, Catholicè viuit, & ſummis Pontificibus obſequentiſſimus moritur anno Chriſti 685. Imperij 17.

Iuſtinianus II. filius Conſtantini in principio Catholicus, lapſus poſtea in hæreſim perſequitur Sergium Pontificem, & Eccleſiam Romanam; in cuius ſceleris pœnam naſi præciſione, & exilio mulctatur à Leontio anno Chriſti 694. Imperij 9.

Leontius hæreticus primo anno pacificè imperat: ſed tertio mota ſeditione deturbatur, & præciſo naſo in monaſterium includitur anno Chriſti 697.

Tiberius III. qui prius dicebatur Abſimarus, Eccleſiam Romanam, & Pontificem Ioannem VI. perſequitur: ſed Deo vindice ab Imperio deiicitur, & occiditur à Iuſtiniano II. qui Trebellij Bulgarorum Regis auxilio potens Imperium recuperat, anno Chriſti 703. in quo fœliciùs vixit vſque ad annum 710. quia melior effectus erga Summum Pontificem fuit obſequentiſſimus.

Philippicus, dictus Bardanes, hæreticus imperat vſque ad annum Chriſti 713. tunc enim 3. Imperij excæcatus exilio mulctatur.

Anaſtaſius II. Catholicus dictus Artemius vno tantùm anno imperat,& ab exercitu deponitur anno Chriſti 714.

Theodoſius III. Catholicus permiſit Anaſtaſio in ſtatu monachali viuere, ipséque pacis amore ſe abdicat Imperio anno Chriſti 716.

Leo Isauricus III. primo Catholicus, deinde anno 723. Iconoclastis adhærens, in odium sanctarum imaginum Catholicos persequitur: sed moritur anno Christi 741. Imperij 25.

Constantinus V. Leonis filius dictus Copronymus, patrem impietate, luxuria, & crudelitate, & odio in sanctissimam Virginem superans, miserrimè moritur anno Christi 775. Imperij 34, clamans se flammis æternis damnari propter Mariam; quam vt Dei Matrem venerandam asserit.

Leo IV. Constantini filius, patris exhortatione proficiens, in principio Beatissimam Virginem, & monachos coluit: sed præteritis patris exemplis Ecclesiam persequitur, & imagines sanctas destruit: tandem anno Christi 780. Imperij 5. miserè periit.

Constantinus VI. Leonis filius, cum matre Irene Augusta, pietate plena imperat, & pacem Ecclesiæ reddit: sed anno 790. matrem abiiciens solus regnat, & anno 797. excæcatur ac occiditur. Sanctissima Irene Imperium prosequitur vsque ad annum 802. tunc à Nicephoro in exilium acta, in monasterio recluditur, vbi sequenti anno mœrore confecta moritur: ipsa imperante Carolus Magnus Galliarum Rex in præmium tot bonorũ operum, & maximè pietatis ac protectionis Apostolicæ Sedis, à Leone III. Summo Pontifice (quem anno præcedenti vexatum honorificè susceperat) anno Christi 800. die Natiuitatis Domini creatus Occidentis Imperator, in Ecclesia sancti Petri solemniter coronatur: cui postea filius, & nepotes in hac dignitate successerunt.

Nicephorus se Catholicum fingens, Manicheis & Iconoclastis fauet, ac Ecclesiæ Catholicæ contrariatur: occiditur anno Christi 811. Imperij 9.

Stauratius Nicephori filius, simul cum patre grauiter læsus, duobus tantùm mẽsibus illi superstes imperat.

Michaël

Michaël dictus Curopalata, cognatus Stauratij professionem fidei ad Leonem III. Pontificem, & Legatos ad Carolum Magnum mittit: anno Christi 813. & Imperij 2. se sponte sceptro abdicat.

Leo V. dictus Armenus, magnus Iconoclasta, & Catholicorum persecutor anno Christi 820. & Imperij 7. occiditur.

Michaël dictus Balbus eadem hæresi infectus, inter alia scelera hoc sacrilegium commisit, quòd Euphrosinam Monialem Constantini filiam in matrimonium duxit: moritur anno Christi 829. Imperij 9.

Theophilus filius Michaëlis etiam Iconoclasta, inter alia bona opera Euphrosinam nouercam suam monasterio restituit: precibus Imperatricis piissimæ vxoris suæ, pœnitentia Deo & Ecclesiæ reconciliatus obiit anno Christi 842. Imperij 13.

Michaël II. filius Theophili simul cum matre Theodora imperat: hæc coacto Constantinopoli concilio Iconoclastas damnari procurat; filius autem vitiis mancipatus, vt liberius viuat, matrem monasterio recludit anno Christi 855. vbi paulò post moritur; ipse autem ebrius occiditur anno Christi 867. Imperij 25.

Basilius Macedo à Michaële adoptatus, & creatus Imperator, qui & eius fuit interfector, moritur anno Christi 886. Imperij 9.

Leo VI. filius Basilij secundogenitus, dictus Philosophus, qui iam ab anno 870. coronatus fuerat, verè pius fluxu ventris moritur annò Christi 911. In Occidente Carolo Magno succedit anno 814. Ludouicus pius eius filius qui moritur anno Christi 840. Deinde Lotharius Ludouici primogenitus, à quo Lotharingia denominatur, qui monachus effectus anno Christi 855. Imperij 15. eodem anno moritur. Cui succesſêre Ludouicus II. vsque ad annum Christi 875. Deinde Carolus II. dictus Caluus qui ab Hebræo Medico veneno

no perimitur anno Christi 877. Ludouicus II. dictus Balbus, qui moritur anno Christi 879. Carolus III. dictus Crassus Romæ coronatus, quo mortuo Imperium Occidentis fuit à regno Galliæ diuisum anno Christi 888. prædictis Imperatoribus Gallis succeſſerunt Guido & Arnulphus simul imperantes, quibus è vita sublatis anno 899. post longam altercationem sufficitur Ludouicus IV. sed hic anno 904. à Berengario tyranno oculis & imperio priuatur.

Alexander II. frater Leonis & Constantinus VII. eiusdem Leonis filius adhuc paruulus imperant: ex quibus Alexander moritur anno Christi 912. Constantinus autem assumpto prius in Collegam, postea reiecto Romano patricio, vel morbo, vel veneno moritur anno Christi 960. Imperij 49.

Romanus coronato Basilio filio moritur anno Christi 963. Imperij 3.

Nicephorus Phocas ab exercitu proclamatus Imperator occiditur anno Christi 969. Imperij 6.

Ioannes Zemiscas electus Imperator veneno moritur anno Christi 974. Imperij 5.

Basilius, & Constantinus VIII. filij Romani simul imperarunt vsque ad annum Christi 1025. quo morte repentina moritur Basilius: Canstantinus autem moritur anno Christi 1028. Imperij 54. In occidente Ludouico IV. successit Lambertus filius Guidonis à Formoso coronatus moritur anno 910. Berengarius à Ioanne X. coronatus à suis occiditur anno 924. Otto I. dictus Magnus moritur in Saxonia anno 973. aliqui ante Ottonem ponunt Conradum I. & Henricum I. postea succeſsère Otto II. & Otto III.

Romanus Argyrophylus, dolo Zoë vxoris adulteræ, moritur laqueo suffocatus anno Christi 1034. Imper. 6.

Michaël IV. ex Paphlagonia Romani interfector, ex auri

aurifabro ad Imperium assumptus, in pœnam homicidij & adulterij, à dæmone possidetur, & sic vexatus moritur anno Christi 1041. Imperij 7.

Michaël V. dictus Calaphates à Zoë Imperatrice adoptatus, & coronatus Imperator maximum ingrati animi signum edidit: nam Zoëm suam benefactricem in exilium actam monasterio recludit: quod factum sic populo displicuit, vt ipsum lapidibus appetierit, & excæcarit, reuocando ad Imperium Zoëm, & sororem eius Theodoram monialem.

Constantinus IX. dictus Monomacus, ducta in matrimonium Zoë, coronatur Imperator, & moritur anno Christi 1054. Imperij 12. cui superstes Theodora Zoë soror imperat vsque ad annum Christi 1056. in quo moritur.

Michaël VI. dictus Stratonicus succedens, anno sequenti renuntiat Imperio.

Isaac Comnenus subintrat, sed duobus post annis, monachalem habitum præferens purpuræ, Imperium relinquit anno Christi 1059.

Constantinus X. nominatus Ducas electus Imperator, moritur anno Christi 1067. Imperij 8. tribus filiis relictis sub tutela Eudoxiæ matris.

Romanus Diogenes ducens in matrimonium Eudoxiam declaratur Imperator; sed captus fuit à Turcis anno Christi 1071. Imperij 3.

Michaël VII. vocatus Ducas filius Constantini priuatur Imperio anno Christi 1078. Imperij 7.

Nicephorus III. dictus Botoniates Imperio item priuatur anno Christi 1080. & in monasterio recluditur.

Alexius I. Comnenus succedens, moritur anno Christi 1118. Imperij 38. In Occidente S. Henricus nomine I. succedens Ottoni III. anno Christi 1014. perpetuam cum S. Chunegonde coniuge seruat virginitatem, & S. Ste

S. Stephanum Regem Pannoniæ cum regno conuertit: moritur anno Christi 1024. illi successere anno 1027. Conradus (nam vacauerat Imperium tribus annis) hic moritur morte repentina anno Christi 1039. Imperium vacat vsque ad annum 1046. Henricus II. filius Conradi moritur anno Christi 1056. vacat Imperium 27. annis; vnde anno 1084. electus Henricus III. imperat, & repentinè moritur anno Christi 1106.

Ioannes Comnenus filius Alexij primogenitus, patri immediatè succedens moritur anno Christi 1143. Imperij 25.

Emmanuel Comnenus filius Ioannis Imperat 38. & anno Christi 1180. moritur in habitu monachali in signum publicæ pœnitentiæ.

Alexius II. Comnenus Porphyrogenitus à Tyranno Andronico nocte strangulatur anno Christi 1183. Imperij 3.

Andronicus Imperium inuadit: sed iusto Dei iudicio, & Imperio & vita priuatur duobus post annis; anno scilicet Christi 1185.

Isaac dictus Angelus inuasor Imperij, à fratre carceri mancipatus è Throno deturbatur anno Christi 1195. Imperij. 10.

Alexius III. Cognomento Angelus, item tyrannus, ab Alexio Isaaci filio deiicitur anno Christi 1203. Imperij 8. In occidente Henricus IV. incipit imperare anno 1111. (sedes enim imperialis 5. annis vacauit) & nullis susceptis filiis maribus moritur anno Christi 1125. Imperij 14. huic septem post annis successit Lotharius II. anno Christi 1133. & anno 1138. Imperij 5. moritur anno sequenti succedit non vt Imperator, sed vt Rex Romanorum Conradus II. & anno 1152. sub eodem titulo Regis succedit Federicus Barbarousse, qui postea anno 1155. ab Hadriano IV. coronatur Imperator, & in expeditione terræ sanctæ

aquis ſuffocatur anno 1190 illi ſuccedit filius Henricus I V. qui moritur anno Chriſti 1198. Imperium adminiſtrat Philippus Henrici frater creatus Rex Romanorum anno 1199. & paulò poſt Otto qui moritur anno Chriſti 1218.

Alexius I V. vix incipit imperare,cum occiditur anno Chriſti 1204.

Alexius V. cognomento Ducas, vix aſſumptus, è throno deiicitur & occiditur.

Baldoïnus primus Latinorum,qui Imperium Orientis moderati ſunt, incipit imperare anno Chriſti 1204. anno ſequenti captiuus in bello factus anno poſtea 1206. occiditur.

Henricus fratri Baldoïno ſuccedit, & imperat vſque ad annum Chriſti 1216.

Petrus Antiſiodorenſis ſuccedens Imperium moderatur vſque ad annum Chriſti 1222.

Robertus Petri filius imperat vſque ad annum Chriſti 1229.

Baldoïnus I I. cùm regnaſſet vſque ad annum Chriſti 1259. expellitur è Græcia.

Michaël V I I I. cognomento Palæologus, Gallis è throno orientalis Imperij poſt poſſeſſionem ipſius ſpatio 55. annorum expulſis, imperat vſque ad annum 1259.

Andronicus ſenex, item cognomento Palæologus Imperium regit vſque ad annum Chriſti 1332. in quo moritur. In Occidẽte coronatur Imperator anno Chriſti 1220.Federicus I I.qui poſtea in Concilio Oecumenico Lugdunenſi priuatur Imperio anno Chriſti 1245. illi ſucceſſerunt, vel ſub titulo Imperatoris, vel Regis Romanorum,Henricus,Guillelmus,Conradus,Richardus, Alphonſus, Rodolphus, Adolphus, & Albertus, qui anno 1299. creatus regnat vſque ad annum 1308. in quo occiditur.

Andro

Andronicus Iuuenis, item Palæologus, Andronico ſeni ſuccedens imperat vſque ad annum 1341.

Ioannes Palæologus ſimul cum Ioanne Cantacuzeno imperat 16. annis: ſed ſocio expulſo ſolus imperat 27. annis, & moritur anno Chriſti 1384. Imperij 43.

Emmanuel II. Palæologus imperat 34. vſque ad annum Chriſti 1418. In Occidente Alberto ſuccedit Henricus de Luxemburgo, & imperat vſque ad annum Chriſti 1314. illi ſuccedens Ludouicus Bauarus imperat 33.annis vſque ad annum Chriſti 1346.Deinde Carolus Bohemus Romæ coronatus imperat vſque ad annum Chriſti 1379. Venceſlaus Rex Romanorum imperat vſque ad annum Chriſti 1400.& poſt ipſum Robertus Bauarus Rex Romanorum vſque ad annum Chriſti 1410.

Ioannes Palæologus filius Emmanuelis patri ſuccedit & 27. annis imperat; hic cum Patriarcha Conſtantinopolitano, & aliis Præſulibus orientis venit ad Eugenium IV. ſummum Pontificem, & anno Chriſti 1440. interfuit Concilio Florentino: anno ſequenti moritur.

Conſtantinus XI. Palæologus filius Emmanuelis ſeptem annis imperat vſque ad annum Chriſti 1452. vel 53. in quo capta à Turcis Conſtantinopoli,& Conſtantino. occiſo, Romanorum Imperium in Oriente ceſſauit. In Occidente autem poſt Robertum imperant Sigiſmundus 26. annis vſque ad annum Chriſti 1437. Albertus II. Auſtriacus vno anno. Federicus III. item Auſtriacus 53. vſque ad annum Chriſti 1493. Maximilianus I. ex eadem domo imperat 25. annis vſque ad annum Chriſti 1519.Carolus V. imperat vſque ad annum Chriſti 1558.in quo plenus gloria moritur in monaſterio S. Iuſti. Ferdinandus I. fratri Carolo ſuccedens imperat vſque ad annum 1564.Illi ſuccedit filius Maximilianus II. & imperat 10. annis. Illi ſuccedit item

filius Rodolphus II. anno Christi 1576 & imperat vsque ad annum 1612. in quo succedit ei frater eius Mathias, qui iam senex adoptat Ferdinandum II. Austriacum, ipsúmque Regem Bohemiæ & Pannoniæ coronat: qui Ferdinandus in locum Mathiæ demortui Viennæ eligitur Imperator 28. Augusti anno Christi 1619. sed à Comite Palatino aliquandiu impugnatur: hoc tamen miraculosè debellato & pulso, ad hæc penè tempora imperando, filium Ferdinandum III. successorem reliquit.

CAPVT VI.

De Imperatoribus Turcarum.

IMperium Turcarum à Mahometo Pseudopropheta ducit originem, hic fuit natione Arabs ex Mecha oriundus, fuit astutus; quamuis ignarus: eius pater vocabatur Abdalla, mater autem Emina. Natus est in fine sexti sæculi post Christum natum; fuit seruus cuiusdam Abdemonaplis, cuius demortui vxorem in matrimonium duxit, à qua hæres institutus, poténsque effectus ad regnum aspirare cœpit: quod vt obtineret, se Prophetam finxit: Sergij monachi suasionibus multas hæreses, maximè contra Christi diuinitatem seminat, medius inter Arrium & Antichristum, primum & vltimum in hac materia hæreticum; licet ipsum Christum plurimùm laudet. Librum suæ legis, vulgò Alcoranum, ex Christianis ac Iudaicis dogmatibus, multísque plenum fabulis composuit. Tandem firmato regno Medinæ in Arabia prope mare rubrum moritur ætatis anno 65.

Abbabucker consanguineus mortui Mahometis Calipha creatur anno Christi 632. reliquas prouincias regno subiicit; postquam duobus annis regnauit, moritur anno Christi 634.

Omar

Omar filius Alchittab Calipha creatur, multa circumquaque bella excitat, Damascum capit, Palæstinam occupat, plures religiosos Carmelitas in sacro monte Carmelo trucidat, Persidem inuadit, totam Syriam subiugat, Ægyptum tributariam facit, Medina relicta Damascum venit, ibíque nomen Imperatoris fidelium vsurpat: moritur anno Christi 643. percussus ab Abulula Persa.

Ostman filius Affan succedit, qui postquam ferè duodecim annis regnauit, à suis occiditur anno Christi 655.

Ali filius Abutalib & Fatimæ Calipha creatur,& ferè quinque annis regnat, postea ab Abdurrahman percussus interiit anno Christi 660. Deinde vsque ad finem septimi sæculi sequuntur Hasen filius Ali,Moaxias filius Cephan, Moabias siue Mahomet filius Abusophian, Iezid siue Hirid eius filius,Maula,Muthar, Maruan, Abdelmelech filius Maruan.

Sæculo octauo creati fuerunt Caliphæ Mahometicæ legis Vlid filius Abdelmelech, Suleiman item filius Abdelmelech frater Vlid, Omar filius Abdulazis filij Maruan, Iezid siue Hirid consobrinus Omar, Huiam, siue Iscan frater Iezid, Walid,siue Vlid filius Iezid, Abraham, siue Ebrahim filius VValid, Maruuan, Mahomet.

Sæculo nono sequentes fuerunt Caliphæ, videlicèt Abdalla, Abdalla II. Aaron, Mahometh, Abdalla III. Mahometh, tunc multæ erant inter Saracenos factiones, & omnia confusione plena; vnde vsque ad annum Christi millesimum quadragesimum ordinati non reperiuntur Saracenorum,vel Turcarum Principes: præfato igitur anno Turkemani siue Turcæ Regem sibi constituunt, quem Sadoc siue Iustum nominant.

Sadoc Persidem, & Syriam regno adiecit, & successorem reliquit Dogriz, qui Mesopotamiam, & Cili-

ciam ab Imperatore Constantinopolitano armis recuperat.

Aspalam Patri succedit; hic Solimanum nepotem misit in Capadociam, qui totam pene Asyam minorem armis deuicit: deinde propè Niceam Godifredum Bullioneum Christiani exercitus Ducem anno Christi 1097. aggreditur: & tandem Ciuitatem Hierusalem defendens ab eodem Godifredo superatur.

Melechla filius Aspalam patri succedens Arthot Sultanum Mesopotamiæ, & Solimanũ misit Anthiochiam, quam armis deuincunt, filiúmque Belchiarot successorem reliquit. Hoc sine hæredibus mortuo regnum Turcarum iterum diuiditur, & à variis Principibus vsurpatur, de quibus in gestis Christianorum Terram sanctam conquirentium frequens habetur memoria.

Sæculo decimo tertio iterum Turcarum Monarchia reuiuiscit: nam Osman, siue Ottoman filius Ertûcul, (cuius progenitores ascendendo sic numerantur, Solimanus, Cabielpe, Cusulbug, Bainder, Oicoluc, Baisunger, Bakis Aga, Ciaces Aga, Toctemur, Versaiob, Giokelpe, Ogus, Carachan, Cutluzecce, & Lecrac) sua prudentia & magnanimitate Turcici Imperij fundamenta iecit, à quo Imperatoris Turcarum familia Ottomana dicitur; ipse in capta Ciuitate Bursia Imperij sedem fixit; multas deinde ciuitates in Asia minori Ancyram, Sebastem & alias prope mare mains, totamque ferè Anatoliam occupat: exercitum traiecto Bosphoro in Europam induxit, qui plures regiones fœdè vastauit: moritur anno Christi 1328.

Orcan siue Vrcan patri succedens, fratres persequitur Imperij limites vsque ad Hellespontum dilatat; Niceam, Nicomediam, Philippopolim, Gallipolim, aliásque Ciuitates; ac totam Misiam, Licaoniam, Phrygiámque occupat: moritur anno Christi 1358.

Soliman filius Orcan Adrianopolim, Pergamum, aliásque

aliásque Ciuitates vltra citráque Hellespontum, partémque Thraciæ biennio Imperij capit, & moritur anno Christi 1360.

Amurath frater Soliman, & filius Orcan succedit, Imperatorem Græcorum multis debilitat præliis Thessalonicam, aliásque plures at celeberrimas ciuitates capit, obtentísque triginta septem victoriis suum dilatat Imperium: huic aliqui authores Orcan patris, & Soliman fratris victoriàs; imò & primum in Europam traiectum attribuunt; fuit admodùm crudelis, primogenitum enim Siaux Schelebi strangulari fecit: tandem trigesimo tertio Imperij anno, & Christi 1393. à quodam Christiano Lazari Comitis Seruiæ seruo trucidatur.

Baiazeth dictus Gilderum, id est fulgur: quia vicinos terruit Principes; vastauit prouincias plurimas cœpit ciuitates, Iconiū, Cæsaream, Delphum, & alias, Pannoniam, & Bosniam percurrit: anno Christi 1396. Regem Pannoniæ deuicit, in hoc prælio Ioannes Comes Niuernensis Philippi Ducis Burgundiæ filius captus fuit, sed postea redemptus; tandem Constantinopolim obsedit: sed aduentu Tamerlani obsidionem soluit, eíque propè Ancyram occurrit, vbi victus, captúsque Imperium cum libertate amisit; nam in ferrea conclusus cauea miserrimam duxit vitam, ipsíque Tamerlano equū ascensuro tanquam scabellum subiiciebatur, tandem elapsis huius miseriæ & opprobrij duobus annis præ rabie ad ferreas crates caput allisit anno Christi 1400. vel secundùm alios anno 1403. sex habuit filios, scilicet Mustafa Scheleby qui occidit in prælio in quo pater eius captus fuit; Isa siue Iosuë Scheleby, Emir Soliman, quem alij Musulman vocant, Musa, siue Moyses Scheleby, Sultan Mahamet, & Casan Scheleby.

Iosuë post mortem patris Imperium suscipit, dissipatum restaurát: sed à fratre Musa, siue Moyse captus

 occi

occiditur 4. Imperij anno.

Emir Soliman, siue Musulman Adrianopoli Imperator salutatur, fratrem Moysen persequitur; in principio mira in bello facit, sed postea deliciis occupatus in quodam oppido occiditur anno Christi 1411. Imperij septimo.

Musa, siue Moyses Scheleby fratri succedit, aliqua generosè exequitur; sed à Mahomet fratre suis prodentibus capitur, ac iussu eius strangulatur anno Imperij tertio cum dimidio.

Mahomet tandem filius Baiazeth Imperium Turcarum tot intestinis bellis penè desolatum ad pristinam gloriam reduxit; Pontum, Capadociam, aliásque prouincias debellauit; Anatoliam recuperauit, Seruiam, Bosniam, Valachiam, partémque Epiri & Macedoniæ subiugauit; sedem Imperij Bursia Adrianopolim transtulit, vbi moritur anno Christi 1422. Imperij 8.

Amurath II. filius Mahomet susceptum Imperium nouis victoriis extendit, capit Thessalonicam, Sophiam, aliásque Ciuitates; imò & totã Moream, ac partem Epiri; Ioannem Castriot ad dandam Croyam Ciuitatem, propriósque filios coëgit: ex quibus Scanderbech sui æui generosissimus multis victoriis Turcas superauit, & patrimonium suum eis eripuit: vnde afflictione & rabie Amurath ipse interiit anno Christi 1451. Imperij 30.

Mahomet II. filius Amurath, & Irenes vigesimo primo ætatis anno suscipit Imperium, secundo eius anno; Christi videlicet 1453. Constantinopolim obsidet, & capit; multas expeditiones aggreditur contra Græcos, Pannonios, Transsiluanos, Venetos, & alios; cúmque plures Ciuitates & prouincias Imperio adiecisset, moritur propè Nicomediam anno Christi 1481. Imperij 31.

Baiazeth II. filius Mahometh II. expulso fratre Ze-

mi, patri ſuccedit; plures Ciuitates inuadit videlicet Tarſum Ciliciæ, Lepantum, Dyrrachium, aliáſque plures; tandem à filio Selim, vt creditur, veneno interficitur anno Chriſti 1512. Imperij 30.

Selim filius Baiazeth occiſis fratribus Corcut, & Achmat, ac ſeptem nepotibus regnum inuadit; partem Mediæ cum Ciuitate Tauris; totam Ægyptum & Syriam, deuictis earum Regibus, nectit Imperio; cúmque Conſtantinopolim rediiſſet, indéque Adrianopolim pergeret, moritur anno Chriſti 1520. Imperij 9.

Soliman filius Selim patri in Imperio ſuccedens, ſtatim Belgradum in Pannonia obſidet, & anno 1622. expugnat; ſequenti etiam anno Rhodum inſulam capit, aliáſque Archipelagi inſulas; pluréſque Pannoniæ Ciuitates, Budam, Albam regalem, & Strigoniam; item capit Babylonem, Van Armeniæ, Tripolim Syriæ, & aliàs, imò anno 1565. numeroſiſſima triremium claſſe Melitam inſulam, & copioſiſſimo exercitu Viennam Auſtriæ obſeſſit; ſed recedere ex vtraque obſidione coactus eſt. Tandem 4. Septembris anni 1566. moritur, Imperij 46.

Selim II. filius Soliman 42. ætatis anno patri ſuccedit; Cyprum inſulam, aliáſque Ciuitates Venetis anno 1571. eripit; ſicut & Goletam Hiſpanis anno 1574. ſed ſeptima die Octobris anni 1572. ad Lepanthum claſſis eius trecentarum circiter triremium deleta fuit; vbi viginti quinque millia Turcarum occiſa, quatuor millia capta cum generali, quatuordecim verò Chriſtianorum millia à captiuitate liberata fuerunt: moritur anno Chriſti 1575. Imperij 9.

Amurath III. filius Selim Imperator factus quinque fratres coram ſe ſtrangulari iuſſit, bellum mouit contra Perſas; & alios vario euentu, tandem moritur 6. Ianuarij anni 1595. Imperij 20.

Mahamet III. filius Amurath patri ſuccedens no-

uendecim fratres, & octo patris vxores enecat, fuit infœlix in bello; nam plures amisit Ciuitates, vt Strigoniam. & Clauarinum; imò & integras prouincias, vt Transsiluaniam Valachiam, & Moldauiam; peste moritur Constantinopoli anno Christi 1603. die 21. Octobris; Imperij 9.

Achmet filius Mahamet patri succedit; fuit vir iustus, & mansuetus, fratri Mustafa parcit, & castello reclusum in fine vitæ suum designat successorem. Pacem cum Persis, Pannonis, & aliis iniit; moritur vndecima Nouembris 1617. Imperij 14.

Osman, siue Ottoman primogenitus Achmet, carceri restituto Mustafa eius patruo; cùm adhuc tredecim esset annorum Imperator declaratur anno 1618. Hic contra Polonos exercitum trecentorum millium militum direxit; sed ab exercitu Polono centum septuaginta millium militum, turcæ superati, ac valde diminuti redire coguntur; cúmque ex metu Polonorum, vt creditur Constantinopolim relinquere, & sedem Imperij Memphim in Ægypt. transferre decreuisset, 18. Maij 1622. Janisseri rebelles palatium Imperatoris ingrediuntur, plures eius familiares occidunt; & tandem ipsúmmet Imperatorem in quadam turri reclusum strangulant, & patruum eius Mustafa è carcere eductum throno restituunt.

Mustafa patruus Osman declaratus Imperator, ob incapacitatem matri regimen commisit; eius tempore Abbas Rex Persarum Babylonem capit; cúmque multi in Imperio essent tumultus, mense Septembri 1623. voluntariè è throno ad vitam priuatam redit.

Amurath IV. frater Osman, nepos Mustafa; cum sexdecim esset annorum, Imperio sufficitur: tres numerosos exercitus contra Persas ad capiendam Babylonem direxit; sed duo priores penè deleti, re infectâ redierunt; tertius, in quo aderat ipse Imperator, Babylonem

prodi

proditione potius, quàm armis obtinuit: hic multis è ſuis interfectis fratris necem vindicauit. Chriſtianis valde fuit inſenſus; moritur anno Chriſti 1639. poſt reditum in capta Babylone.

Ebrahim frater Oſman & Amurath; à fratre morituro Imperator declaratur; hic cùm filium, quem ad Meccam miſerat voti causâ, ab Equitibus Melitenſibus captum vidit, tanto furore Chriſtianos perſequi cœpit; vt ſtatim comparata ingenti triremium claſſe Venetos impetere cœperit; & inſula Cretæ Caneam, aliáſque Ciuitates cœperit; ſed Veneti mirante toto orbe iam per aliquot annos tam potentis hoſtis impetum ſuſtinuerunt; & vtinam eum ad reſtituendum malè parta tandem compellant.

CAPVT VII.

De Regibus Indiarum Orientalium.

SEmper in Indiis Orientalibus proprij fuêre Reges; inter alios celebres habetur memoria ſancti illius Ioſaphat, quem ſanctus Barlahan heremita ab infidelitate ad fidem conuertit; & à regno ad eremum, ſpretis mundi deliciis, tandem allexit. Quia tamen in Indiis Reges admodùm multiplicati ſunt, ideò de ſolis magnis Mogoribus inter alios præcipuis agemus; maximè quia de aliis certæ non habentur relationes.

Magni Mogores (qui omnes ferè Indias orientales citra Gangem, vel immediatè poſſident, vel tributarias habent) à magno illo Tamerlan, qui Baiazeth Turcarum Imperatorem deuictum cepit, rectâ linea procedere dicuntur. Dicitur Tamerlan quatuor procreaſſe filios, primogenitus fuit Ioon Guir, ſecundus Hamar Xeque, tertius Miron Xa, quartus Mirza Xarok.

Ioon Guir moritur viuente patre relictis duobus filiis, videlicet Mahamed Sultan, & Pir Mahamed; huic

vltimo

vltimo Indiarum regnum Tamerlan auus conceſſit; ſicut Miron tertio filio conceſſit regnum Perſidis, Xarok verò poſt ſe reliquit Imperatorem.

Pir Mahamed filius Ioon Guir, Tamerlan auo in regnis Indiarum ſucceſſit, poſtea occiditur à Pir-Aly.

Abuſayd filius Pir Mahamed patri ſucceſſit, & anno Chriſti 1468. vocatur ad regnum Perſidis; ſed ab Vſuncaſſan intra montes propè ciuitatem Tauris cum exercitu incluſus, ad extremas famis miſerias reducitur: cum fuga euadere conaretur, capitur & occiditur anno Chriſti 1467.

Hamed filius Abuſayd patri ſucceſſit, & viginti octo annos regnat, & moritur anno Chriſti 1495.

Babor nepos Hamed regnum aſſumpſit; hic Patanes ex occupatis Indiis expulſos ad inſulas freti Bengalæ redegit: cúmque triginta octo annis regnaſſet, moritur anno Chriſti 1532. relictis duobus filiis Homayon Mirza, & Kamoran Mirza.

Homayon filius Babor patri ſucceſſit: ſed rebellante Xirkan Prorege, ad Perſidem fugit; vbi à Thamas Rege filio Iſmaëlis copioſum impetrat exercitum ſub Duce Beyran Kan, cum hac conditione, quòd legem Mahometis ſecundùm interpretationem Aly impoſterùm ſequeretur: his auxiliaribus turmis breui regnum reſtituit occiſo Xyrkan rebelle.

Gelaladin Akbar, ſiue magnus, Homayon patri ſucceſſit, ſuúmque Imperiũ pluribus regnis ſubiugatis auxit; regna enim Cambayæ, Decani, Caximir, & alia acquirit; totámque pene Indiam citeriorem reddidit tributariam: dilectus erat omnibus, ſiue Chriſtianis, ſiue Mahometanis, ſiue Gentilibus; ita crudelitatem & ſanguinem abhorrebat, vt ſuis miniſtris prohibuerit quemquam interficere, niſi ipſe ter prius iuſſiſſet: moritur 27. Octobris anni Chriſti 1605. tribus relictis filiis, videlicet Scieco ſiue Selim, Pahari quem alij vo-

cant Morad, & Dan siue Daniel.

Scieco, siue Selim patri successit, hic fuit Christianis valde affectus, primogenitum rebellem captum excæcauit, & carceri mancipauit, destinato regni successore secundogenito nomine Peruis moritur.

Corron Selim filius vel nepos regnum inuadit, hic est acerrimus, & infensissimus Christianorum hostis; multùm eos vexauit præcipuè Lusitanos in regno Bengalæ, & vt audiui dum essem in Indiis, nisi eius furor à prudentioribus ministris mitigaretur, iam è suis regnis omnes Christianos expulisset.

CAPVT VIII.

De Regibus, & Principibus Palæstinæ.

CVm Hebræi Palæstinam promissionis terram ingressi sunt, eam diuersis populis plenam, & pluribus Regulis subiectam inuenerunt, quorum à tempore Abraham Patriarchæ in sacris litteris mentio habetur.

Moyses primus Dux Israëlitarum, siue Hebræorum eos miris prodigiis ex Ægypto educit circa annum mundi 2460. Cúmque eos per quadraginta annos in longa illa deserti Arabici peregrinatione rexisset, & ad terminos terræ promissionis adduxisset, moritur anno ætatis 120.

Iosuë Dei mandato ab eodem Moyse successor designatus, populum sibi commissum transacto miraculosé Iordane in terram promissam introduxit; Hiericunthum euersis sono tubarũ muris capit; quinque debellat Reges, cursum Solis sistit; cúmque terram populo sortè distribuisset, moritur anno ducatus 18. ætatis 110. Mortuo Iosue seniores populi gubernarunt 17. annis, postea per octo annos propter idololatriam in seruitutem Cusan Mesopotamiæ Regis rediguntur.

Othoniel filius Cenez frater Caleb electus Dux & Iudex,

dex populum pœnitentẽ ex hac seruitute liberat; cúmque populum iudicasset qnadraginta annis,(inclusis viginti quinque annis Seniorum, & Cusan) moritur.

Aod filius Gera filij Ienimi factus Dux & Iudex, populum de seruitute Eglon Regis Moâbitarum liberat; cúmque octuaginta annis gubernasset (inclusis octodecim prędictæ seruitutis)moritur:quo mortuo Iabin rex Chananeorum, misso sub Sisara Duce exercitu, populum Israel idololatram vexauit.

Debbora prophetissa vxor Lapidoth populum Iudicabat, & vocauit Barac filiũ Abinoëm;coactóque exercitu, cum eo obuiam Sisaræ processit, eúmque debellans populum liberauit, postquam quadraginta annis gubernasset; inclusis viginti seruitutis, moritur.

Gedeon filius Ioas expresso Angeli mandato Iudex & Dux constitutus; populum iterum propter idololatriam captiuum, à seruitute septenni Madianitarum, cum exiguo trecẽtorum militum exercitu liberat:cúmque quadraginta annis (inclusis septem captiuitatis) pópulum iudicasset moritur: Gedeon vocatur etiam Ierobaël.

Abimelech filius Gedeonis, cùm omnes suos fratres septuaginta occidisset, solo Ioatham euadente, ducatũ obtinuit; cúmque Thebes oppidum obsideret,ecce vna mulier fragmẽ molæ desuper iaciens illisit capiti Abimelech, & confregit cerebrum eius.

Thola de tribu Issachar filius Phüa patrui Abimelech fit Iudex; hic habitans in Samir montis Ephràim iudicauit Israëlem 23. annis.

Iaïr Galaadites succedens,populum iudicauit 22.annis triginta suos filios triginta ciuitatibus præficiens in terra Galaad: cùmque post mortem eius populus ad idola declinasset, ad Captiuitatem Philistiim & filiorum Ammon deuenit.

Iephte Galaadites Iudex & Dux populi electus,

Ammo

Ammonitas debellans, populum suum ab eorum captiuitate liberauit; hic cùm deo vouisset se oblaturum in sacrificium primum sibi post victoriam occurrentem; filiam suam vnigenitam sic occurrentem sacrifiicauit, sex annis iudicat.

Abesan Bethleemites populum iudicat septem annis hic habuit triginta filios & totidem filias; moritur & sepelitur in Bethleem.

Ahialon zabulonites successit, & iudicauit Israël decem annis, mortuúsque est ac sepultus in Zabulon.

Abdon filius Illel Pharathonites iudicauit Israel octo annis; habuit quadraginta filios, & triginta ex eis nepotes; mortuúsque est ac sepultus in Pharathon terræ Ephraïm in monte Amalec.

Samson filius Manuè de Tribu Dan, fuit Iudex in Israël viginti annis; hic fuit miræ fortitudinis, Leonem occidit, Philisteos sæpe prostrauit; sed cùm Dalila capillos abscidisset, in quibus eius fortitudo erat, incidit in manus Philistiim; à quibus diu irrisus, & malè tractatus fuit; sed crescentibus iterum capillis; domum concussis columnis euertit, ex cuius ruina tria circiter millia Philistiim cum Samsone perierunt.

Heli simul Iudex & summus Sacerdos quadraginta annis populum, tam in Ecclesiasticis, quàm politicis gubernauit, eius tempore populus Philistiim plurimùm Israël vexauit, duos eius filios occidit, arcam fœderis cœpit; quibus auditis Heli cecidit de sella retrorsùm, & fractis ceruicibus mortuus est.

Samuël filius Elcanæ & Annæ, Sacerdos & Iudex populum aliquot annis faustè gubernauit, cúmque senuisset, & filios suos populo præficere decreuisset, populus eorum arrogantiam & auaritiam indignè ferens Regem exposcit; vnde expresso Dei mandato Rex electus inungitur circa annum mundi 2880.

Saül de Tribu Beniamin primus Rex Israël Ammonitas,

nitas, & Amalecitas deuicit; cúmque Dei mandato restitisset,& sacrificium ipse sine facultate obtulisset, à Deo reiectus, miser moritur in monte Gelboë,dum bellum gereret contra Philistiim, postquam regnasset nouem annis.

Dauid de Tribu Iuda,reiecto Saül, vngitur à Samuële in Regem; ab ipso Saül persecutionem patitur, sed post mortem eius in regnum admissus multa, & pro gloria Dei, & in bello generosa patrat,tandem moritur anno sui regni 40.

Salomon filius Dauid ex Bersabee suorum prædecessorum sapientissimus, potentissimus, & ditissimus regnat annis 40: templum Deo magnificentissimum, domum Regiam, & alia ædificat; tandem suarum mulierum arte & amore deceptus, ad cultum falsorum deorum præcipitatur, & si verè pœnituerit dubitatur. Huic successit filius Roboam, ob cuius tyrannidem regnum diuisum est.

Reges Iuda.

Roboam filius Salomonis cùm recusasset grauia populi tributa diminuere, sui regni diuisionem vidit; vnde imposterum supra duas tantùm Tribus Iuda & Beniamin regnat in Hierusalem 17. annis & malè moritur.

Abiam filius Roboam incœpit regnare anno 18. Ieroboam, regnat tribus annis, & malè moritur.

Asa filius Abiam incœpit regnare anno 20. Ieroboã, fuit

Reges Israël.

Ieroboam filius Nadab electus à populo Rex Israël,regnat Samariæ super alias decem tribus: vitulos aureos conflauit, vt sic impediret,ne populus iret ad templum Hierusalem: regnat 22. annis, & moritur malè.

Nadab filius Ieroboam incœpit regnare anno 2. Asa Regis Iudæ, duobus tantùm annis regnat, perseuerans in patris idololatria, occiditur.

Baasa

Reges Iuda.

fuit Deo gratus, abstulit armis à Baasa Tribum Nephtalim, vicit Æthiopes, regnat 41.annis.

Iosaphat filius Asa vir sanctus, Legis Doctores per totum misit regnum, vt populum instrueret: in præmium pietatis fuit fortunatus, regnat viginti quinque annis, & benè moritur.

Ioram filius Iosaphat filiæ Achab nuptus, vxoris arte efficitur idololatra, fratres occidit; & cùm regnasset 8. annis malè moritur.

Ochosias filius Ioram vno tantùm regnat anno, mater eius Athalia filia Amri Regis Israël omnes consanguineos Regum Iuda occidit; solo Ioas Ochosiæ filio Iosabæ sororis beneficio euadente.

Athalia regnum tyrannicè vsurpatum septem annis moderatur;his enim elapsis occiditur mandato Ioiadæ Pontificis.

Ioas filius Ochosiæ 17. ætatis anno cœpit regnare, & 40. annis regnauit, benè

Reges Israël.

Baasa filius Ahiæ de domo Issachar interfector Nadab incœpit regnare anno 3. Asa, contra quem bellum gessit, viuit, & regnat in idololatria 24. annis.

Ela filius Baasa patri succedit, regnat malè 2. annis, & occiditur.

Zamri interfector Ela septem tantùm regnat diebus; & malè viuens se combussit, vt inimicos effugeret.

Amri idololatra incœpit solus regnare 31. anno Regis Asa, cùm regnasset 4 annis cum competitore Thebni, moritur.

Achab filius Amri regnat 22.annis,nubet Iesabel filiæ Ethbaal Regis Sidoniorum; seruiuit Baal, sanctos Patriarchas nostros Eliam & Eliseum persequitur, pessimè vixit, pessimè moritur vulneratus in prælio cōtra Syros.

Ochosias filius Achab patris impietatem imitatus regnat duobus annis, & malè moritut.

Ioram frater Ochosiæ etiam

Reges Iuda.

benè incœpit consiliis Ioiadæ; sed malè finiuit,à suis occisus.

Amasias filius Ioas incœpit regnare anno 2.Ioas Regis Israël, percussit Idumæos, cœpit Ciuitatem Petram; sed bellum gerens contra Regem Israël, ab ipso debellatur, & capitur capta Hierusalem; eius tempore moritur S. P. Eliseus, & Ionas vadit in Niniuem: regnat 29. annis.

Azarias, siue Osias filius Amasiæ, licèt benè viueret non tamen idololatriam impediuit; vnde in pœnam lepra laborauit; & sic regni administrationem filio Ioatham reliquit, & moritur, cùm regnasset annis 52.

Ioatham filius Osiæ incœpit regnare anno 2. Phacee Regis Israël, fuit Rex optimus, 16. annis regnauit, & vixit 41.

Achaz filius Ioatham fuit idololatra, à Rasin Rege Syriæ,& Phacee Rege Israël debellatur, sed missis templi thesauris

Te

Reges Israël.

etiam idololatra, cùm duodecim regnasset annis, occiditur cum impia matre sua Iezabel à Iehu.

Iehu filius Iosaphat filij Namsi, Dei mandato à discipulo S. P. Elisei Rex vnctus, benè cœpit occidens Sacerdotes Baal; sed cùm regnasset 28. annis, malè finiuit.

Ioachas filius Iehu in idololatriæ pœnam à Regis Syriæ oppressus regnat 17. annis.

Ioas filius Ioachas 16. annis malè regnat & malè moritur.

Ieroboam filius Ioas malè regnat 41.annis,& malè moritur.

Zacharias filius Ieroboam 6. regni mense occiditur.

Sellum occisor Zachariæ 1. regni mense occiditur.

Manachem occisor Sellum auxilio Phul Regis Assyriorum regnum inuadit cúmque idololatra 10. annis regnasset malè moritur.

Phaceia filius Manahem

Rex

Reges Iuda.	*Reges Israël.*
Teglar Phalassar Regi Assyriorum, ipsum contra Syros adduxit; cúmque regnasset 16. annis moritur.	Rex idololatra regnat duobus annis,& occiditur.
Ezechias filius Achaz Rex optimus incœpit regnare anno 3. Osee Regis Israël,Deo gratissimus veram religionem restituit, à Sēnacherib Assyriorū Rege vexatur;sed occisis 180. millibus hostium liberatur; cúmque regnasset 29. annis,moritur plenus meritis.	Phacee filius Romeliæ occisor Phaceiæ item idololatra 20. annis regnat, à rege Assyriæ Teglar Phalassar debellatur; captis Galileæ, Galaad, & aliis prouinciis; ac translatis earum incolis;& occiditur. Osee filius Ela occisor Phacee 9. annis regnat,ab Assyriorum Rege Salmanassar superatur, & populus in Assyrios transfertur finito regno Israël.

Manasses filius Ezechiæ vir duodecim erat annorum; cùm regnum Iuda, tunc in terra promissionis vnicum, cœpit regere; in principio non patrem sanctum, sed gentiles imitatus idola colit; vnde ab Assyriis Deo vlciscente captus in Babylonem defertur, vbi suorum scelerum pœnitentiam agens veniam meruit,& ad regnum remissus regnat 55. annis.

Amon filius Manasses ætate 22. annorum patri succedit, fit idololatra; & cùm regnasset 2.annis, à suis occiditur.

Iosias filius eius,cùm esset 8. annorum,regnum suscipit; deleta idololatria veram religionem restituit, & 31. annis regnat.

Ioachaz filius Iosiæ, in pœnam idololatriæ,post tertium regni mensem,à Pharaone Necao superatus,regno priuatur; & captiuus in Ægyptum ducitur.

Ioakim filius Iosiæ, qui priùs dicebatur Eliacus,mu-

tato nomine à Pharaone Rex conſtituitur, 11. annis regnat,& à Nabuchodonoſor captus in Babylonem adducitur.

Ioachim, ſiue Iechonias filius Ioakim Rex creatur; ſed cùm eſſet idololatra, breui in pœnam criminis ab eodem Nabuchodonoſor captiuus in Babylonem adducitur; verum elapſo 37. anno ab Euilmerodath Rege Babylonis iterum ſublimatur.

Sedecias patruus Iechoniæ filius Ioſiæ, mutato Matthaniæ nomine, Rex creatur; cùm idololatra eſſet, & à Rege Babylonis defeciſſet, ab eo captus & excæcatus, occiſis prius eius filiis, ducitur in Babylonem vinculis onuſtus, & tranſlato penè vniuerſo populo defecit regnum Iuda: relicto tamen Godolia filio Ahican Gubernatore Iudææ.

Tranſactis 70. annis captiuitatis, Zorobabel filius Salathiel filij Iechoniæ populum reduxit in Iudeam, vt dictum eſt ſub Regibus Perſarum; vbi principatum dicitur tenuiſſe 32. annis. Huic dant ſucceſſorem Reſa Meſulam filium qui gubernat 46. annis. Poſtea ſequitur Ioannes filius Reſa & 40. annis principatum habet. Deinde Iudas nomine Hyrcanus 14. Ioſeph 7. Semei 11. Mathathias cognomento Eli 12. Moath. 9. Nanges 10. Helli 8. Nahum 7. Amos cognomento Sirach 14. Mathathias cognomento Siloach 10. Ioſeph filius Tobiæ, & filiæ ſummi Sacerdotis Oniæ 60. tandem Ioannes Hyrcanus filius Ioſeph vltimus Princeps domus Iechoniæ 17. Hic cùm Regum Syriæ vexationes ferre non poſſet, ſeipſum occidit.

Elapſis interregni 80. annis ſurrexit Mathathias filius Ioannis filij Simeonis, Sacerdos ex filiis Ioarib zelo plenus, qui reſiſtens mandato Anthiochi Epiphanis Regis Syriæ, populum ad legem Dei ſeruandam animauit: cúmque vno anno principatum tenuiſſet moritur in ciuitate Modin.

Iudas

Iudas Machabeus filius Mathathiæ, consilio patris communi applausu Dux & Princeps eligitur, sæpe Regis Syriæ exercitus debellat, fœdus cum Romanis init; tandem in prælio contra Bachidem occiditur meritis gloriosus.

Ionathas frater eius, & successor ab Alexandro Epiphane fit summus Sacerdos; sicque populum Israël, tam in spiritualibus, quàm temporalibus regit: magnam Iudeæ partem recuperat, templum Dagon apud Philistiim comburit, tandem proditione Tryphon capitur Ptholemaïdæ, cùm rexisset 18. annis.

Simon frater Iudæ, & Ionathæ, in Ducatu, & in summo Sacerdotio succedit, Gazam capit, fœdus renouat cum Romanis, init cum Antiocho Sedete: tandem post octauum Ducatus annum impia proditione à Ptholomæo proprio genero in conuiuio occiditur.

Ioannes Hyrcanus filius Simonis, patri in vtraque dignitate succedit, destruit templum Garizim apud Samaritanos, post quadragesimum Ducatus annum moritur.

Aristobulus Ioannis Hyrcani primogenitus, nomen Regis assumit anno 481. post reditum à Babylonica captiuitate; fuit etiam summus Sacerdos, Antigonum fratrem occidit; alios fratres cum matre vinculis tradit; acquisita Iturea moritur 1. regni anno.

Alexander Iamneus, auxilio Salome vxoris Aristobuli è carcere liberatus, fratri in regno & summo Sacerdotio succedit: fuit Iudeis inuisus; vnde multa rebellium millia occidit, plures capit ciuitates: & cùm regnasset 27. annos moritur. Huic succedit Alexandra eius vidua, quæ regnum in summa pace nouem annis obtinet.

Hyrcanus filius Iamnei, patri & matri succedens, tertio mense à fratre Aristobulo, è throno & sede Pontificia exturbatur; hæc fratrum discordia Romanos ad

conquirendam Palæstinam adduxit; Iulius Cæsar fauebat Aristobulo, Pompeius Hyrcano Aristob,ulus à partialibus Pompei veneno perimitur, eiúsque filius Alexander capite plectitur; Hyrcano restituitur summum Sacerdotium; sed Antipater fit Procurator Iudeæ, cui veneno morienti Herodes filius succedit, donec adueniēte Pacoro Rege Parthorum Antigonus filius Aristobuli throno restituitur: sed ab Herode Idumeo, qui à Romanis Rex fuerat electus, debellatur & occiditur.

Herodes regno potitus templum reædificat, consilium Sanhedrin dissipat; huius tempore Christus nascitur, quem indiscreta Innocentium cæde voluit extinguere: fuit crudelissimus; nam aliquos ex propriis filiis, suámque occidit vxorem; cúmque regnasset 34. annos, miserrima morte perit.

Archelaus filius Herodis patris testamento regnum assumit, Antipas eius frater fit Tetrarca Galileæ, & Philippus alter frater fit Tetrarca Trachonitidis. Archelaus post decem annos regni ad querelas Iudæorum mittitur à Romanis in exilium Viennam in Gallia, sicut Antipas missus fuit in exilium Lugdunum in eadem Gallia: hic fuit ille Herodes qui S. Ioannem Baptistam decollauit & Christum irrisit.

Tunc regnum Palæstinæ Romanis imperantibus subiacebat; cúmque Iudæi rebellassent, à Vespasiano & Tito iterum subiugati, ac pene deleti sunt, innumerabilibus occisis, aliísque inde dispersis; Sícque vsque ad tempora Heraclij perseuerauit, tunc enim sub Omar Calipha ab Arabibus inuaditur anno Christi 637. & seruatur vsque ad annum 1099. tunc enim aduenientibus ex Europa Christianis idem regnum Mahometanis eripitur.

Godifredus Bullioneus, captâ Hierusalem, anno Christi 1099. Rex communi applausu declaratur, propter eximia eius facinora, sed renuit corona aurea in ea

ciuitate

ciuitate coronari, in qua Christus Dominus corona spinea fuerat coronatus, moritur anno Christi 1100. regni vnico.

Balduinus Princeps Edesse fratri succedit, hic capit insignes Ciuitates, Ptholemaidam, Tripolim, Sidonem, Berithum, & alias; moritur anno Christi 1118. regni 18.

Balduinus II. duplici prælio Gazis Sultanum Damasci prope Antiochiam superat, sed ipse postea prope Edessam captus est: è captiuitate post 18. menses liber, moritur anno Christi 1131. regni 13.

Fulco Andegauensis, ab aliis dictus Polacus, ad regnum assumptus bellum ciuile sedat Turcas è finibus Antiochiæ pellit; moritur anno Christi 1142. regni 12.

Balduinus III. eius filius, capit Ascalonem, Noradinum debellat; & moritur anno Christi 1162. regni 21.

Almericus filius Fulconis, & frater Balduini Sultanum Ægypti tributarium facit, capit Tamiatem; & moritur anno Christi 1173. regni 2.

Balduinus IV. Almerici filius adhuc iuuenis patri succedit, sub tutela Raymundi Comitis Tripolitani; cúmque lepra laboraret, noluit nubere; & moriturus nepotem suum ex Sybilla sorore filium Guillelmi Marchionis Montis Ferrati regni hæredem, & suum successorem declarat; moritur anno Christi 1185. regni 12.

Balduinus V. nepos Balduini IV. adhuc iuuenis regnum capescit, sub tutela Comitis Tripolitani, octauo regni mense moritur veneno à propria matre regni auida, vt creditur, ipsi dato.

Guido de Lusignano Comes Ioppe Sybillæ maritus, Templariis fauentibus priuigno sufficitur; quod indignè ferens Raymundus Comes Tripolitanus, cum Saladino Calipha Ægypti fœdus init, ex quo regnum Christianorum capto Guidone pene dissipatum est;



LIBER QVINTVS ITINERARII

In quo

Christianorum Orientalium mores referuntur.

CAPVT PRIMVM.

De Coloniis, ac dominio Lusitanorum in Oriente.



VAMVIS Lusitani non indigenæ, sed aduenæ sint in Oriente: quia tamen plures ibi colonias possident, & imperant multis gentilium locis Catholicam fidem prædicantes; ideò inter Christianos orientales primi numerandi sunt.

Prima dignitate Colonia, cui aliæ omnes subordinantur ac obediunt, est Goana Ciuitas: capta fuit hæc ciuitas die sanctæ Catharinæ martyris, ac propterea constructo in eius honorem Archiepiscopali templo magnifico, illam vt Patronam & protectricem venerantur. Locus etiam, in quo naui exeuntes Lusitani Ciuitatem ingressi sunt, etiam nunc dicitur littus sanctæ Catharinæ; hanc cœpit Alphonsus D'Alburquerque anno Domini 1508.

Idem Lusitanorum Dux cœpit Ormusium, quod an-

nis præteritis fuit florentiſſimum Orientis emporium, vt ſupra dictum eſt: hæc ciuitas Ormuſina erat curia Regis ab illa ciuitate dicti Ormuſini, qui latè in Sinu Perſico ſuum dilatabat regnum; plurimæ enim illius maris inſulæ, & longus maritimæ partis tractus illi ſubdebantur. Poſtquam à Luſitanis captum fuit ex compoſitione Ormuſium, Rex ſuam ibi tenebat Curiam, ac plurimùm habebat authoritatis; quamuis Ciuitatis regimen, & arcis cuſtodia, ac iuſtitiæ adminiſtratio ad Luſitanos pertineret: ibi Dux ciuitatis magno apparatu cum timpano, & tubis in publicum apparere tenebatur; quod etiam hodie in tribus aliis principalioribus arcibus, ſcilicet Diuienſi, Moçambici, & Malaccæ obſeruatur: dimidium vectigalis & redituum Regi Ormuſino dabatur, venit vnus ex illis Regibus Goam, ibíque aliquandiu manens, vt Mahometanis mos eſt, cum multis nefandum commiſit peccatum; propterea iubente Prorege (qui tunc erat Dominus Frater Alexius de Menezes ex Ordine ſancti Auguſtini, Archiepiſcopus etiam Goënſis poſtea Braccarenſis) captus in carcerem coniicitur, factóque proceſſu ad mortem damnatus capite plexus eſt: ſed ô mira Diuinæ prædeſtinationis efficacia! quæ permiſſione illorum ſcelerum vſa eſt, vt Rex ille Mahometanus efficaciter ad fidem vocaretur, vocatus in ipſo inſtanti antequam finiret vitam iuſtificaretur, iuſtificatus vitam conſequeretur æternam: accidit enim, vt Rex ille ad cognitam fidem Chriſti in carcere alliceretur; ibíque idoneos ac pios ſuæ inſtructionis magiſtros aſſumeret: noluit tamen ante baptiſari, quàm ad Theatrum publicum, in quo capite plectendus erat perueniſſet: ita factum eſt, educitur è carcere, deducitur ad locum ſupplicij, ſolemni ritu cum omnium exultatione ſpirituali de conuerſione eius, ac lachrymis de eius morte, baptiſatus eſt, ac immediatè capite plexus, rectò in cœlum tramite perue-

niſſe

nisse piè iudicatur. Captum tandem fuit Ormusium à Persarum exercitu, captúsque Rex in Persidem delatus, captiuus Syrasi detinetur; adhuc superest Princeps illius prosapiæ, qui Curiati prope Mascatum manet; ipsum verò Ormusium penè desolatum est.

Ipsemet Alphonsus cœpit Malaccam, ditissimum etiam Orientis emporium, ac in optimo situ constitutum; est enim in media inter Indiam & Chinam via, oppositam habens Insulam Sumatram, vbi est fretum maris angustissimum, cuius ostium est ipsa Ciuitas: vnde prope nauigare tenentur, quicunque ex India Chinam petunt, vel nauigationem plurimùm dilatare coguntur inter Sumatram & Iauam Insulas, vel vltra Iauam nauigando. Malacca est parua ciuitas, sed fortissima; sæpe à Batauis in vanum obsessa; hanc enim ob situs commoditatem maximè expetunt: sæpe etiam à Rege Achem, tanquam sui caput Imperij, impugnata; sed nunquam fuit expugnata, de illa impugnatione infra aliquid dicetur: nuper tandem à Batauis capta dicitur.

Post Malaccam est ciuitas Diuiensis iam descripta: hanc non vi & armis çœperunt Lusitani; sed illam conuentione facta incolæ Lusitanis dederunt: vnde Gentiles partem interiorem ciuitatis obtinent, suósque ritus publicè obseruant; non tamen templa condere, aut vetustate labentia reficere possunt: ibi est dux Gentilium, qui ab ipso Duce Lusitano in honore habetur: Mahometani etiam ibi habitant, suúmque obtinent Ducem, sicut & Iudæi quibus omnibus propria templa conceduntur Inter Diuiensem ciuitatem & Goam est ciuitas Daman, fortis admodùm, vi capta à Lusitanis; deinde sequitur Bassainum, Tana, aliáque oppida: postremo est Chaulum, in quo est castrum fortissimum, ac pene inaccessibile, præter intentionem miraculosè ab ipsis captum Lusitanis: contigit enim, vt quadam die Lusitani

Chaulo

Chaulo exirent, vt contra hoſtes continuò ex hac arce excurrentes pugnarent; totam noctem in mundanda per confeſſionem conſcientia inſumpſerunt: ſummo mane audita Miſſa, ſacráque refecti communione; ad prælium procedunt, hoſtes ex arce Elephantem armatum ad illos dimittunt; ſed mira Dei prouidentia votis Luſitanorum obſecundante, in ipſo oſtiò Elephas interficitur, impedítque ne oſtium recludi poſſit; ac ita Luſitani vlterius progredientes caſtrum animosè ingrediuntur, præſidium expugnant, ac celeberrima perfruuntur victoria; huius victoriæ memoriá quotannis initio menſis Septembris ſolemniter in ciuitate Goenſi, ac alibi, vt credo, per totam Indiam celebratur.

A ciuitate Goa versùs Auſtrum vſque Malaccam, præter multa oppida, vt Onor Cranganor, Corlan, Manar, aliáque; ſunt duæ ciuitates, ſcilicet Cochinum citra promontorium Comorynum, ciuitas Epiſcopalis ſatis ampla: hanc Rex illius Prouinciæ Luſitanis ædificandam propoſuit, cámque ſingulari proſequitur amore: vltra verò promontorium eſt Meliapor, dicta vulgò ciuitas Sancti Thomæ, quia ibi Sanctus ille Apoſtolus martyrio coronatus eſt.

In ditione orientali Luſitanorum; eſt caſtrum ac oppidum Moçambicum in parte Africæ; quæ reſpicit Inſulam ſancti Laurentij, ibi eſt Dux ſiue Gubernator ex quatuor præcipuis Indiæ, tum dignitate, tum vtilitate; breui enim mercibus ibi comparatis, quæ in auro puro ibi in Africa nato, in Ebore, ac Ebano conſiſtunt, plurimùm ditantur. Hoc caſtrum fuit à Batauis aliquandò obſeſſum, ſed Luſitani auxilio Æthiopum ſibi addictiſſimorum freti fortiter reſtiterunt. Mirum eſt, qua erga ſuos Dominos hi Æthiopes polleant fidelitate; nam contra ſuos conſanguineos & affines, pro ſuis pugnant Dominis; imò ad eorum nutum quemlibet occidunt: qui autem fidem Chriſti amplectuntur, optimi & conſtãtes

ſunt

ſunt Chriſtiani, contra naturam Indorum; qui facilè conuertuntur;ſed iterùm facilè peruertuntur;ſunt amiciſſimi muſicæ ac Choræarum,vnde ſemper præ manibus aliquod habent inſtrumentum muſicum:vnum vidi ex lignis ſemiuſtis compoſitum, ſubtus vacuas habens cucurbitas, quod percuſſum baculo, in cuius fine erat neruus Elephantis quaſi globus, intenſiſſimum ac gratum auribus edebat ſonum: quatuor talia erant inſtrumenta,iuxta quatuor muſicæ partes,vnum enim ſonum edebat acutum aliud grauem,alia duo alios ſonos Vltra Moçambicum ad interiores Africæ partes eſt caſtellum Sofalæ, ad quod, ſicut & ad alia oppida, per flumina Quamæ peruenitur:ibi eſt Regio, vbi aurum puriſſimũ inuenitur:licèt autem aër ſit peſſimus, & aquæ inſalubres;auri tamen affectu multi illuc proficiſcuntur,iuxta illud Poëtæ; *Quò non mortalia pectora cogit auri ſacra fames?* Ibi etiam ob infinitam Elephantum multitudinem eſt maxima Eboris copia, nemoráque Ebani.

In eadem Africæ parte versùs Orientem occurrit Regnum Melindi,cuius Rex benignè Luſitanos ex Europa in Indias proficiſcentes, in prima eorum nauigatione ſuſcepit, eíſque vlterioris nauigationis Duces vltrò ſubminiſtrauit: illuc etiam Luſitanorum dominiũ pertingit. Poſt Melindi eſt ciuitas Mombaſſa, accedens ad mare rubrum,cuius Rex eoſdem Luſitanos illuc primò accedentes facta proditione perdere tentauit; quapropter illum poſtea debellantes Regno exſpoliarunt, illúdque ſuo hoſpiti beneuolo Regi Melindi ob benignam illam hoſpitalitatem conceſſerunt, illúdque diu poſſederunt: donec anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo Rex Mombaſſæ in fidem Chriſti à pueritia conuerſus, Gubernatorum tamen iniuriis irritatus expulit Luſitanos, fidémque Chriſti reliquit: factâ enim proditione quadam die multis ex ſuis ſtipatus, caſtrum parum munitum ingreſſus, Gubernatorem confodit, deinde alios

Luſita-

Lusitanos præcipuè aliquos Patres sancti Augustini, apud quos iuuenis in fide Christi fuerat educatus, tum furore in gentem Lusitanam concepto, tum Christianæ Religionis odio crudeliter enecauit: tandem mulieres Christianas assumens, quia fidem Christi constanter profidebantur, nec Mahometanam amplecti suadebantur, immaniter trucidauit: Dux illarum erat Natalia de Saa, matrona admodum generosa, quæ efficacibus suis exhortationibus omnes alias ad martyrium incitauit: ô fœlix corona martyrum, qui illius perfidi Regis furore enecati, ex illis Mahometanorum terris simul in cœlum euolastis! Occisis multis, aliisque paucis fugientibus Lusitanis, castrum qua potuit diligentia muniuit; sed postquam semel classi Lusitanorum restitisset, timens ne in eorum manus deueniret; denegato, quod à Mechana ciuitate poposcerat, auxilio castrum Lusitanis liberum reliquit, aufugiens ad terras Mahometanas, secum Christianam circumducendo vxorem,quam longo martyrio paulatim consumebat.

Insula Ceylam, vt dictum est, Lusitanorum vt plurimùm,maximè in parte maritima subditur ditioni:multos habent portus in terris infidelium; vbi procuratorem habent commercij causa: vnde & ad Insulas Moluccas, & sancti Laurentij, Sumatram, & Iauam, & Iaponensem nauigant: sed iam ad hanc vltimam non pertingunt; sed ad aliam proximam: iam enim à multo tempore cogebantur mercatores omnes, quos secum deduxerant, iterum reducere, ne ita aliqui Religiosi conuersionis causa in Insula remanerent: cui rei maximam adhibebant diligentiam; & si fraudem ibi reperissent, eorum merces fisco addicebant;sed nunc quia vnus fidem Christi negans Regi suasit, ne quidem illuc accedere permitteret Lusitanos, ad paruam Insulam Iaponiæ proximam veniunt; vbi pecunias pro mercibus emendis soluunt; ibique asportatas merces recipiunt.

Ille

Ille apostata omnes, qui erant in Insula, Christianos Regi manifestauit: quapropter multi martyrio coronati sunt, suasítque Regi, ne in suo Regno permitteret fieri Cruces optimè elaboratas illic fieri solitas, nec pro hostiis Scatulas, aut pulpita pro altari, nec alia diuino cultui deseruientia: imò, quod si de aliquo suspicaretur, an esset Christianus, iuberet illum pedibus conculcare Crucifixum, asseuerans illum nequaquam id facturum, si fuerit Christianus. En Diabolica hominis consilia; sed vtinam scandalosus hic lapsus ad gloriosius resurgendum; imò ad subeundum martyrium, quod pene in carcere prægustauerat, ex Diuina bonitate ei deseruiat: vxorem duxit, Curiámque sequitur. Contigit autem, vt quatuor Patres Dominicani causâ fidei ibidem comprehenderentur, quorum vnus erat Auenionensis nomine Guillelmus Cortet: Præses illorum, dum ante Iudicem sisterent condemnandi (glorioso enim martyrio occubuerunt) astantes sciscitatus est; num iter illos est ille, nominans eum proprio nomine; cui responderunt adesse; quem cum aliorum indicatione agnouisset, obtulit ei epistolam ad ipsum directam, zelóque scriptam Apostolico, in qua miserrimus eius lapsus, eiúsque deformitas exprimebatur, ac efficaces ad resurgendum rationes afferebantur: supra verò sic scripta erat; Apostatæ fidei Christianæ, &c.

Hanc cùm ille superscriptionem legisset, mille in vultu mutauit colores: recessit inde, nec amplius ab illis Patribus visus est: hanc historiæ seriem in Indiis publicam, quam etiam hîc Massiliæ & Genuæ audiui, à testibus fide dignis accepi. En status Religionis in Iaponia; non tamen de eius conuersione desperandum est, effusus enim tot sanctorum Martyrum sanguis, quo sæpe ac abundantissimè irrigata est, fidem iterum Christianam maiori impetu & gloria faciet pullulare.

In Sinu Persico sub ditione Lusitanorum continetur

Mascatum, aliáque oppidula, ac munitiunculæ,Curiati, Suar, Corfacan, Leuidia, Daba, Comsa, Cassap,& aliæ nonnullæ : tandem sub eodem dominio est Colonia Chinensis in Ciuitate maritima Macao, quæ lingua nostra interpretatur Ciuitas Dei; hæc Ciuitas est bipartita; pars enim est Chinensium sub suo Gubernatore siue Mandorin; pars altera est Lusitanorum sub Generali Duce; hæc Ciuitas est Regis Chinæ; quamuis Lusitani illius incolæ Tribunalibus & officialibus Lusitanis vtantur: ibi est libertimus Christianæ Religionis vsus, ibi est ordinariè Episcopus, aliique Religiosi ordines: nobis etiam incolæ Lusitani, dum Goæ adhuc essem, Conuentum obtulerunt: quia autem hæc Ciuitas ab Anglis & Batauis obsessa fuit; ideò Rex Chinensis iam de Lusitanorum fidelitate securus, permisit muris circumdari, ac bellicis tormentis muniri.

En dominium temporale Lusitanorum in Indiis orientalibus, ac aliis adiacentibus Regnis : sed valde debilitatum, ac ferè extinctum ad suum tendebat occasum; iam enim continuis Batauorum Piratarum incursionibus commercium penè defecerat : quotidie enim naues Lusitanorum ab illis capiebantur iam aliquas, vt dixi, amiserant colonias: sed iterum Lusitanos sub nouo Lusitano Rege, pace cum Batauis inita, prosperaturos cuncti proclamāt. Lusitani in Indiis plures habent captiuos emptitios & captiuas; quod quidem ex vna parte animarum saluti plurimùm conducit, illi enim ex infidelibus Christiani efficiuntur; ex alia verò parte multorum peccatorum est seminarium, sed hoc transeunter dixerim de statu temporali.

Quod attinet ad statum Ecclesiasticum : in India est Archiepiscopus Goënsis, ac quatuor Episcopi, scilicet Cochinensis qui mortuo Archiepiscopo totius Archiepiscopatus Apostolicus est Gubernator.Deinde est Episcopus Meliapor siue ciuitatis sancti Thomæ. Tertius

est

est Episcopus Malaceæ. Quartus Chinensis; licèt hi duo aliquando confundantur in vnum. Est insuper Archiepiscopus Christianorum sancti Thomæ qui Cranganori propè Cochinum manet. Quando eram Goæ, ibi erat Patriarcha Æthyopiæ Dominus Alphonsus Mandez, ex Societate Iesu assumptus, vir doctissimus, qui multùm in Æthiopia pro animarum salute laborans, multa passus, ac tandem expulsus fuit. Erat etiam Dominus Ioannes de Rocha ex eadem Societate Episcopus Hierapolis, vir item doctissimus: horum mentionem feci, quia me sua dignabantur amicitia. Religiosi Ordines in India sunt hi sequentes, scilicet fratrum Minorum de obseruantia, qui primi omnium in vinea Domini ibi laborauerunt, ex quibus prodierunt Recollecti: primi habent vnam prouinciam sub titulo sancti Thomæ, cum aliquot Conuentibus, multísque residentiis; alij etiam suam habent sub titulo Matris Dei. Post Patres sancti Francisci Indias petierunt Patres Dominicani, qui aliquot Conuentus sub vno Vicario Generali habent. Tertio ordine succedunt Patres Societatis, qui duas prouincias, Goënsem & Cochinensem, cum multis Collegiis, & residentiis habent: olim etiam habebant Iaponensem. Succedunt Patres sancti Augustini, qui sub vno Vicario Prouinciali congregationem habent. Vltimo alios sequimur Ordine, qui Goæ duos Conuentus eximios, vnum in Ciuitate Diuiensi, & alium Moçambici habemus, hactenus alios in Indiis non admisimus, vltrò etiam oblatos: Moscati enim, Bassaini, in China, & in Insula Cheilam magna ad fundandum sollicitabamur instantia: sed tum prohibitio Regis Catholici erga omnes Religiosos de non fundandis nouis monasteriis; tum nostrorum decreta Superiorum, qui paucos tantùm Conuentus, ad solatium & subsidium aliarum missionum, in indiis volunt; nos à fundandis monasteriis continuerunt: hi nostri

P Conuen

Conuentus Indici, ſicut & aliæ reſidentiæ, ſub Vicarij Prouincialis in Perſide commorantis regimine continentur. Omnes Religioſi illic ſtrenuè in conuerſione & ſalute animarum laborant, Eccleſiámque nouis quotidie fidelibus fœcundant, cœlóſque Martyribus implent.

CAPVT II.

De Regimine Luſitanorum in Oriente.

QVantùm ad Regimen temporale attinet; Luſitani in Indiis habent Proregem, vel Gubernatorem: Prorex venit à Luſitania Gubernator in Indiis nominatur: hi ſummam habent authoritatem; omnia enim officia ad libitum diſtribuunt, ſi in Luſitania non ſint conceſſa; ab officiis poſſunt ſuſpendere, quacumque pœna etiam capitis delinquentes punire: denique, vt vno verbo concludam, omnia licent: Cùm enim tanta inter ipſum Regem & illos ſit diſtantia, quandò querelæ de ipſis in Luſitaniam perueniunt, iam ad dimidium ſui Gubernij peruenerunt, & abſoluerunt quandò propter querelas amouendi eſſent; quamuis aliqui pœna carceris, aliíſque poſt reditum fuerint mulctati.

Quando de nouo Prorex venit, multi obuiam procedunt Nobiles, eúmque è naui in Conuentum Regum Magorum ordinis ſancti Franciſci deducunt, ibique hoſpitatur; donec Prorex cuius officium expirat, ad eum die ſequenti veniat, magna nobilium aliorúmque ſtipante caterua: venit autem in Triremi multis præcedentibus militum turmis; cùm ad Eccleſiam peruenit, primò genuflectit in pulpito ad hanc ceremoniam præparato: deinde in Cathedra ſedet, expectans aduentum noui Proregis, qui interim à Secretario Status, ac Procuratore Regio euocatur. Cùm venit, præmiſſis

vrba

vrbanitatis ac beneuolentiæ signis, tradit Secretario suas patentes, quibus à Rege in tale officium eligitur: has alta & clara voce Secretarius legit, iísque lectis statim Prorex qui officio expirat, cedit loco Proregi nouo; deinde omnes ciuitates, ac præcipuè munitiones, & castella; Galliones; Triremes, aliáque similia, legente Secretario, ei committit, quasi rationem reddens rerum, quæ sibi in tali ceremonia fuerant commissæ. His factis, alterúmque salutans, eodem comitatu stipatus recedit, sibíque extra ciuitatem, suísque domum præparat, Ordinariè autem, recedente Prorege, in eodem Conuentu se recipit per quatuor aut quinque menses, donec nauigandi in Lusitaniam tempus aduenerit.

Postquam nouus Prorex in illo Conuentu aliquandiu mansit, pergit ad domum Pangi commodiorem: ibíque tandiu expectat, donec omnia ad solemnem eius in ciuitatem ingressum necessaria sint parata: ornant enim vicos per quos trāsiturus est, aliquos arcus triumphales efficiunt, orationem præparant, aliáque ad solemnitatem conducentia: postquam dies ad ingressum designatus aduenit, ipse multis nobilibus comitatus, triremi vectus ad littus ciuitatis accedit, Triremi exiens à Consulibus sub Baldachino recipitur, statímque veniens orator, multa ad eius laudem, ad Ciuitatis commendationem, aliáque huiusmodi edisserit; tunc ei Ciuitatis claues offeruntur; deinde recta ad Ecclesiam Cathedralem deducitur, ibíque ab Archiepiscopo totóque Clero solemniter admittitur; ad altare maius accedens, oblato Euangeliorum libro, multa se obseruaturum iurat; his tandem finitis ad suum palatium magno pergit comitatu.

Quandiu Prorex in ciuitate manet, nullus cum eo potest comedere; quandò autem foras proficiscitur, ad suam mensam Nobiles admittit; tenetur autem ad por-

tum proficiſci, quoties aliqua claſſis maritima dimittenda eſt: coram ipſo ſiquidem milites in libro ſcripti nominantur; vt appareat ſi quis deſit, & ſæpe ſuſpendio necantur, maximè ſi bis aut ter acciderit: hoc ſaltem obſtat, ne in aliquod officium aſſumantur; cùm enim de aliquo promouendo agitur, ſtatim hi libri peruoluuntur; quandò Prorex ad claſſem dimittendam ad portum proficiſcitur, ad ſuos ſumptus ex ærario Regio ſubminiſtratur.

Si Prorex in ſuo triennio moriatur, (ordinariè enim per triennium tantùm durant; aliquando tamen confirmantur,) aperiuntur patentes Regiæ, quas Vias vocant, ad hoc cuſtoditæ. In Conuentu ſancti Franciſci eſt ærarium Regium, locúſque ſecretus, vbi quotannis patentes Regiæ reconduntur: tres ſunt huiuſmodi patentes ſigillatæ intra velum ſericum, ac ponuntur in ſcrinio trium clauium, quarum vnam habet Secretarius, ſecundam Cancellarius, tertiam Adminiſtrator gazæ Regiæ. In qualibet autem ex his patentibus eſt ſcriptus vnus vel plures, qui à Rege in Gubernium Indiæ aſſumuntur. Igitur delato Prorege mortuo, ad Eccleſiam in qua ſepeliendus eſt, ac in medio Eccleſiæ collocato, omnes Nobiles Conſiliarij Status, Senatores, Archiepiſcopus, ac penè tota Ciuitas illuc conueniunt, affertur ſcriniolum in quo patentes ſunt reconditæ, aperitur coram omnibus; educitur prima, vt dicunt, Via; à Secretario legitur: ſi qui in ea ſcriptus eſt, viuit & ſit in India, ſtatim vt Gubernator promulgatur & admittitur: ſi autem, vel diſceſſerit, vel mortuus fuerit, ad alias legendas ſuo ordine procedunt, præferendo ſemper recentiores: cùm ſemel huic ceremoniæ interfui, ſex Viæ apertæ ſunt.

Prorex ſuos habet à Rege determinatos ſtatus Conſiliarios (quorum primus eſt Archiepiſcopus) qui eum ad ſtatum optimè regendum adiuuant: ſunt etiam à

Rege

Rege prouisi aliqui Duces generales, vt prouincias à Goa dissitas gubernent. Primus omnium est Insulæ Ceylam; secundus est sinus Persici; deinde Chinensis, Malaccæ, & sancti Thomæ; hi habent turmas militum & classes maritimas, quibus commissas sibi prouincias custodiunt. Præterea est Dux Generalis Gallionum, quos propter Batauos & Anglos armauerant: sed vno mense, antequam Goâ discederem, die S. Hieronymi anno millesimo sexcentesimo trigesimo nono à Batauis combusti sunt: id fortè Deo permittente, quia mutato Lusitaniæ statu, ac pace cum Batauis inita, non erant ampliùs necessarij. Insuper est Classis Septentrionalis, Classis Diuisiensis, & Classis meridionalis; constantes quindecim & ampliùs nauigiis ad piratas debellandos. Vt autem milites alacrius spe præmij Regi deseruiant, postquam per aliquot annos, vel in mari, vel in terra militarunt, authenticum de his à suo Duce postulant instrumentum, in quo apparet quantùm seruierint, quibus in occasionibus pugnauerint, quid mirabile fecerint; deinde illud proferunt consilio Goënsi, quod proportionatum meritis adiudicat præmium; habita tamen ratione personæ, plus enim nobili cæteris paribus datur, quàm alteri; & sic isti hoc officium vel Iudicis vel Ducis, alteri aliud decernitur: deinde hæc ita consultata in Lusitaniam mittuntur, vbi ordinariè à Rege confirmantur.

Tandem ad negotia iuris expedienda, præter Auditores, qui in singulis resident vrbibus, ac oppidis; est Goæ Parlamentum siue Caria maior, quam vocant Desembargo, in qua sunt sex vel octo Senatores, quos Desembargadores vocant: hæc Curia plenariam, tam in ciuilibus, quàm in criminalibus habet iurisdictionem in omnes, exceptis Nobilibus, quorum causæ criminales in Regno Lusitaniæ deciduntur: caput huius Senatus, cui sæpe Protex assistit, est Cancellarius, deinde alij

Senatores alia exercent officia; vnus quidem eſt Auditor generalis in criminalibus, ſecundus eſt Auditor generalis in ciuilibus, tertius eſt Procurator Regius ſiue Coronæ, alius denique eſt prouiſor defunctorum, ad quem pertinet teſtamenta approbare, & omnia decidere ad defunctos ſpectantia.

Quantùm verò ad Regimen ſpirituale attinet & Eccleſiaſticum; non communia, ſed tantùm quæ ibi vidi ſingularia referam. Et primò Rex per ſuos miniſtros colligit decimas; cùm enim magna pars ſubditorum ſit Gentilis, faciliùs id exequuntur Miniſtri Regij, quàm Eccleſiaſtici; ipſe verò Rex præbendas ſiue penſiones, quas ordinarias vocant, omnibus ac ſingulis taxatas Eccleſiaſticis perſoluit: Archiepiſcopo Goënſi ſex circiter millia nummorum; Epiſcopo Cochinenſi duo millia quingentos; aliis Epiſcopis mille nummos, Inquiſitoribus octingentos nummos; & ſic proportione ſeruata aliis tum Canonicis, tum Parochis: ac Conuentibus Religioſorum, vt animarum conuerſioni inuigilent; omnibus etiam Religioſis, qui in Indias veniunt, viaticum abundè prouidet: hi ſingulis annis die determinata baptiſant, quos toto anno conuerterunt: Patres Societatis ad hanc ceremoniam diem conuerſionis ſancti Pauli deputarunt, cui tota penè ciuitas, in prima eorum Eccleſia ſancti Pauli præſens aſſiſtit. Omnibus Baptizatis datur à Rege veſtimentum integrum, à quo decretum eſt, vt paruuli Gentilium, ſi careant parentibus, inuitis etiam cognatis, baptizentur. Ad hoc regimen ſpirituale pertinent etiam Congregationes, quas dicunt Miſericordiæ, in ſingulis vrbibus ac oppidis fundatæ: ſibi eligunt vnum prouiſorem, quod officium eſt maximi apud Luſitanos honoris; electio autem fit die Viſitationis B. Virginis, eligitur etiam Secretarius & Theſaurarius; hi tres habent claues Theſauri; multa enim ſemper habent diſpoſita, vel legata pauperibus

erogan

eroganda. Officium huius Congregationis ipso nomimine exprimitur: subuenit enim omnibus miseriis proximi; nam in alendis pauperibus quorum nomina scripta habentur, maximè si sint honesti, multùm expendit, visitat carcere mancipatos, egentes ibi sustentat; si condemnentur, ad supplicium comitatur, eorum corpora siue potiùs ossa è patibulo solemni processione delata, in die commemorationis omnium defunctorum, officio decantato, sepulturæ mandat, alit puellas pauperes in monasterio, ac postea honestis viris nuptas tradit; alia denique huiusmodi misericordiæ, & pietatis officia exequitur.

Denique ad hoc optimum regimen pertinet tribunal sanctæ Inquisitionis, quo Christi Ecclesia purgatur erroribus, & fides maioribus incrementis dilatatur. In eo misericordia primum locum obtinet; peccata enim infidelitatis, & alia ad hoc tribunal pertinentia, etiam enormissima, verè pœnitentibus ac integrè confitentibus prima vice condonantur; solum relapsi, & impœnitentes, ac inconfessi iuxta canones sacros puniuntur: quæ in illo tribunali succedunt, tanto manent sub secreto vt nihil vnquam de iis sciatur, nisi postea quandò culpæ omnium reorum publicè leguntur, & sententia adhibita puniuntur Est igitur in ciuitate Goensi palatium in platea Ecclesiæ maioris amplissimum, vbi Inquisitores habitant, ibíque sunt carceres secretissimi, vbi rei custodiuntur, iuridicè interrogantur; ac processus formantur factis processibus conueniunt Archiepiscopus, Inquisitores, ac Consultores deputati ad ferendam sententiam vnicuique Reo iuxta propria demerita: his ita terminatis, iubent Inquisitores ingens in aliqua Ecclesia, vel platea theatrum excitari, vbi sunt cathedræ pro Inquisitoribus ac deputatis Consultoribus, aliæ separatæ pro Archiepiscopo & Prorege, quando assistunt: in alia theatri extremitate

ſunt ſcamna paulatim inſurgentia pro reis; in plano verò alia ſcamna pro aſſiſtentibus præſertim Religioſis: in medio erigitur altare, in quo tria collocantur miſſalia, in quibus plurimi rei iubentur iurare ſe in eadem crimina non relapſuros: hîc prope eſt pulpitum ad concionem habendam adueniente determinato die, ac in omnibus Eccleſiis intimato (qui ordinariè eſt dies Dominicus, quò plures aſſiſtant) in quo nulla in aliis Eccleſiis habetur concio, ſummo mane ordinatur proceſſio; præeunt Patres ſancti Dominici cum vexillo, in quo ex vna parte eſt Crux, ex alia imago ſancti Petri martyris: Deinde eſt alia Crux à Clericis delata, quam ſequuntur Rei ſuo ordine; ita vt qui leuiores commiſerunt culpas, priores incedant; qui verò graues ſubſequantur: quando procedendum eſt, qui fert vexillum alta voce decantat; *Viuat noſtra ſancta Fides*; alij genuflectentes reſpondent; *Viuat*: ſic proceſſio mouetur, procedunt rei pedibus nudis, ac detecto capite, accenſam præ manibus habentes candelam, ſi Chriſtiani ſint; à latere ſiniſtro aſſiſtit cuilibet quidam vir honeſtus, ab Inquiſitoribus ad id deputatus, miſſo ad eum baculo quem geſtat ſi qui grauiſſimas commiſerint culpas, quibus mortem mereantur; & tamen ob pœnitētiam ac propriam confeſſionem ei remittantur, habitu pœnitentiæ dicto ſancti Benedicti flaui coloris, crucem rubeam ante & retrò, adinſtar crucis ſancti Andreæ, habente; cooperti vſque ad medium corpus incedunt: ſi autem aliqui iam ad ignem damnati, vltimis diebus pœnitendo veniam conſequantur, non crucem in illo habitu, ſed depictas gerit flammas. Poſt hos omnes ſuccedunt mulieres eodem ordine. Si aliqui, vel quia obſtinati, aut inconfeſſi, aut relapſi, brachio ſæculari relaxandi ſunt, geſtant eundem pœnitentiæ habitum, in quo non ſolum flammæ, ſed & vera eorum effigies inter flammas depicta eſt; ſubtus verò crimina, nomen, pa-

tria,

tria,& ſimilia deſcripta ſunt:quòd ſi ſint obſtinati, aut impœnitentes,circa eius effigiem Dæmones depinguntur:poſt eorum mortem hic habitus,ſimul cum aliis, in Eccleſia Sancti Dominici ſuo ordine expanduntur: habent ſemper aſſiſtentem Confeſſarium, qui eos morti diſponat; Deuotiſſimus autem crucifixus ante eos immediatè defertur;vltimò tamen deferuntur oſſa aliquorum comburenda, cum eorum ſtatuis: ſi tali pœna Rei ante ſententiam deceſſerint: Item libri hæretici: & tandem capſa omnium reorum proceſſus continens.

Poſtquam proceſſio partem ciuitatis circuiens,ad locum iudicij peruenit, cunctis proprio loco ſedentibus, incipit concio huic actui proportionata, qua finita aſcendit ſuggeſtum Lector, eíque proceſſus ſigillatim legendi traduntur, eo ordine quo inferius Rei ad gradus altaris adducuntur, vbi adſtantibus & candelam præ manibus accenſam geſtantibus; incipit Lector his verbis: Proceſſus Talis (nomen eius indicans) filij. N.nati in tali loco, qui reus præſens aſtat: poſtea ſummatim legit eius culpas, ac tandem ſententiam contra eos latam promulgat; pro qualitate enim criminis quibuſdam pœna carceris etiam perpetui, aliis pœna triremium, aliis pœna verberis publici citra tamen ſanguinis effuſionem infligitur: alij denique ad opera publica, putà, domus pulueris, damnantur: Omnibus autem iniungitur, vt victus ſui tempore recluſionis expenſas ſoluant; illi autem qui maiora crimina commiſerunt, bonis ſuis fiſco adiudicatis priuantur Quia autem Rei ad numerum centenarium & vltra perueniunt, plures adhibentur Lectores ſibi inuicem ſuccedentes:hic enim actus à ſummo mane vſque ad noctem ordinariè perdurat.

Cùm iam alij omnes expediti ſunt, accedunt illi qui igni adiudicandi ſunt: vnde poſt lectas eorum culpas,

P 5 ſubla

ſublatâ omni emendationis ſpe (quod vel relapſus, vel impœnitentia , vel negata culparum confeſſio demonſtrat) inuocato Chriſti Ieſu nomine brachio ſæculari traduntur ; fitque in fine proteſtatio , quòd Eccleſiaſtici illi Iudices non expetunt eorum mortem : ſed potiùs petunt vt benignè ac piè tractentur:lectis eorum proceſſibus Auditor generalis in criminalibus ; per ſuos lictores eos comprehendit. Tunc aliis Reis ad carceres redeuntibus , vt determinata pœna mulctentur : illi qui brachio ſæculari traditi ſunt , præcedente aliquorum clericorum Litanias B. Virginis pro eo decantantium proceſſione , ad tribunal Senatorum ſæcularium,qui ſtatim congregantur vnà cum Prorege,deducuntur; in quo viſis eorũ actibus ad ignem condemnantur : tunc eadem' proceſſione præeunte , ac Confeſſore ſibi adſtante ad locum ſupplicij eademmet nocte diriguntur : cuilibet reo paratus eſt rogus , ſiue ſtrues lignorum pice illitorum,cui adhæret ſtipes à quo dependet funis , facta confeſſione rogum aſcendunt,illo fune ſtrangulantur , poſtea igne admoto omnes ſimul comburuntur. Quòd ſi aliquis pertinax in hæreſi ac obſtinatus , comburendus ſit viuus , paratur lignum ſatis altum . inferius ligna multa adhibentur ; tunc reus ſuper illud lignum eleuatus , duplicíque catena in collo & in medio corporis alligatus, miſerrimè & ingenti cruciatu igne viuus concrematur : hæc pauca pro multis in hac materia ſufficiant.

CAPVT III.

De commercio Luſitanorum in Oriente.

QVia Luſitani primi nauigationem orientalem per Promontoriũ bonæ ſpei , ductore Vaſco de Gama Excellentiſſimo Nauarcho , poſtea creato Comite de Vidighieres ſub Regno Sereniſſimi Regis Emmanuëlis,

lis magnis exantlatis periculis, laboribus,ac naufragiis adinuenerunt, siue restituerunt (sunt enim qui dicunt olim Ægypti Regem à mari rubro classem dimisisse, vt omnia Africæ littora perscrutaretur; cuius classis nauis vnica multa post tempora, tota superata Africa,mare Mediterraneum prope Hispaniam ingressa Alexandriam peruenit) propter hoc Rex Lusitaniæ post titulos suæ iurisdictionis, vocat se Dominum commercij Persidis,Indiæ,Chinæ,Æthiopiæ,ac totius pene Orientis, nec alias olim illuc accedere permittebat nationes, donec Lusitanis proprio Rege priuatis,ac potentia deficientibus Angli & Batavi, viribus maritimis superiores, illuc accesserunt: nec solùm inuitis ac reluctantibus Lusitanis ibi commercium exercebant; sed etiam ipsos Lusitanos,ne illud exercerent, impediebant: imò se breui expulsuros, & cum fundamento iactabant: sed mutato Lusitanorum regimine omnia sub auspiciis noui Regis, & spiritualia, & temporalia: siue commercium animarum, ac aliarum mercium ibi florebunt.

In India venti sunt adeo regulares, vt quisque suo ordine, quotannis certis mensibus perflet; sciunt enim quibus mensibus versùs Austrum, quibus versùs Septentrionem, quibus versùs Occidentem & Orientem nauigare liceat: vnde rarissima audiuntur naufragia. Goæ omnes merces variis ex Orientis partibus congregantur, vt inde in nauibus maximis, quot annis mensibus Septembris aut Maij veniunt, Vlyssiponem transmittantur. Hæ naues sunt maximæ, septem aliquandò subordinatas habentes mansiones, aliquas vidi quolibet Gallione maximo duplo maiores, ordinariè sexaginta tormenta bellica maiora deferunt: quando in Indias proficiscuntur, mille aut circiter homines vehunt,tam nautas, quàm milites in India mansuros: potius ibi videtur ciuitas, quàm nauis; omnium artium opifices ibi laborantes videre licet, diebus festis missa,

diui

diuinúmque officium ordinariè decantatur, conciones habentur, musica auditur; Imò deficientibus ventis comediæ repræsentantur. Præter victum tot hominibus, per sex & amplius menses qui in nauigatione consumuntur, necessarium (Rex enim & militibus & Religiosis ad missiones euntibus abundè prouidet) deferuntur plurima vini dolia, olei oliuarúmque vasa in Indiis vendenda, aliáque similia; sed præcipuè deferuntur pecuniæ emendis mercibus Indicis necessariæ. Mense Martio Vlyssipone ordinariè discedunt, mense verò Septembri vel Octobri Goam perueniunt: si verò aliquandò venti deficiant, & dictis mensibus appellere non possint; Mossambici remanent (sciunt enim sequentibus mensibus ventos orientales contrarios perflare) donec iterum rediuiuis occidentalibus mense Maio peruenire possint. Vix, qui non vidit, credere potest quantâ lætitiâ aduetus nauium excipiatur; amentes enim apparent homines hinc inde discurrentes, nuntia aliquandò fabulosa dispergentes: licèt media nocte accedant, statim totius Ciuitatis campanæ iucundè personantes talem aduentum indicant, omnes surgunt; & varij hinc inde populi concursus & occursus apparent; quod non solùm apud sæculares, verùm & apud quoscumque Religiosos obseruatur. Non mirum, cur tanta sit lætitia, primò enim de salute Regis gaudent; deinde de nuntiis; toto enim anno illis priuantur; denique quia omnibus vel pecuniæ, vel merces adueniunt.

Postquam naues appulerunt, illas exonerant; quod vix viginti diebus absoluitur; incredibile quippe est, quantum quælibet ex illis nauibus afferat: deinde reficiuntur, semper enim præ tempestatibus oceani aliquid detrimenti patiuntur: denique præparatis iam mercibus onerantur, non totaliter intra portum; onustæ siquidem vsque ad septuaginta palmos intra aquam descendunt;

cendunt : latera earum sunt crassissima, globulis tormentorum impenetrabilia, merces, quas deferunt, sunt immensa piperis copia in fundo nauis loco lapidum onerariorum: piper est solius Regis, eius commercium omnibus aliis sub pœna mortis interdicitur; aliæ infra describendæ, & tandem cinnamomi infinita congeries, saccis pelliceis inclusa: qui sacci hinc inde extra nauem penduli apparent, & ad medium arboris perueniunt: donec consumptis aquarum doliis ac confractis, in illorum loca cinnamomum immittatur; vnde primis viginti nauigationis diebus, nec ignis in naui excitatur, nec magna expanduntur carbasa: omnibus iam absolutis, mense Februario, vel in principio Martij, præsente ac iubente Prorege vela faciunt.

Commercium Lusitanorum in multas Regiones pertingit: nam primò in partem Africæ orientali Oceano adiacentem nauigant: vnde infinitam auri copiam, sicut & Eboris ac Hebani vilissimo coëmunt pretio; interiorem enim Africæ partem per fluuios Quamæ, vbi Lusitani castrum Sofalam aliásque munitiunculas habent, penetrantes; ac naues onustas farina, vino, telis gozipinis, & globulis vitreis diuersi coloris deducentes; easdem auro, ebore, acebano, paruulis Æthiopibus, quos postea baptizant, plenas reducunt: imò ab ipsis Æthiopibus irridentur, quòd vitæ necessaria per tot locorum ac marium spatia, inter tot pericula ac naufragia ad se deferant, vt ea quæ tam vilia in illis locis censentur, reportent; & meritò irriderent, nisi ipsi vilioribus, vt campanulis aliísque similibus illecti, pretiosiora prodigerent metalla; ibi aër pessimus, aquæ malæ; sed auri sacra fames mortalia cogit pectora.

Ex China etiam maximam auri copiam educunt; ibi enim aurum, vel adinstar panis, vel adinstar nauiculæ efformatum eruunt: inde etiam Moschum, pannos sericos pulcherrimos; metalla, Tambac cupro non multum dissimi-

dissimile sed pretiosius, & Calai, plumbo simillimum afferunt; sicut & lignum Chinense medicinale; ac tandem vasa illa porcellana, quæ ad comedendum aptissima ac mundissima sunt: licèt alibi conficiantur similia, non tamen ipsa in bonitate ac excellentia adæquare possunt: inter ipsa enim aliqua ita subtilia fiunt, vt transparentia sint adinstar Cristalli; & tamen aquam calidissimam absque læsione continent: materia ex qua conficiuntur, vt à naturalibus audiui, constat vt plurimum excremento humano; sed per quinquaginta & amplius annos in terra sepulto; dicunt enim quòd habent caueas his excipiendis destinatas, quas vbi compleuerint, terra desuper iniecta contegunt, eásque testamento suis relinquunt hæredibus, qui eas elapso prædicto annorum numero aperiunt, & immunda hac materia, aliquibus aliis adhibitis, ad mundissima conficienda vasa vtuntur.

Præterea ex sinu Persico infinitas afferunt gemmas, ex Regno Colconda pretiosissimos Adamantes, ex Pegu Rubinos, aliunde Smaragdos, alióſque educunt lapillos: vidi coclearia ex vnico Smaragdo: Ex Ceylam habentur lapilli, qui propter similitudinem, oculi Bouis, & alij oculi felis nominantur: plurimi etiam reperiuntur Topazij; sunt etiam lapides medicinales magni pretij, vt Besoarij, inter quos vidi maximos; meliores sunt vel in Persìde vel in Regno Malaccæ: est & lapis Cananor, aliíque multi: hæ sunt merces quas in Lusitaniam mittunt Lusitani; insuper maximam Algaliæ, & & succini odoriferi siue grisei, siue nigri copiam: sicut & clauorum odoriferorum, quos ex Moluccis Insulis extrahunt: & nucum, quas vulgò muscatas vocant, illiúsque arboris flores quos Maciz vocant: mittunt & cornua Rhinocerotis, ex quibus pocula ad bibendum conficiuntur, in quibus immissum dignoscitur venenum; ac proinde plurimùm æstimantur: plura vidi ad

tres

tres aut quatuor palmos longa, craſſa, ac in ſummitate acuta: ac tandem plura opera, vt ſcrinia, menſas ſimiliáque ex ebore ac ebano, miro artificio, ac inenarrabili pulchritudine confecta.

CAPVT IV.

De aliis Christianis qui ſunt in Indiis.

TRes aliæ, præter Luſitanos, reperiuntur in Indiis orientalibus Chriſtianorum Catholicorum differentiæ. Non enim hîc agimus de Anglis, Danis, & Batauis, aliíſque Europeis, qui illuc commercij causâ proficiſcuntur; etiamſi reſidentias; & Batavi vrbes, oppida, & caſtella poſſideant.

Primi Chriſtiani, cæteríſque antiquiores vocantur Chriſtiani ſancti Thomæ: quia ſe ab hoc primo Indiarum Apoſtolo ad fidem Chriſti conuerſos, ad hæc vſque tempora, non interrupta ſucceſſione, perſeuerare gloriantur: fides illorum diuerſum ſtatum habuit; nam in illo principio fuit puriſſima, deinde à puritate illa primæua deficiens, aliorum orientalium Chriſtianorum erroribus infecta: denique poſt annos multos à Luſitanorum appulſu priſtino fuit reddita nitori: ſubnigri ſunt omnes coloris; in regno Cochin, ad loca montana præcipuè, ſuas habent ſedes; vnde ipſorum Archiepiſcopus, qui Granganori manet, Archiepiſcopus montis vocatur; ritum Catholicum in omnibus ſequuntur, etſi aliquas ex antiquis obſeruent cæremonias: habent Archidiaconum magnæ apud ipſos authoritatis.

Secundi in ordine Chriſtiani, à ſecundo Indiarum Apoſtolo ſuam deriuant appellationem; vnde Chriſtiani ſancti Xauerij vulgò nominantur; quia illius præcipuè diligentia & ſtudio fidem Chriſti ſuſceperunt: plurimi à Cruce cognomen accipiunt; eo quòd quidam

Dominus

Dominus à Cruce cognominatus ipſorum conuerſioni principium dederit : in maritima regni Samorini ora commorantur, quorum inſtructioni & conſeruationi Patres Ieſuitæ ſedulò inuigilant.

Tertij tandem ſunt alij Chriſtiani, in tota Luſitanorum Indica ditione diffuſi; iiſdem in diuinis officiis Miſſæ ſacrificio, ac Luſitani ritibus vtuntur; quia verò non omnes Luſitanam linguam intelligunt;propterea eis Parochi connaturales præficiuntur : quotannis plures è gentilibus ad Chriſti fidem conuertuntur, & licèt omnes religioſi ordines ad eorum conuerſionem plurimùm laborent; maiori tamen ſolemnitate Patres Ieſuitæ in hoc procedunt;vnum quippe è ſuis eligunt; quem Chriſtianorum Patrem vocant; cuius officium in hoc præcipuè conſiſtit, vt de nouo conuerſos foueat, iuuet, & in fide conſeruet; deinde vt aliorum conuerſionem procuret; quod vt efficiat, authoritate Regia gentilium orphanos mortuis parentibus, ab aliorum ſocietate ſeparatos in vnum congregat locum; vbi cum aliis, qui ſponte iam adulti conuertuntur, Chriſtianis inſtruit dogmatibus, & ritè inſtructos in ſolemnitate Conuerſionis ſancti Pauli,qui primæ eorum Eccleſiæ à ſancto Franciſco Xauerio fabricatæ titularis eſt, coram Prorege & toto populo baptizandos producit:qui omnes veſtitu nouo, & aliqua pecuniæ ſumma donantur. Sed ſicut Indiani facilè ad Chriſti fidem conuertuntur; ſic ab ea facilè peruertuntur, & niſi ſacræ Inquiſitionis rigorem timerent, quotidie fidem mutarent; nec deſunt, qui bis, aut ter ſacramentum Baptiſmi ſuſceperint, dicentes ſe magis eſſe Chriſtianos aliis, qui ſemel tantùm illud ſuſceperunt; ad hanc autem in fide mutabilitatem plurimùm conducit, & aliorum gentilium, conſanguineorum maximè familiaritas, & facilis ad gentilium terras proximas timore pœnæ tranſitus, dum aliquod crimen commiſerunt.

CAPVT V.

De Armenis.

QVia diu cum Armenis, siue cum illis iter agendo, siue in Perside manendo, conuersatus sum: ideò ad eorum fidem, mores, & Politicam describendam accedam: pauca, sed certissima ex multis seligendo. Quantùm ad fidem, Armeni Christiani sunt, sed vt plurimùm schismatici: errores illorum præcipui sunt sequentes. Primus, quòd licèt Pontificem Romanum primum omnium Episcoporum agnoscant suum tamen, sicut & alios Patriarchas ipsi subditos esse negant. Secundus, Purgatorium negant; quamuis fateantur animas in alia vita pati tristitiam, & fidelium votis & orationibus ab illa solari; dicunt enim (quod tertius error est) animas gaudiis Paradisi, ac Dei visione non fruituras, nisi post diem Iudicij. Quartus tandem & maximus est circa Christum, in quo non duas, sed vnicam fatentur esse naturam; sed hic error, vt ipsi explicant potius in Theologia, quàm in fide est, ex ignorantia tamen ipsorum procedens. Omnes alij Orientales Christiani irreconciliabile erga Nestorianos odium exercent: hi cùm in Christo duas constituant personas, humanam quasi propriam; diuinam verò tantùm in ipso velut in templo inhabitantem. Alij Christiani, vt nefarium hunc impugnent errorem, nescientes tamen distinctionem naturæ & personæ, in alium turpissimum incidunt: volentes enim duas in Christo negare personas, duas etiam in ipso naturas esse negant; sed vt dixi hic error, provt nunc ab illis tenetur, non est in ea extremitate, quâ erat prius: dicunt enim in Christo esse naturam Diuinam sine destructione humanæ, & humanam sine destructione Diuinæ, ac ex illis duabus tanquam partibus vnam totalem componi: nimis adhærentes his verbis Symboli

Athanaſij : ſicut anima rationalis & caro, vnus eſt homo : ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus : quod tamen impoſſibile eſſe Theologi multis demonſtrant rationibus, cum D. Thom. 3. part. quæſt. 2. art. 1. ſed eorum ignorantiæ parcendum eſt ; nulla enim apud eos florent ſtudia ; ſoli ſcripturæ memoriter addiſcendæ nauant operam : vnde ille doctior, qui plura eius loca in promptu referre poteſt ; vnum ex ſuis, quem Philoſophiæ ſtuduiſſe iactabant, tanquam oraculum venerabantur : in illa autem epiſtola, quam ſupra dictum eſt ab ipſis ſummo Pontifici miſſam, aſſerunt hunc modum dicendi omninò cohærere Catholicorum confeſſioni, quæ duas in Chriſto naturas, non ſeparatas, ſed in perſona Diuina conſtituit vnitas.

Priuſquam cum ipſis ageremus,acerrimi erant huius ſui erroris defenſores,propterea ſanctum Leonem Pontificem, cuius opera hic error in Concilio Calcedonenſi fuerat condemnatus, inter Miſſarum ſolemnia anathematizabant : ſed propter nos ab hoc nunc abſtinent anathemate : Marcianum Imperatorem huius Concilij fautorem maledictis impetunt ; inter alia verò,eum librum Euangeliorum in ignem propria manu conieciſſe mentiuntur. In Canone Miſſæ Dioſcorum hæreticum condemnatum inuocant,vt ſanctum.

Non deſunt tamen inter ipſos, qui ſuorum errorum veritatem agnoſcant ; tum ex conſortio noſtrorum, aliorúmque Religioſorum ; tum experientia ; quam de Catholicis mercatores Armeni huc aduenientes habent : Epiſcopus præſertim ciuitatis Chulfæ, nomine Cachatur, id eſt Crucifer, qui ſæpe à noſtris ſciſcitatus eſt ; vtrùm ſufficeret Catholicam fidem interius profiteri, non audens exterius à ſuis erroribus recedere, [illegible] ſuæ nationi plus profuturum ſe dicens : ſæpe noſtris promiſerunt Concilium indicere, vt inter nos ac ipſos concordia inirctur, cui volebant nos intereſſe : nunc maximè

maximè id speratur; cùm diligentiâ vnius Patris Dominicani professio fidei, olim à sancto Gregorio illorum Apostolo facta, fuerit inuenta: vnde commoti ac inter se diuisi sunt Armeni.

Quantùm ad mores attinet, Armeni non tam milites, quàm mercatores sunt; totum pene discurrunt orbem; hîc Massiliæ aliquos vidi, quos videram in Perside: in varias sunt dispersi regiones ac ciuitates, vix vna ex principalibus orientis ciuitatibus inuenitur, in qua non sint plures Armenorum familiæ. Die Mercurij & die Veneris aspertimam seruant abstinentiam, sicut & tota quadragesima; tunc enim non solùm carne, ouis, & lacticiniis abstinent, verum etiam piscibus; imò & oleo; hæc enim attingere nefas est vnde solùm orizam, herbas, fructus, & legumina; sed tamen quoties libuerit, comedunt: vnde non ieiunium, sed abstinentia debet iudicari: carnem in Sabatho manducant, quod tanta penè veneratione, ac Dominicum diem colunt: antiquas Ecclesiæ festiuitates celebrant; sed quatuor præcipuè; scilicet Natiuitatem Domini quam simul cum Epiphania decima sexta Ianuarij colunt, solent in illa processionaliter ad aliquem fluuium accedere, si loci commoditas id permittat, ibíque aquam præterlabentem multis ceremoniis benedicũt, quam populus ex deuotione hauriens domũ asportat. Secunda est festiuitas Dominicæ Resurrectionis. Tertia est festiuitas Transfigurationis. Quarta tandem sancti Gregorij illuminati sui Apostoli, cuius reliquias in monasterio Trium Ecclesiarum venerantur: Ibíque quendam liquorem ex floribus conficiunt, quem harum reliquiarũ contactu sanctificatum per Armeniæ Ciuitates, & oppida diuidunt.

Quantùm ad politicam, Armeni sequuntur leges illorum Principum, quorum Imperio subduntur; non enim Regem Armenum manifestum habent: Imperator Turcarum, & Rex Persarum Armeniam sibi diuiserunt;

quamuis ſecretum Regem habeant ex antiquorum Armeniæ Regum proſapia deſcendentem, quem Patriarcha ſecretò conſecrat, vt ipſemet noſtris Patribus indicauit, paucíque ſunt qui id nouerint. Patriarcha Armenorum ſe in ſpiritualibus abſolutum, & abſque vlla Pontifici Romano vel cuicumque alteri ſubordinatione credit; huic pene omnes Armenorum Epiſcopi obediunt;quamuis Hieroſolymitanus, & alius prope Aleppum manens, ſe tanquam independentes gerant: Epiſcopi verò non habent Ciuitates & Eccleſias determinatas, ſed ad nutum Patriarchæ tranſmutantur; ſoli vt plurimùm Monachi fiunt Epiſcopi, cùm enim Epiſcopi non poſſint eſſe coniugati, & Clerici ſæculares nubant:inde eſt quod Epiſcopi tantùm ex monachis aſſumũtur,ſicut & ipſe Patriarcha:Et hæc,ordinariè loquẽdo,Patriarchæ electio fit ab Epiſcopis; ſed à RegePerſidis cõfirmatur:ſedes eius Patriarchalis eſt in monaſterio Trium Eccleſiarũ,vbi cũ aliis habitat monachis, habitu monachorũ ſupra deſcripto vtens;quãuis ſolemnioribus diebus oloſericas aſſumat veſtes:ſepelitur autem in monaſterio Varac,in ſepulchro recondito ipſis Patriarchis deputato: ipſum vidi, dum illum montem viſitani.

CAPVT VI.

De Græcis.

CONſtat ex dictis libro 4.cap.5. quanta fuerit Græcorum authoritas, dum Conſtantinopoli Imperatores Chriſtiani reſiderent: nunc quaſi mancipia, Turcarum ſubiacent tyrannidi;vnde ſolùm de eorum ſchiſmate & erroribus ſupereſt agendum.

Græci inter primos fidem Chriſti ſuſceperunt: quod arrogantiæ ipſis anſam præbuit, grauiter ferentes ſubiici Latinis in Chriſti fide iunioribus: vnde datâ ſchiſmatis causâ, ab illis in malum ſuum receſſerunt, &

cùm

cùm ſchiſma ſit errorum ſeminarium, in plures poſtea sũt lapſi errores:quãuis inter ipſos multi ſint Catholici.

Huius Græcorum ſchiſmatis radix aſſignatur, quòd anno Chriſti 854. celebratum fuerit Conſtantinopoli Concilium à S. Ignatio, Michaëlis Imperatoris filio, eiuſdem ciuitatis Patriarcha: in quo Gregorius Epiſcopus Siracuſanus condemnatus fuit hac conditione, quòd eius depoſitio à Romano Pontifice confirmaretur: hac ſententia indignatus Gregorius totis viribus depoſitionem S. Ignatij Patriarchæ procurando obtinuit, eíque Photium Eunuchum laicum & hæreticum ſubrogauit,qui tamen à Romano Pontifice condemnatus S. Ignatio ceſſit: ſed ipſo mortuo, iterum Patriarchalem ſedem inuadit: hic in odium Eccleſiæ Romanæ, ſummíque Pontificis, à quo fuerat condemnatus, ſchiſma Græcorum procurat, pluréſque ſeminat hæreſes, quæ poſtea plurimùm creuerunt.

Cùm ſolius Eccleſiæ Catholicæ ſit iudicare de rebus fidei, quæ ſolùm ex peculiari Sancti Spiritus aſſiſtentia definiri poſſunt: non mirum, ſi ſchiſmatici ab eadem Eccleſia ſeparati, ſicut Græci, in turpiſſimos labantur errores: quos hîc breuiter referemus.

Primus & notiſſimus error Græcorum eſt circa proceſſionem Spiritus Sancti, quem à ſolo Patre procedere contendebant: ſed hic damnatur in ſymbolis Niceno, & S. Athanaſij.

Secundus error,Gloriam ſanctorum, & pœnam damnatorum non ſtatim poſt mortem ſecuturam; ſed vſque ad diem iudicij differendam affirmabant, ſed hic damnatur in Concilio Florentino.

Tertius, negabant purgatorium, & conſequenter ſuffragia viuorum pro mortuis irridebant.

Quartus,credebant matrimonium ad libitum diſſolubile,& ſecundas nuptias viduis vt illicitas prohibebant; & ſimplicem fornicationem, vt licitam permittebant.

Quintus, prædicabant nullum esse peccatum res sacras vendere, pecuniã in vsurã dare, nec latrones & vsurarios ad restitutioné teneri; insuper licitum esse nocere inimicis, quantumuis mendacium, & periûrium interueniret.

Sextus circa Baptismum, iterum baptizabant à Latinis baptizatos; non baptizabant pueros etiam in extremo periculo ante octauum diem.

Septimus circa Eucharistiam, asserebant non esse licitum consecrare in azimo, sed debere consecrari in fermentato; solum vinum nulla apposita aqua consecrandum esse, necessarium esse laïcis communicare sub vtraque specie; malos in Eucharistia nõ recipere Corpus Christi; dandã esse Eucharistiam paruulis statim post Baptismum; Eucharistiam esse efficaciorum in die Cœnæ.

Octauus circa extremam vnctionem; ipsam enim asserebant nihil conferre ad salutem corporis.

Nonus, negabant Ecclesiam Romanam esse, primam, caput, & matrem aliarum, ipsíque Constantinopolitanam præferebant.

Decimus, in pluribus ceremonias Iudaïcas admittebant: circa abstinentiam à suffocatis, & aliis cibis in lege veteri interdictis.

Hi errores in Concilio Florentino penitus cessarunt: in quos postmodũ, renouato schismate, lapsi sint, incertum est, cùm propter maximam omnium orientalium ignorantiam vix sciatur, in quibus nobiscum conueniãt, & in quibus discrepent: Græci auté non solùm in Græcia, sed etiam in Syria & alibi commorantur: suósque errores ad longinquas etiam nationes effuderunt.

CAPVT VII.

De Nestorianis.

NEstorius Episcopus Constantinopolitanus suos incœpit errores prædicare anno Domini 428. cuius

ius sectatores adhuc plurimi in Mesopotamia, Chaldea, & Arabia commorantes aliisque Christianis orientalibus inuisi, ab ipso Nestoriani denominantur.

Hic Heresiarcha funesta morte decessit: nam damnatus à primo Concilio Ephesino anno Domini 431. in quo à Celestino I. Præses nominatus fuerat sanctus noster Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, & in exilium eiectus in Insula Oasi, corrosa & consumpta vermibus eius blasphematrice lingua, miserè periit.

Plures fuerunt eius errores: sed præcipui quatuor. Primus & radix aliorum fuit, quòd Christus Dominus natus de Maria Virgine, non sit Deus, sed purus homo, qui in præmium sanctissimæ eius vitæ dignus iudicatus est, qui diuinati coniungeretur; non quidem hypostaticè, sed quia ipsam speciali modo inhabitantem haberet: propterea Iesus Christus non Deus sed Deifer ab ipso vocabatut; sicut Beatissima Virgo non mater Dei, sed mater Christi: vnde sicut in Christo duas naturas diuinam & humanam, sic duas in ipso ponebat personas.

Secundus fuit, quòd in Eucharistia contineatur vera Caro; non Dei, sed hominis puri Iusti & sanctificati, qui est templum & habitatio Dei.

Tertius, Nestoriani in solo fermentato consecrantes, sub vtraque specie magnos & paruos communicabant, credentes Christum Dominum non æquè sub vna, ac sub vtraque specie contineri.

Quartus; fastidiebat Nestorius scripta sanctorũ Patrũ, suam authoritatẽ ipsis omnibus præferens: alij fuerunt eius errores, qui in discipulis ipsius hactenus perseuerãt.

Postquam in Concilio Ephesino, procurante tum scriptis, tũ authoritate sua authoritate S. Cyrillo Carmelita Concilij præside declaratum fuit sanctissimã Virginem Mariam esse Dei matrẽ: addita sunt Angelicæ salutationi hęc verba, *Sancta Maria mater Dei ora pro nobis, &c.* quæ verba ex tunc in ore fidelium continuò resonabant.

CAPVT VIII.

De Iacobitis.

IAcobitæ, dicti alio nomine Syri, à quodam Iacobo Zanzalo Syro nomen & originem ducentes, in variis regionibus orientis adhuc perseuerant: hos sicut & Nestorianos vidi in Chaldæa, Perside, & Arabia: eorum Heresiarcha admodùm vilis ex erroribus Eutichetis, Dioscori, Seueri & aliorum sua dogmata composuit.

Primus error Iacobitarum fuit, negare mysterium sanctissimæ Trinitatis, vnicam admittendo diuinam personam, in cuius signum vno tantùm digito Crucem efformabant: ita referunt authores; sed non credo eos nunc in hoc esse errore.

Secundus, fundati dictis sancti Præcursoris Matthei 3. relatis (ipse baptizabit vos in spiritu & igne) suis paruulis ignito ferro Crucis signum in media fronte inurebant: cùm tamen illa verba de aduentu Spiritus sancti in forma ignis sint intelligenda.

Tertius; etiam lactentes paruulos sub vtraque specie communicabant.

Quartus, confessionem sacramentalem sacerdoti factam damnabant, asserentes soli Deo esse confitendum:

Hic Iacobus principium fuit & origo omnium pene errorum quos Armenis attribuunt Authores: quia tamen, præter adductos supra, in eis alios non aduerti; ideo ibi prætermissos, hîc breuiter perstringam. Asserebant Christum resurrexisse in Sabatho; peccatum non à libero arbitrio, sed à solo Dæmone procedere; negabant peccatum originale; dicebant quòd perseuerante statu innocentiæ homines non fuissent per generationem, sed alio modo multiplicati; quòd ante Passionem Christi omnes damnabantur; negabant Sacramentis virtutem conferendi gratiam; res spirituales vendebant;

bant; paruulos fidelium ſine baptiſmate morientes ad Paradiſum terreſtrem tranſire, infidelium verò ad infernum deſcendere dicebant; paruulos baptizatos communicabant; baptizatos in Eccleſia Romana iterum baptizabant; negabant matrimonium eſſe ſacramentum, & eſſe indiſſolubile; ſicut & pœnas inferni eſſe æternas; dicebant aliqua peccata eſſe irremiſſibilia; Chriſtum ad inferos deſcendentem eduxiſſe omnes damnatos; omnes in ſexu virili reſuſcitandos: multos alios eis attribuunt errores; certum tamen eſt plures ex modo relatis inter eos non vigere.

CAPVT IX.

De alijs Chriſtianis Orientalibus.

VLtra prædictos plures alios in Oriente vidi Chriſtianos: videlicet Maronitas in monte Libano, & tota Syria. Iberos vulgò *Georgiens* in Perſide, Cophtos & Abiſſinos in Ciuitate Baſſora Arabiæ fœlicis.

Maronitæ Libani montis incolæ, de quibus ſupra libro 3. cap. 2. dictum eſt; à ſancto Marone deriuare & denominati dicuntur: anno Chriſti Domini *699*. incipientes, procurante Aimerico Patriarcha Anthiocheno Eccleſiæ Romanæ ſubduntur, eíque, inter alios orientales Chriſtianos, vniti ſoli perſeuerant: videantur quæ de ipſis loco citato dicta ſunt.

Iberi ſunt populi Chriſtiani propè mare Caſpium, à quibus non longè diſtant alij dicti Circaſſi, fortè Hircani, vtrique Græcorum erroribus infecti: Iberia prius Regi proprio ſubiecta, nunc à Perſis cum præcipua Ciuitate Teflis capta in aliquot principatus diuiſa eſt: eius populi ſunt milites ſtrenui: vnde Rex Perſarum ſemper duodecim millia captiuorum habet: ex quibus exercitus Perſici neruus conſtat.

Cophti, ſiue Chriſtiani Ægyptij Patriarchæ Ale-

xandrino ſubditi plures aliorum orientalium Schiſmaticorum errores ſequuntur: nam vnicam in Chriſto Domino admittunt naturam, voluntatem, & operationem: negant etiam in extremo vitæ periculo paruulis baptiſmum ante quadrageſimum ætatis diem: ſtatímque eis ſacramentum Confirmationis, & Euchariſtiæ adminiſtrant; olim omnes circumcidebantur; nunc verò Alexandriæ, & Memphi, ſiue Cairi non circumciduntur, ſed à parentibus ſigno Crucis in fronte, vel manu ſignantur, vt tanquam Chriſtiani dignoſcantur. Concilium Chalcedonenſe,& ſanctum Leonem Pontificem expreſsè damnant, ac ſimiles profitentur errores.

Abyſſini, ſiue Æthiopes ſub imperio Regis potentiſſimi; quem Europei Presbyterum Ioannem vocant, in Africa degunt, de quibus fusè agunt Franciſcus Aluares in ſua Legatione, & Damianus à Goës in libello de rebus Æthiopicis ad Clementem VII. plura vtriuſque ſexus habent monaſteria. Pene omnes Cophtorum ſibi vicinorum errores amplexati ſunt, Concilium Chalcedonenſe non admittunt; matrimonia facilè diſſoluunt, ſimul cum Baptiſmo Circumciſionem colunt; quam quidem ſuſcipiunt, non vt neceſſariam ad ſalutem, ſed tantùm ad perfectam Chriſti imitationem, quam hoc motiuo aliqui authores licitam dicunt, alij verò ſub quocumque prætextu probant eſſe illicitam. Credunt etiam Abiſſini animas rationales non creari, ſed per ſeminalem propagationem traduci eo modo, quo animas brutorum: tenent animas infantium ſine baptiſmo decedentium eo ipſo ſaluari, quia nati ſunt à parentibus fidelibus; quia virtus Euchariſtiæ à matre prægnante ſuſceptæ, prodeſt infanti in vtero exiſtenti; alij plures errores ipſis attribuuntur.



LIBER SEXTVS ITINERARII

In quo

Agitur de variis sectis Infidelium Orientalium.

CAPVT PRIMVM.

De lege, moribus, ac politica Turcarum.

DVM Aleppi opportunitatem vlterius procedendi expectaremus; non pauca de lege, moribus, ac politica Turcarum didicimus, quæ hîc sigillatim, sed cursim breuitati semper studentes pertractabimus. Lex Turcarum condita fuit à pessimo omnium, qui hactenus fuerunt, Pseudopropheta Mahometto, qui primò ductor camelorum, dolo postea Propheta creditus ac Rex creatus plurimam orientis partem nefaria sua lege peruertit.

Lex Turcarum, tum ex Christianis, tum ex Iudaicis dogmatibus collecta est, sicque Mahometh omnia omnibus factus est, vt omnes perderet. Propter Iudæos circumcisionem introduxit, sicut & abstinentiam à porço & aliis: non tamen Sabathum celebrat, sed diem Veneris. Propter Christianos verò optimè de Christo ac Beatissima Virgine locutus est: Christum non quidem

dem Dei filium, ſed tamen magnum Prophetam aſſerens, cuius legem aliquando fuiſſe bonam dixit, ſicut & Moſaicam; vtramque tamen expiraſſe, ſua in orbe promulgata, quam non rationibus, ſed armis iubet defendi. Mirum eſt quot abſurda ac turpia cōtineat: docet paradiſum non alias quàm corporales habiturum lætitias; quas tamen animalis homo, quæ Dei ſunt ignorans, ſpiritualibus præfert delitiis: poligamiam permittit, vnde non tam vxores quàm concubinas habent, maximè quia facilè dant illis repudium: apud Turcas ſodomia, imò & beſtialitas ita permittitur, vt parum abſit quin publicè ſicut beſtiæ illis vacent; quin imò, quandò aliquis Chriſtianus in regno Sindi legem Mahometanam amplectitur, ſimilia cogitur committere; ne vltra ad Chriſtianos, formidine pœnæ his ſceleribus debitæ, redire præſumat: fatum admittunt, vnde nec pericula multùm vitant, nec multùm de euentibus commouentur: dicunt in porta paradiſi ſitam eſſe arborem maximam, cuius vmbram ad multas leucas pertingere fabulantur, in foliis eius ſcripta eſſe dicunt omnium mortalium nomina, vnde quando quis de nouo naſcitur, nouum quoque naſci folium arbitrantur; quotidie verò vnus angelus ad hoc deſtinatus arborem illam excutit, folia quę decidūt à morte colliguntur, nomina inſcripta reſpicit, eóſque rapit quorum ſunt nomina: aſſerunt etiam in paradiſo aliqua reperiri animalía; hoc cùm mihi quodam die vnus è noſtris Patribus retuliſſet, & hanc ego ineptiam riderem, accidit vt domum noſtram intraret quidam inter ipſos grauis & doctus, qui illud ſua autoritate confirmauit, dicens in paradiſo eſſe àſinum qui Chriſtum Dominum baiulauit, camelum Mahometis, formicam Salomonis, canem quendam ciuitatis Mechæ, & ſeptem alia animalia. Chriſtum Dominum negant fuiſſe à Iudæis occiſum; dicunt enim, quòd tunc, quandò Iudæi voluerunt illum occidere, à Deo

tranſla

tranſlatus fuit, & eius loco phantaſma oblatum, indignum dignitate Chriſti reputantes, quòd morte Crucis trucidatus fuerit: multas alias ſectantur fabellas. Faciunt profeſſionem ſuæ legis pronunciando verba ſequentia: *Non eſt Deus niſi Deus, Mahometh Apoſtolus Dei:* hanc ſæpiſſime faciunt,& maximè tempore Circunciſionis; propterea non circunciduntur pueri niſi poſt vſum rationis:circunciſionem puerorum magna ſolemnitate ac iucunditate celebrant; conuiuia enim amicis & conſanguineis parant; ſolemnius tamen celebrant circa illos qui ex aliis ſectis ad illorum legem accedunt;equitantes enim magno cum tubarum & timpanorum comitatu per vrbem circunducuntur, ſagittam præ manibus ferentes, in ſignum quòd legem illam Armis defendent.

Bona opera faciunt, vt videantur ab hominibus; in publico enim orant, modò ſtantes, modò genuflexi; plurimas inclinationes ac proſtrationes faciendo: exteriùs multas faciunt orationes iaculatorias, & tam frequentes vt Deum præ oculis habere videantur: roſarium recitant, ſed in quolibet grano vnicum proferunt vocabulum, exprimens aliquod diuinum attributum,vt *Miſericordia, Iuſtitia*, & ita breuiſſimo percurrunt interuallo.Trigeſimam ieiunij obſeruant,ideſt ab vno nouilunio ad aliud, tunc tota die nec edunt, nec bibunt; imo aliqui nec ſaliuam deglutiunt: ſed apparente prima ſtella comedunt, & in commeſſationibus tota nocte perſeuerant, carnes & quæcunque alia edere licet; vnde noctem in diem, & diem conuertunt in noctem: inſuper noctu laruati incedunt,vnde potius Bacchanalia, quàm dies pœnitentiæ videntur.

Aliquas inſtituunt peregrinationes, ſcilicèt ad Hellam prope Babylonem vbi dicunt eſſe corpus Ali; ad Mecham vbi eſt templum ita apud illos celebre,vt ſanctum ſanctorum credant: cùm autem, dum eſſem Baſ-

ſoræ,

ſoræ, partem eius cecidiſſe nunciatum fuiſſet, multi clamare cœperunt, eorum legem tendere ad interitum: Mecha eſt patria Mahometh, vnde multis gaudent priuilegiis, qui ad illam accedunt, & vocantur Agi, forte à nomine Græco Agios, id eſt ſanctus; & tandem ad ſanctum Chriſti Sepulchrum. Aliqui ex his peregrinis, poſt quam hæc loca viderunt, opponentes oculis laminam ignitam ſibi viſum adimunt, dicentes rem eſſe indecentem, vt oculi videant alia, poſtquam ſupradicta viderunt: ex Mecha ſolent afferre aliquos lapides, quos iuxta ſe ponunt dum orant.

Sua habent templa; non tamen in eis imagines ponunt, credentes illas eſſe idola; ſed vel collocant lanceam in memoriam Ali, vel enſem in memoriam Mahometh, vel aliquas ſentẽtias magnis characteribus exprimunt. Iuxta templa erigunt turres altiſſimas, vt plurimùm rotundas, quas bis aut ter in die aliquĩ ad hoc deputati conſcendunt, indéque elata voce clamantes alios ad orationem excitant: faciunt etiam aquarum receptacula, vbi faciem, manus, pedéſque lauant antequam ad orandum accedant: ſuos quoque habent religioſos, ſed non multùm laudabiles, nec ab ipſis laudatos; ſceleratè quippe vt plurimùm viuunt, religioſos verò Chriſtianos æſtimant, eorum vitam conſiderando.

Non in templis mortuos ſepeliunt, ſed extra ciuitatem more Iudæorum, iuxta aliquam viam publicam, tum vt illac tranſeuntes pro defunctis exorent, tum vt tumulos videntes mortis recordentur: mortuos tangere nefas eſt, & deſtinatos ad eorum lauanda corpora habent homines, quos viliſſimos tenent; & magna tenetur iniuria, ſi quis lauator mortuorum vocetur. Dum Turcæ ad extremum vitæ periculum perueniunt, tibicines introducuntur, qui magnum ſuis inſtrumentis tumultum excitant; & ſic miſeros ex his miſeriis ad

maio

maiores dimittunt, ex quibus constat quàm sint antiquitatis obseruatores.

Quantùm ad mores; Turcæ sunt admodum arrogantes alióſque omnes superbiendo despiciunt; non secùs ac si essent canes. Sunt crudelissimi in administranda iustitia; nec plus vitam hominis, quàm alicuius bruti æstimant: inde est quòd crudelia reis destinant supplicia: sunt inimici canum, dicunt enim Angelos Dei non ingressuros domum illam, in qua canis, aut campana sit: sunt admodùm desidiosi, vt plurimùm ignauiâ torpent quæ multorum est alma scelerum: nec ipsi efficiunt tapetes aut eximia alia opera, quæ ex Turchia asportantur, hæc enim omnia veniunt ex Perside: scholas raro frequentant; solùm enim legere & scribere addiscunt, nulla quippe Philosophiæ, aut Medicinæ, aliarúmque scientiarum studia apud eos vigent: vestes eorum non multùm differunt ab aliis orientalibus, quas hîc notas ac sæpe visas non describo.

Illorum Imperator vocatur Sultan, qui Constantinopoli sedem habet Imperij: supremum ac despoticum in suos exercet dominium: vnde non tanquam clientes; sed tanquam captiuos gubernat, & tyrannicum administrat Imperium: quod iubet sine vllo discursu subditi exequuntur; etiamsi grauissimum sit quod iubetur: tributa imponit intolerabilia, quæ etiam pauperrimi soluere tenentur, & alicubi non solùm pro bonis, sed pro se soluunt. Ipse Imperator est vniuersalis hæres; nam domos, quas pulchras videt, aliáque prædia, imò & omnia bona vt plurimùm contra iustitiam vsurpat: & inde est, quòd apud illos domus ordinariæ belluarum cauernæ videantur: aliter enim suis filiis eas relinquere non poterit; ex quo procedit, quòd non sunt pulchræ apud illos ciuitates; Imperatoris consuetudinem alij Gubernatores imitantur, qui eas prouincias, ad quas regendas mittuntur, omninò destruunt; propterea rara

inueniun-

inueniuntur oppida, omnes enim ad ciuitates confugiunt, in quibus suam tyrannidem ita liberè exercere non possunt: multi ex his propter similia capite plectuntur. Inter Gubernatores ciuitatum sunt aliqui principaliores, & manent in ciuitatibus capitalibus regnorum: hi supra totum regnum, aliósque Gubernatores aliquam habent iurisdictionem; vnde Proreges nominari possunt, huiusmodi sunt Gubernator Memphis vulgò *grand Caire* in Ægypto, Gubernator Damasci, Gubernator Babylonis, & aliqui alij.

Imperator suos solet occidere fratres, vel in castris munitissimis recludere, nec apud Turcas hoc fratricidium abhorretur cùm necessarium asserant ad rectum sui regimen Imperij; timent enim, ne si multi essent Principes sanguinis Regij, rebelliones apud eos suscitarentur: & ita nulli sunt Principes; sed ex infima plebe creantur, propterea non tam nobilitas, quàm pecuniæ in toto ferè Oriente æstimantur: maximè commendantur captiui Imperatoris, qui vt plurimùm sunt milites & vocantur Ianisseri; hi sunt filij Christianorum; in quibusdam quippe regnis sibi primogenitum in tributum extorquet, in lege Mahometana postea educancantur, & sunt Christianorum hostes infensissimi, ac omnium Turcarum pessimi; inter se verò vnitissimi; vnde qui vnum lædit, omnes lædit, eiúsque iniuriam omnes vlciscuntur: non est qui horum insolentiam cohibere possit, suum habent Præfectum, qui maximis gaudet priuilegiis, nec aliis subest Gubernatoribus: alij sunt milites sed equites, quos Asphainos vocant: sunt hi nobiliores, sed non tantæ potentiæ.

In Turchia est magnus Visir, qui Constantinopoli propè Imperatorem commoratur, hic omnibus aliis præsidet ministris, & omnia ex eius arbitrio dependent: sæpe tamen, more aliorum, si errauerit, capite plectitur: sunt etiam Iudices, ad administrandam iustitiam

tiam deputati, qui difficillimas causas, ac lites nullo processu præuio, vnica voce concludunt, hos vocant Caddi. Habent Turcæ in spiritualibus suos præsides, quos Mophti vocant. Non amplius his immorandum est; si enim omnia Turcarum officia, mores aliáque ad eos pertinentia exprimenda essent, longo discursu indigerent: sed hæc pauca sufficiant, vt quæ sit eorum religio, lex, mores, & politica dignoscatur.

CAPVT II.

De Moribus, & politica Arabum.

NOn omnes comprehendimus nomine Arabum, qui lingua loquuntur Arabica; hæc enim ab vltimis Arabiæ fœlicis propè Indiam orientalem terminis, vsque ad regnum Marroco, scilicet in triplici Arabia, Ægypto, Mauritania, pluribúsque insulis etiam Melita in vsu habetur: sed solos qui Arabiam inhabitant.

Hi eamdem, quam reliqui Mahometani, sequuntur legem, & religionem: si mores attendas, Arabes sunt natura feroces, latrociniis addictissimi: nullum occidunt nisi resistentem, at omnes ad nudum spoliant: sed hæc præcipuè conueniunt illis, qui errabundi vastissimum percurrunt desertum, consuetudine tamen mitescunt: omnia, quæ vident, appetunt & petunt; si verò negetur, furari conantur: si alicubi comedentes inspiciant, accedunt etiam non inuitati, simúlque discumbunt.

Vestes ipsorum non sunt aliis communes: caput enim birreto, telis subtilioribus candidis, pluribus gyris circumuoluto, sicut cœteri orientales operiunt: sed vltimi telarum gyri à parte dextera infra aurem magis demittuntur: indusium ex tela portant, manicis latè patentibus, quas vbi pugnandum est, supra humeros reflectentes facto nodo coniungunt: supra indusium

R aliam

aliam habent veſtem ordinariè candidam, ad genua pertingentem, cuius manicæ non adeò latæ vſque ad cubitos tantùm perueniunt: pallium inſuper, quod *abba* vocant, vel nigrum vel griſeum portant: zonas coriaceas latitudine vnius palmi renibus conſtringendis apponunt, ex qua Arabes, qui per deſertum vagantur, cultrum, coclear, & burſam vbi omnia continentur ad ignem excutiendum neceſſaria habent pendula, qui ſimiliter, ne frigore aut nimio calore fatigentur, criſpa nigra genas & mentum cooperiunt: ſuis ſicut alij vtuntur tibialibus & calceis.

Arabes deſertum incolentes, maximè qui ſe latrociniis addicunt, lanceas deferunt & equas curſu velociſſimas aſcendunt; in Arabia enim robuſtiſſimi naſcuntur equi maximi pretij, qui per biduum obtinentes continuò currere dicuntur: ſi quandò autem turmas mercatorum inſiliant, hoc apud ipſos receptum eſt; vt ex eo, quo ventus ſpirat, parte aggrediantur, ne puluere equorum curſu concitato aſpergantur: ſi quis autem longè venientes reſpicit Arabes, & an latrones ſint deſiderat noſſe, ſtatim obuiam procedit, & equum ſupra quem ſedet, in gyrum vertit: ſi alter idem faciat, non fur eſt, ſed amicus: ſi aliquandò contigerit, furatos aut raptos fuiſſe ab Arabibus commeatus mercatorum camelos ſtatuto redemptos pretio ſolent reſtituere.

Veſcuntur in deſerto Arabes ouium, boum, caprarum, & aliquandò camelorum carnibus aliiſque venationibus; lacte acetoſo, triticeo pane, & oriza, necnon & propriis illius terræ fructibus; ſunt enim quotidianus, maximè in Arabia fœlici cibus: ſed Arabes littora ſinus Perſici incolentes, vix aliud præter palmarum fructus, & piſces ad Solem, qui ibi calidiſſimus omnia torret, exſiccatos edunt.

Maxima veneratione nouilunium celebrant: nam & trigeſimale ſuum ieiunium in nouilunio incipiunt, & termi

terminant in sequenti: in illo tota die, non solùm à cibo, sed etiam à potu abstinent; imò aliqui nec propriã deglutiunt saliuam, sed statim ac prima comparet stella, quidquid voluerint, & quoties, ac quantùm potuerint, vsque ad sequentem diem comedere possunt;& ita ieiunium in hoc tantùm consistit, vt diem in noctem, & noctem in diem conuertant; tota enim nocte comedunt,& baccanalia agunt; die verò tota dormiunt: vt etiam dictum est de Turcis,adueniente verò nouilunio, quod ieiunium terminat, maximas celebrant festiuitates. Contigit nobis desertum transeuntibus hoc nouilunium, quo omnes commeatus Arabes districtis ensibus plurimam noctis partem duxerunt insomnem: si quandò autem Lunæ ecclipsim animaduertant, omnes assumunt vasa ænea aut ferrea, & simul percutientes maximum edunt strepitum, quo Sol & Luna, à mutua pugna (credunt enim inter se tunc pugnare) desistant.

In prouincia Bassorensi ad ripas fluminis, hospitalitatem erga iter agentes magnis beneuolentiæ signis exercent: dicam quid mihi, meísque sociis acciderit: veniebam è Perside,defecerat viaticum; sexdecim enim diebus propter contrarios ventos continuò flantes tantùm confeceramus iter, quod vno die vento secundo conficitur: vnde deficiente pane,imò & aqua,penè consumpti fame & siti eramus: statim ac ostium Euphratis & Tygris ingressi fuimus, ad quoddam oppidum accessimus, vt nostræ subueniremus necessitati: subito nobis offertur panis, lac, dactili, & alia quæ tunc temporis reperiebantur; cúmque ad libitum his vescentes famem expulissemus; plura alia ad reliquum itineris conficiendum exposcentibus nobis, cuncta breui parata obtulerunt: nec vllo modo induci potuerunt, vt oblatum à me pretium illorum acceptarent: dixerunt enim se hospitalitatem erga omnes exercere transeun-

tes; vnde ne illorum vrbanitate vincerer; pueris quantùm pocuniæ credidi necessarium recedens dedi: & hoc non semel sed sæpe nobis euenit.

CAPVT III.

De lege, moribus, & Politica, Persarum.

CONueniunt in lege omnes Mahometani, & in ritibus in Alcorano præscriptis: sed ob diuersam aliquorum interpretationem Turcæ, & Persæ se mutuò vocant hæreticos; principalis eorum differentia in hoc sita est, quòd Turcæ Homar Mahometi successorem tanquam Dei Prophetam maximum venerantur: Persæ verò illum tanquam tyrannum abominantur; dicunt enim quòd Hali post Mahometh regnum debebatur iure hæreditario; quod tamen sibi Homar per nefas vsuparuit: & hæc indignatio Persarum contra Homar eò deuenit, vt primum quod paruulos legere & scribere docent, sit quædam maledictio, & abominatio contra illum, eiúsque sectatores: Hali verò summopere venerantur.

Non sunt Persæ tanto suæ legis zelo pleni, sicut Turcæ: cùm enim ad nos veniunt, ac de nostra & sua lege sciscitantur (sunt enim maximè curiosi) cum omni libertate respondemus, falsam esse eorum legem, & falsum esse Mahometh eorum prophetam, nec responso indignantur; sed potius mirantur, cur nos malè de Mahometh loquamur, cùm tamen ipse de Christo fuerit optimè locutus. Hæc autem apud Turcas citra pœnam capitis responderi non possent. Ieiunium, non prima die Lunæ, sicut Turcæ, incipiunt aut dissoluunt; sed prima die qua Luna apparet: publicè vinum bibunt, quod non faciunt Turcæ; imò Cha Abbas dicebat illum non esse laudabilem, qui vinum non biberat: celebrant pes plures dies quandam festiuitatem, quam vocant

vocant Sausen: hoc enim nomen est cuiusdam illorum falsi prophetæ, qui ab inimicis occisus est: illis autem diebus multi iuuenes ciuitatem percurrentes fustibus armati, Sausen mœsta ac lugubri voce identidem inclamant: præcipua autem celebritatis die in maxima Aspahani platea theatrum componunt, vbi & feretrum aptant: tunc præsente Rege lugubri veste induto, ac assistentibus ei regni Magnatibus, & infinita populi multitudine, quidam illorum Doctor totam mortis Sausen historiam voce lugubri recitat; cúmque totam finierit narrationem, omnes astantes lachrymabiles eleuant voces, pectoráque percutiunt: postea multi iuuenes mutuò lapidibus pugnant, & ille beatus ac martyr reputatur, qui in illo prælio percussus obierit; illum enim maxima pompa deferunt ad sepulchrum: semper aliqui quotannis interficiuntur: apud Arabes eamdem vidi festiuitatem celebrai.

Quantùm ad mores attinet, Persæ vt in plurimùm sunt affabiles, amici extraneorum, quos Regis hospites vocant: sunt valde curiosi, & ita faciles & idonei conuersioni, si eis permitteretur: lingua eorum est suauissima, illorum moribus conueniens: apud Reges Indos est celeberrima; in curia quippe magni Mogoris vt vulgaris habetur: in curia autem regis Persidis lingua Turcica præualuit; cùm enim Regum familia ex Ardeuilla, vbi vulgus Turcico loquitur idiomate, processerit; inde est quòd tale idioma, in memoria prædecessorum, in eorum curia perseuerat: Persæ optimi sunt equites, equo siquidem currente sagittas emittunt, eásque in terra colligunt: maxime sunt laboriosi; nam præter agriculturam, aliósque labores ad vsum vitæ necessarios, pannos olosericos ac ex auro, argento, & serico intertextos conficiunt; sicut & tapetes, tum ex lana, tum ex serico contextos. Quia Regis Abbas sæpe mentionem fecimus, vtpote qui Imperium Persarum plurimum dila-

tauerit, operæ pretium eſt, vt aliquid de eo dicatur:fuit vir maximi iudicij,vt ex rebus geſtis apparet, ſuum magno rigore populum regebat,vnde facilè & grauiter delinquentes puniebat : aliquandò patres noſtros interrogauit,quomodo Chriſtiani Principes ſuos clientes regerent; cui cùm reſponſum fuiſſet;non tãtum apud Chriſtianos exerceri rigorẽ,ſubiunxit:veſtri Principes regunt homines, ego beſtias : fuit crudeliſſimus multos enim ſine cauſa ad libitum interfecit : quadam die ceperat caſtellum , eiuſque. gubernatorem occiderat ; cumque duos paruulos eius filios aduertiſſet, adduci iuſſit , aliquandiu eis blanditus eſt , deinde accepto cultro propria manu abſciſſo collo confodit; conuerſus ad noſtros patres de tali ſpectaculo attonitos, ac horroris plenos ait, hi paruuli ſemper præ oculis mortem ſui patris haberent,& fortè vlciſcerentur:ſed non mirum, ſi crudelis in alios fuerit ; cum in proprios filios fuerit crudeliſſimus ; fertur enim quòd multos recenter natos iuſſerit occidi. Quid egerit erga ſuum primogenitum toti innotuit mundo : is erat bonæ indolis , patri addictiſſimus; & propter hoc pœna capitis plectitur ab illo, vnde laudari , & amari ampliùs ab ipſo meruerat : magnates regni ſeueritate patris indignati patrem occidêre;ipſum verò regem conſtituere decreuerant : reluctatur ipſe vt bonus filius; imò coniurationem patri reuelat:is prima vice gratias filio agit; cum autem id iterum accidiſſet, iuſſit filio caput amputari; volens ſic radicem coniurationis extirpare ; imò dixit aliquando , ſe occiſurum centũ filios ſi haberet,vt vno die amplius regnare poſſet maximè rationes ſtatus nouerat , ſuúmque regnum tali rigore optimè compoſuerat, familiariſſimè agebat cum noſtris Patribus de religione diſputans ; vnde apprimè fidei noſtræ dogmata callebat : iiſdem patribus , quos tanquam Pontificis legatos admiſerat,plurima contulit priuilegia, & beneficia , vt infra dicetur ; & præcipuo

ſemper

ſemper habuit in honore:imò quando capta Babylone pompa triumphali Aſpahanum ingrediebatur, duos è noſtris Patribus ſibi proximos habebat.

Quantùm denique ad politicam ſpectat, Rex illorum, quem Cha nominant, abſoluto & deſpotico regit illos Imperio, ſicut & alij Infidelium Principes: cui omnes inauditum præſtant obſequium: ibi Principes vocantur Mirza; duces & prouinciarum gubernatores denominantur Kan: ipſi abſolutè tanquam veri Domini prouincias adminiſtrant; tributum tamen à Rege taxatum ſoluunt, & tempore belli determinata militum millia ſuis reditibus in exercitu regio ſuſtentant: adminiſtrator Gazæ regiæ dicitur Viſir, qui etiam Aſpahanum gubernat, dum Rex abeſt: Iudices dicuntur Darogo, hi vno die ſolis fuſtibus, & multa pecuniaria implicatiſſimas etiam dirimunt lites; vnde nec cauſidicis ſiue aduocatis, nec notariis egent: qui enim alium accuſare vult, debet reum & teſtes ſimul adducere, qui voce tenus deponentes nihil in ſcriptis relinquunt. Illorum Epiſcopi vocantur Mophti, qui circa legalia maximæ ſunt authoritatis; Vicarius, vt ita dicam, generalis nominatur Cadi, eius eſt adminiſtrare matrimonia, autenticas ſuo ſigillo & ſubſcriptione reddere ſcripturas; illorum Doctores vocantur Moula, ipſorum autem doctrina in notitia linguæ Arabicæ, & in cognitione fabularum ſui Alcorani conſiſtit; quamuis præcipuè Syraſi publicas moderentur ſcholas, vbi aliquid Philoſophiæ, imperfectè tamen addiſcitur: ſolent hi etiam mittere ſortes circa futura dignoſcenda, híſque multam adhibent fidem habent ſuos religioſos, quos Deruiſe ſiue Calenter nominant; qui non viuunt in communitate, ſicut viuunt apud Turcas; ſed diuagantur per ciuitates, & ſola pelle aut aliis veſtibus induti, quæ potius ad riſum, quàm ad deuotionem excitant.

Lingua Perſica eſt ſuauiſſima & facilliſſima, deſcen-

dens ex Arabica; ſimilis ei in vocabulis, ſed in modo pronunciandi diſſimilis; vrbanos illorum mores, ac naturam humaniſſimam ſua exprimens dulcedine; ſicut nimia linguæ Arabicæ ruditas Arabum feritatem, & nimia Turcicæ grauitas Turcarum exprimit arrogantiam. Quędam mirabilia in Perſide videntur: homines quippe nent, mulieres terram fodiunt, ac inſtar hominum ordinariè equitant parietes fiunt ex lapidibus, claues ex ligno.

Perſæ maxima tenentur erga ſuas vxores zelotipia: propterea in ſuis domibus, ad interiorem illarum partem, pro eis habitacula conſtruunt, vbi perpetuo quaſi carceri mancipatæ morantur: nullus homo; niſi fortè ſit eunuchus, illuc ingreditur; ideò *Aràm* id eſt locus prohibitus nominatur: quòd ſi iter agant, & ſuas vxores velint ducere, illas in cunis ex omni parte contextis, ſupra camelos imponuǹt, ſunt homines qui eos præcedant, quìque omnes iter agentes obuiam repertos è via cogant recedere: ſed hoc maiori diligentia obſeruatur, quando Rex ſuas deducit mulieres, aliqui enim ex eunuchis, quos ad mulierum cuſtodiam & ſeruitium adhibet, multo tempore illas præcedunt, qui admonent iter agẽtes, ne vltra procedant, ſed ab illa recedant via: deinde antequam ipſæ compareant, alij præcedunt, qui ab itinere remoueant illos, qui fortuitò irrepſerint: ſed tertij, qui illas immediatè præcedunt, quoſcumque obuios repererint, fuſtibus cedunt; & ni recedant, protinus occidunt.

Iiſdem pene veſtibus vtuntur Perſæ, quibus alij Mahometani: ſed præ aliis caput maximè ornant, telíſque ſericis auro & argento variegatis contegunt; cùm tamen alij Mahometani telis goſſipij tenuiſſimis tantum vtantur: illud etiam cingulum, quo renes præcingunt, eſt maximi pretij, & in his duobus eorum vanitas apparet: aliæ enim veſtes ex ſolo panno, vel ſerico ſimplici

plici fiunt: habent ſubligacula & tibialia ex panno; induſium ex tela goſſipina, non candidum ſed varij coloris; ſupra quod eſt veſtis, cuius dexteram partem ſiniſtræ ſuperpoſitam, quibusdam in latere ſiniſtro ligulis aptant: domus vt plurimùm ex lateribus crudis conficiuntur; intus tamen auro & cœruleo colore exornantur, ac ſternuntur tapetibus, ſuper quos ſedent, & manducant more aliorum Orientalium.

CAPVT IV.

De Mahometanis Indicis.

LVes Mahometana pene totum orientem peruaſit nam præter imperia Turcarum, Arabum, & Perſarum de quibus egimus: præter regna Monibaſſæ, Melindi, Chiloæ, & alia orientalis Africæ; præcipua pars Indiarum eius veneno tabeſcit.

Imperium Mogoritanum, quod aliis Indicis præeminet, Mahometis religionem colit: magnus enim Rex Mogoritanus Ayman Pathxa ſiue Homayon in Perſidē confugit, vbi conceſſo auxiliari exercitu pērditum reſtituit regnum; & vt promiſſis ſtaret, Mahometanus efficitur, Principes illius, prouinciarum Gubernatores, Duces, Nobiles, ac pene Miniſtri omnes eandem Mahometis legem profitentur: in hoc imperio mixti Gentilibus Mahometani degunt; nam alicubi ciuitates integræ, & oppida ad Mahometanos pertinent; alibi ad Gentiles; alibi ex vtriſque componuntur.

Sequitur regnum Dialxa, ſiue Dialkan Mogori tributarium, Inſulæ Goanæ adiacens, quod eadem captiuatur lege Mahometis; ibi etiam mixti Gentilibus ſunt Mahometani.

Deinde ad Auſtrum ſuccedit regnum Cochim, Luſitanis benè affectum, cuius Rex & præcipua populi pars Mahometem veneratur: huic adhæret regnum Samo-

rinum, iisdem Lusitanis infensissimum, quòd speciali Mahometicæ legis zelo flagrans Christianos dirè persequitur,& quotidie multos afficit martyrio.

Omnes penè maris Indici Insulæ hac peste laborant; sicut Maldiuæ, quæ Regem suum nuper ad Christi fidem conuersum expulerunt; cuius filij pij parentis exemplo malunt regno, quàm fide Christiana priuari. Insula Sumatra, cuius Rex Christiani, & Lusitani nominis acerrimus & infensissimus hostis, Christi fideles vexationibus, & aliquandò crudelissima morte ad Mahometis legem peruertere conatur. Insula Ceylan,cuius licèt ora maritima Lusitanis subiecta Christum agnoscat: interior tamen pars in plura regna diuisa,vt Candy, Vuæ, &c. Mahometem veneratur: vnde eius populi, tum causa religionis, tum ratione status Lusitanos continuis infestant bellis, & subiectos Lusitanis alios insulanos in rebellionem excitant; & captiuos Lusitanos diris tormentis excruciant. Insula Iaua maior à Sumatra non longè dissita,cuius Rex Matarron nominatur, & Mahometicæ legis subiectus Christianos odio prosequitur,& maximè Batauos; quia ipso inuito Ciuitatem Iacatoram in eadem Insula captam, & muris, castróque fortissimo munitam possident, quam sæpe iteratis frustra obsidionibus à Batauis recuperare tentauit; imò cùm ex Indiis discessi, libertatem conscientiæ in fauorem Christianorum concessisse didici; vt sic Lusitanos in societatem alliceret, & ipsis vnitus communes hostes Batauos ex illis partibus eiiceret, penitúsque deleret.

Sunt in Indiis alij Mahometani pessimi,& Christianorum hostes sæuissimi; videlicet piratæ dicti Malahares, in ora maritima regni Samorini degentes, de quibus agetur libro vltimo capite secundo: hi miseros captiuos, tum vt pretium redemptionis extorquant, tum vt cogant fidem Christianam abiurare, & legem

Maho

hometanam amplecti, miris vexant tormentis, & rimos afficiunt martyrio.

Hæc peruersa Mahometis religio Indias transgressa, ue ad Moluccas peruenit Insulas: audiui quòd Rex ebes Insulæ inter Moluccas celebris, gentiles ritus, ore rationi dissentaneos, & contemptibiles, ac vt rimùm ridiculosos fastidiens, & legem in melius tare desiderans; Legatos misit, tum ad Christianos, 1 ad Mahometanos sibi proximiores, cum hac ani- determinatione, quòd legem illorum, qui primò ac- erent, siue Christiani, siue Mahometani, amplecte- ır: malo ipsius, totiúsque populi prius accessere Ma- netani proximiores, qui integram Insulam falsis gmatibus imbuentes Mahometanis ritibus initia- t: non desunt alia regna, aliæque prouinciæ Maho- ticis institutis subiectæ, tum in Indiis, tùm in aliis tibus orientalibus: sed hæc breuiter indicasse suffi- :, ad aliqualem horum infidelium notitiam.

CAPVT V.

De lege, & moribus Gentilium Indiarum Orientalium.

MVlta in hac materia dicenda occurrerent; sed breuitatis causâ pauca seligemus: plures de sua gine ac religione fabulas confingunt Gentiles mul- licitatem deorum admittunt, inter quos celebres ıt Crisna, Probrama, &c. quosdam ex suis diis cor- re humano cum capite Elephantis depingunt, alios n pedibus ad instar Lunæ nouæ, aliis denique por- tosis exprimunt figuris, vel etiam simiæ, vel mulie- : in ciuitate Diuiensi est templum Idoli, quod vo- ıt Calangani; & Chaüli est aliud nomine Crama- ſen: hoc vltimum vidi; est capella non magna, ıltis hinc inde idolis plena; in medio est ædicula muris

muris vndique cincta, ſola ianua ad illam intratur, intus videbatur lampas ardens, & quidam ex illis pſeudoreligioſis: ibi enim orationis cauſa diutius includuntur: extra illam capellam erant tria aut quatuor oratoria, aliis idolis dicata; ſed ante fores capellæ erat figura vaccæ lapideæ, quam præcipuo venerantur honore: ante hæc oratoria eſt locus ſatis amœnus, præcelſis ac patulis conſitus arboribus, eſt etiam magnum aquæ receptaculum in quadro politis lapidibus, adhibitis circumquaque lapideis, ad deſcendendum in aquam gradibus ædificatum: ſubtus arboribus ludentes reperi quatuor aut quinque Iogues idolorum religioſos, omnes habebant crines cineribus plenos, valde longos, ac variè manipulatim intertextos; ita vt angues ex capitibus perdentes apparerent: ibi erat vnus ſedens ſuper cinerem, quem à duodecim annis nunquam locutum fuiſſe iactabant. Verum quidem eſt, quòd magnos per aliquod tempus exercent rigores, ſed hoc tempore præterlapſo ſe omnibus tradunt immunditiis: Plures ex his ſunt peregrini; ſed quotannis die ſtatutâ congregantur in Ciuitate Cananor ſuperiori, vbi ſuum eligunt ſuperiorem: emendicatis viuunt eleemoſinis; ſunt & alij religioſi dicti Verteas ſimul conuiuentes, veſtibus albis induti, capite nudo, barba euulſa, valdè pauperes, à mulieribus ſeparati, qui calidam aquam bibunt, & incedentes ſcopant vicos, ne minima conterant animalia.

Magno ac diuino cultu gentiles Vaccam venerantur; vnde ſi quis mane domo exiens vaccam primò habens obuiam, ſe fœlicem hac die futurum credit: ſi illam mingentem videat, ſe eius vrina manibus excepta, ſicut Chriſtiani aqua benedicta, perfundit: ſi moriens caudam vaccæ manibus tenere poſſit, non minus fœliciter, quàm Chriſtiani lucrati Iubileum, mori ſe arbitratur: quotannis Gentiles vaccam cum Tauro matrimonio

onio magna festiuitate copulant, tantóque veneran-
honore, vt licèt ad fidem Christi conuertantur;
nquam tamen præ naturali horrore carnem vaccæ
nedunt: inter alia solemniora iuramenta vnum est,
gentiles gladium supra caput vaccæ quasi eam occi-
i teneant; quodlibet potius detrimentum patien-
, quam ad hoc iuramentum deuenire cogantur.

Gentiles animarum transmigrationem, etiam in bel-
na corpora credunt: inde est quòd nihil comedunt
his quæ vitam habent, scilicet nec aues, nec pisces,
beltias campestres; imo aliqui eò deueniunt scru-
li, vt nec herbas rubeas quasi sanguineas attingant:
de solùm comedunt orizam, lac, legumina, fructus
ræ, & similia; quamuis aliqui non ita scrupulosi
nos & arietes comedant, dicentes eos esse fructus
ntium: nullum etiam nociuum animal, puta serpen-
n, occidunt: vidi vnum viginti circiter palmorum
gitudinis ad quamdam domum ingredientem, ha-
atoribus id patienter ferentibus; imò si videant
ristianos velle occidere aliquod animal, oblato pre-
sæpe à morte liberant: vnde contingit, quòd pueri
bentes passerem, aut aliam volucrem adeunt genti-
, minantur se occisuros, ni aliquid tribuant; & sic ab
s pecunias extorquent in ciuitate Cambaïa, vt à te-
ous oculatis audiui, est Xenodochium volucrum &
imalium; vbi animalia, quæ inuenta fuerint læsa, cu-
ntur, ibíque ad comedendum cibi administrantur;
ut & volucribus, quæ ad sonum campanulæ congre-
ntur.

In templis Gentilium adhuc mira à dæmonibus pa-
ntur, vt ita miseros illos decipiant: in templo ma-
nco quod est in ciuitate Nagana propè regnum
ndi; vt à nostro religioso teste oculato audiui, est qui-
m lapis rotundus, qui seipso arte dæmonis voluitur.
regno & ciuitate Sion est templum, in quo sunt
idola

idola figuræ humanæ magnitudinis portentosæ; vix enim altissimo templo contineri possent, vt audiui à nostro V. P. Dionysio martyre de quo infra: sunt aliqua templa; in quibus mulieres etiam nobilissimæ in prouentum idolorum se aduentantibus prostituunt.

Inter Gentiles paruuli & paruulæ vix vsu rationis tamen fruentes matrimonium contrahunt: bigamiam tamen non admittunt: in India gentiles albis induuntur vestibus ex tela gozipina confectis, eisdémque telis subtilissimis & albis caput inuoluunt: aliquandò vestes superesfuso flauo colore conspergunt, frontem vero sandalo rubro liniunt; funiculúmque triplicem nodos aliquos habentem, suæ religionis protestatiuum ferunt; qui si frangatur, non prius comedunt, quàm illum refecerint.

Nobilitatem prosapiæ plurimùm æstimant; nobiles enim etiam pauperrimi cum aliis inferioris notæ etiam ditissimis non nubent: contigit in ciuitate Tatta, quòd vnus Gentilis ditissimus multa nostris patribus illic residentibus contulerit beneficia; Patres in signum grati animi ipsum rogarunt, vt aliquid fauoris peteret, vellem inquit, vt filia illius Gentilis (proprio indicans nomine, qui etiam nobis plurimùm conferebat, & erat pauper) meo filio nuberet, cui cùm Patres facillimum fore respondissent, adeunt illnm Gentilem, negotium proponunt: is etsi pauper illã propositionem fastidiens repulsam dedit. Comburunt Gentiles mortuorum cadauera, sæpè odoriferis lignis ignem excitantes: sed quod mirandum & deflendum est, cogunt vxores se præcipites dare in illum rogum, vbi mariti corpus concrematur, dant illi quid ad manducandum, quo imaginatio perturbatur, & census confunditur, deinde magna parentum & amicorum circunstante turba, circa rogum discurrit, denique se in illum coniicit: si tardet, à parentibus coniicitur; tota enim familia simili casu

caſu honoratur; ſicut dedecore notatur, ſi ſe in ignem iacere recuſauerit: euenit quadam die, vt dum quædam mulier iuuenis circum ignem], in quo mariti corpus cremabatur, gyraret, & ſe intra proiicere cogeretur, venerit in illas partes nauis Luſitanorum, quam illa videns rapidiſſimo ad illam curſu fertur, auxilium poſtulat, à morte iam imminenti liberari precatur; illi miſellæ ſuccurrentes ad nauem deducunt, aliò deferunt, ibíque Chriſtiana euaſit.

Præter generalem deorum multitudinem omnibus Gentilibus communem, propria ſunt aliquarum prouinciarum numina: nam in regno Syon fuit Elephas albus, qui ibi vt Deus colebatur, vt retulit mihi idem V. P. Dyoniſius martyr, de quo infra, qui in illo fuit regno: in alio autem adorabatur Simia, cuius demortuæ dens vnus, pretioſiſſimæ inſtar reliquiæ conſeruabatur: accidit autem, vt Luſitani in quadam irruptione illum raperent, ac Goam deferrent; quod illam gentem ſummo affecit dolore, cuius Princeps miſſo ad Luſitanos Legato, magnam auri copiam pro dente redimendo, adhibitis etiam ſummis precibus obtulit: ſed Prorex Luſitanorum, quamuis alij ſecùs ſuaderent, vocat Legatum, oſtendit ei dentem, ab ipſo agnitum iuſſit in mortariolo comminui, ac in puluerem redigi, ipſúmque puluerem vento ſpargi; eligens potius hoc auro priuari, quàm idololatriæ nouum obiectum reſtituere.

CAPVT VI.

De aliis Gentilibus orientalibus.

GEntilitas multùm per Orientem dilatatur, ab vltimis Africæ partibus vſque ad vltimum Chinæ regnum: in Africa ſunt Gentiles, quos hîc vocamus Æthyopes; ſed immeritò, Æthiopes enim ſunt Chriſtiani,

stiani, licèt Schismatici: deinde sunt coloris quidem nigri, sed tamen vultum optimè formatum habent; vnde illi alij gentiles à Lusitanis, vocantur Cafres, quod Arabicè idem sonat, ac Latinè infideles; verè enim sunt infideles, nullam quippe habent fidem, ac more belluarum viuunt, & aliqui tanta cum feritate, vt syluas incolant, carnem crudam comedant, imò homines occidant, ac eorum vescantur carnibus; præcipuè Imbij, & hi dentes limatos ac acutos, vt vidi, habent: quin imò eo impietatis deueniunt, vt patrem suum iam senem super arborem collocent, ipsam arborem excutiunt; si non cadat, deponunt; si cadat vt fructum iam maturum, comedunt: vnde non minus difformes sunt moribus & animo, quàm corpore. Chinenses sunt albi, vultu vt plurimùm rotundo, plano, oculis paruis, capillis reticulo collectis, barba rara; eius quippe capillos euellunt: sunt maximæ industriæ, vt ex eorum patet operibus, Typographiam enim adinuenerunt: perfectam habent politicam, omnes laborant, nullus mendicat; & quamuis Gentiles, Deos colant; tamen cùm aliquid non benè succedit, eos irrident: non crudeles, potiùs ignaui: hæc, tantùm occasione gentilitatis, dicta sint; multa enim & mirabilia de illis dici possunt.

CAPVT VII.

De Sobbis, siue Mendais.

IN Arabia felici, eique adiacente Perside sunt quidam populi, qui se inuicem vulgò vocant Mendai, ab Arabibus vocantur Sobbi; à Lusitanis autem dicuntur Christiani sancti Ioannis; quamuis verè Christiani non sint: hi peculiari suis in libris idiomate vtuntur, quod dicunt esse Chaldæum corruptum, à Nestorianis descendisse præsumuntur: solúm in Bassorana ciuitate & circumiacen

cumiacentibus vrbibus & oppidis; videlicet Aucsa, Argia, Daurcca, Gesacr & aliis reperiuntur: sunt deuotissimi S. Ioanni Baptistæ, quem sua lingua Iaïa ben Zacharia, siue filium Zachariæ vocant & conceptum esse ex aqua fabulantur: sunt infensissimi & acerrimi Mahometanorum inimici, quos à Noë & Dæmone generatos asserunt: in suo baptismate, quod sæpè quotannis iterant, non vera vtuntur forma; sed tantùm dominica præcepta baptizato pronuntiant: suos habent sacerdotes, more orientalium matrimonio iunctos, quos Cansçuros appellant: sunt Christianis plurimùm affecti, & ad terras Lusitanis subditas animo perfectæ conuersionis, Patribus nostris qui in ciuitate Bassorana commorantur suadentibus, transmigrare diu procurarunt; imò iam ex parte multi executi fuerant; sed Dæmonis inuidia à cœpto desistere sunt compulsi, vt infra dicetur lib. 9. cap. 5. vbi de ipsis iterum sermo redibit.

CAPVT VIII.

De Iudæis Orientalibus.

DIspersi in toto Oriente Iudæi reperiuntur, núsquam Domini, vbique serui; nec minus in Oriente, quàm in Occidente vexati: vt in pœnam maximi omnium sacrilegij, in Christi Domini dira crucifixione ab ipsis patrati, Sanctorum Prophetarum implerentur vaticinia, quibus prædicitur ipsos è Iudææ regno eiiciẽdos, in omnes terras dispergendos; sine Rege, sine templo, sine sacrificio futuros, plurima incommoda & mala passuros, quæ omnia in eis conspicimus esse completa: nam & rari sunt in Palæstina; vix enim ibi præterquam in Hebron & Sephet, & aliqui reperiuntur inter omnes nationes quasi aduenæ & peregrini, sunt omnibus ludibrio; ita vt contra eos omnis creatura conspirasse videatur.

Omnibus noti ſunt Iudæi, eorum obſeruantiæ in ſacris litteris habentur expreſſæ: in hoc omnes errant, quod Meſſiam futurum expectant, nondum aduenisſe credentes: ac proinde præcepta cæremonialia, quæ ipſum prænunciant, adhuc obſeruant. Tres huius erroris ſunt cauſæ præcipuæ: prima, quòd omnia ſcripturæ loca circa Meſſiam literaliter interpretantur, cùm plura tantùm myſticè ſint intelligenda. Secunda eſt, quòd vtrumque Saluatoris aduentum confundunt; vnde cùm videant nondum completa eſſe, quæ de vltimo glorioſo dicuntur, negant primum humilem. Tertia tandem eſt, malitioſa obſtinatio & odium originale, vt ita dicam in Chriſtum: quamuis enim ex Prophetis euidenter concludatur omnia completa in Chriſto Ieſu, quæ promittuntur de Meſſia; quod etiam ipſe Pilatus aduertit, vt conſtat ex eius epiſtola ad Tiberium Imperatorem directa: hæc tamen omnia reiicit obſtinatio, odium peruertit; eóque deuenit, vt non defuerint peſſimi Iudæi, qui malitioſè dixerint ſe perpetuis affligi pœnis; quia vnus ipſorum (Chriſtum intelligunt) ſe Deum fecerit: cùm tamen potiùs præmiandi, quàm puniendi eſſent; quandoquidem ipſum zelo diuini honoris, vt putant, tam dirè crucis ſupplicio affecerint: vnde non mirum, ſi communiter Theologi cum Doctore Angelico doceant, neceſſariam ad credendum eſſe piam affectionem; verè enim pia affectio omnia in bonum; odium autem omnia in malum interpretatur.

Iudæi orientales ſunt in duplici differentia; alij ſunt cogniti, alij ſecreti: cogniti ſunt inter Turcas, Arabes, & Perſas diſperſi; Iudæi autem ſecreti inter Luſitanos reperiuntur.

In tota Syria; maximè in ciuitatibus, vbi viget commercium, plurimi commorantur, Aleppi facilè ab aliis diſcernuntur: nam deferunt togam oblongam violacei,

vel

vel cærulei coloris, cum birreto eiuſdem coloris in ſummitate ſtrictiori; vidi & eorum ſynagogam in ciuitate Anna in medio Arabiæ deſertæ: vidi etiam in Arabia fœlici in ciuitatibus Baſſoræ, & Maſcati: quos audiui frixis ibi veſci locuſtis: vidi in Perſide in ciuitate Lara & aliis, ac tandem pene in omnibus regionibus, quas pertranſiui: ita vt hæc viperarum genimina, vt ſancti Præcurſoris verbis vtar, vbique reperiantur: hi ſunt Iudæi cogniti, & Iudaïzantes:

Iudæi ſecreti plures ſunt in Indiis inter Luſitanos latitantes, proptereа peiores & magis nociui. Tradunt Luſitani, quòd Iudæi ex Hiſpania pulſi in regnum Luſitaniæ receſſerint, cúmque ibi Iudaïzare publicè non permitterentur, fingunt ſe Chriſtianos fieri, & baptizari velle; ſed hypocritæ & ſeductores exterius Chriſtianam legem profitentur, interius autem lupi rapaces Chriſtum inſequuntur, ſuóſque filios Iudaïcam legem edocent, ſícque hæreditaria ſucceſſione ad hæc vſque tempora peruenerunt: à Luſitanis dignoſcuntur, & Chriſtiani noui vulgò nominantur, & in deriſum Equites montis Caluarij: ſed proh dolor! plus nocent occulti, quàm noti, cùm enim baptizati Chriſtianis annumerentur, cum veris Chriſtianis matrimonia contrahere permittuntur; & cùm pecuniæ cuncta obediant, etiam nobiles implicantur: tunc filij procedentes, ſiue ſolus pater, ſiue ſola mater ſanguine Iudaïco etiam minimùm inficiatur, ſuis parentibus in hac re peiores exiſtunt; & ſic in illis regula logicalis eſt vera, quod concluſio ſequitur deteriorem partem, & niſi ſacræ Inquiſitionis vigilantia, multis eorum ſingulis annis igne conſumptis, obſtaret; hæc lues in omnes ſerperet.

Quantùm ſit eorum in Chriſtianos odium, nouit qui publicis ſacræ Inquiſitionis actibus interfuit: ibi audit Parochos ex illis aſſumptos nunquam verè ſacramenta adminiſtraſſe, ſed fictè deluſiſſe ſuſcipientes; ibi

audit Medicos venenatis remediis infirmos necare; ibi denique, vt paucis concludam, audit aliquos nullum diem transigere, quin aliquod nocumentum Christianis attulerint, credentes se in hoc obsequium Deo præstare: possem in hac materia propemodum infinita ferre exempla; sed pro omnibus sit hoc vnicum.

Legi in quodam libro Lusitanè conscripto, quòd cùm Iudæi ex Hispania pulsi, in regnum Lusitaniæ recederent: vnus ex ipsis Christianum rogat amicum, vt se causâ securitatis vsque ad Castillæ limites comitaretur: hoc illi Christianus obsequium amicitiæ præstat, cúmque inuicem essent separandi, & Iudeus amico Vale diceret, sic conclusit: scis, quanta inter nos fuerit amicitiæ necessitudo, quasi fratres credebamur: scis, quòd quandò tibi maiora beneuolentiæ signa dabam, te capitali odio in corde prosequèbar, veritate cogente loquor; hoc vnicum à te separandus, in præmium tot beneficiorum à te mihi collatorum, præbeo documentum: noli Iudeo cuicumque, quamuis amicus tibi videatur, vnquam fidere, dictóque Vale recessit.

LIBER



LIBER SEPTIMVS ITINERARII

In quo

Peculiares ſpecies animalium arborum, & fructuum Orientalium declarantur.

CAPVT PRIMVM.

De Elephantibus.



Erito ò ſanctus Areopagita Dionyſius inter aurea ac myſtica ſua protulit effata, quòd ſupremum infimi attingat infimum ſupremi: hoc maximè in Elephantibus apparet, qui ad diſcurſum ac iudicium humanum plurimùm accedunt. Licèt enim ſimiæ in multis homines imitentur, propter quod Cafres ſolent dicere, quòd ſimiæ non loquuntur, ne laborare cogantur: attamen ſi Elephantibus comparentur, brutiſſima videbuntur animalia; honeſtiſſimi enim ſunt; ſe vt dicitur, videri non patiuntur, dum ad fœminam accedunt; quòd ſi quis in caſu viderit, niſi aufugiat, ab illo occidetur, ſunt animalia altiſſima, ſatis grauia, ac difficillimè in gyrum mobilia: velociter tamen currunt, nec in ſuo curſu percipiuntur; non enim

vngulam, ſed callum ſub pedibus habent; oculos adinſtar bouis magnos apparentes habent, ſed tantæ moli corporis improportiònati ac parui ſunt; aures habent valde latas; ita vt; qui eorum curam gerit, ſupra illas ſedere poſſit; proboſcim extenſam ac ſolum pertingentem habent, infernè ſtrictiorem, supernè latiorem, vacuam per totum: in vltima eius parte eſt carnis particula, quą conſtringit; quæ apprehendit: fortitudo Elephantis conſiſtit in Proboſce, hac trahit ingentia, vel impellit onera, ac vtitur quaſi manu ad cibum capiendum, vel aquam hauriendam, quæ omnia, reflectendo ipſam, ſuppoſito ori deponit; hæc eſt cibus ad comedendum delicatiſſimus; ex vtraque oris parte præter interiores dentes, ſunt illi duo eburnei, maximæ longitudinis, exterius prominentes, in ſummitate concaui, in extremitate ſolidi & acuti; vidi aliquos octo circiter palmorum longitudinis; Elephas genua inflectit, cuius contrarium aliqui ſcripſerunt; imò illis flexis, ſicut & dimiſſo capite ſalutat, & pedem ſuo gubernatori aſcendere volenti, quaſi gradum, præbet: multa, quæ ſubiungam, fabuloſa forte ab aliquibus iudicabuntur; ſed ex his quæ vidi, certiſſima eſſe iudico; præſertim cùm publica illorum relatione perceperim, qui quotidie ſimilia vident.

Capiuntur Elephantes duplici viâ; vel foueas eis parando, in quas ramis arborum tectas incauti incidunt; vel venatione, quæ hoc modo ſuccedit: dicunt, quòd in inſula Ceilam, vbi eſt maxima Elephantum multitudo, qui venationi & eorum capturæ inſiſtunt, habent Elephantes fœminas, quas vocant *Alias*; hi quandò ſciunt in aliquo loco Elephantes agreſtes diſcurrere, eò tendunt, duas ſecum ducendo Alias, quas viſo Elephante dimittunt; illæ hinc inde accedentes medium illum tenent, ac ita conſtringunt, vt effugere nequeat: tunc accedit venator, Elephantem captum ligat pedibus, deinde

inde coram facie apparens salutat, se excusat quòd eum ligauerit, asseuerans se hoc non in damnum, aut contumeliam eius fecisse; sed potiùs in bonum ac vtilitatem; subiungens ac obiiciens ei, quòd ante in mediis campis inter Solis ardores, ventos & deficientibus sæpè necessariis ad victum vagabatur; imposterum verò se curam eius domi habiturum promittens: his ita gestis tanquam mansuetissimus agnus sequitur: non inde inferendum est, quòd linguas intelligat; sed tantùm quòd ob perfectissimam æstimationem, affectus hominum erga se, honoris vel vituperij, amicitiæ vel inimicitiæ, aliósque percipiat; & propter hoc non tam verberibus; quàm rationibus domatur. Omnes alij Elephantes, illos qui in insula Ceilam nascuntur, tanquam inter ipsos nobiles, ac principes reuerentur; & propterea hi plusquam alij ab Indiarum Regibus æstimantur.

Quando Elephantes ad bella ducuntur, duplici ministerio deseruiunt; vel enim parua eis imponitur lignea Turris, ex qua aliqui milites desursùm præliantur: vel eorum probosci gladius catenis ferreis alligatur, ac ita in exercitum contrarium dimittuntur, quem generosè aggrediuntur, ac sine dubio dissiparent, nisi lanceis igniuomis repellerentur; cum enim Elephantes ignem metuant, in summitate lancearum ignem artificialem præparant, quo fugantur Elephantes.

Priusquam aliquas de Elephantibus historias enarrem, quæ in Indiis nostro sæculo contigerunt, quas à testibus oculatis & fide dignis accepi; quæ ipse meis vidi oculis, præmittam: semper sunt Goæ aliqui Elephantes, constructioni nauium deseruientes: Veni quodam die ad littus fluuij, prope quem nauis ingens construebatur, in ipsa Ciuitate Goa; ibi est platea maxima, trabibus ipsi nauium constructioni deseruientibus plena; homines ligabant fune aliquam trabem in

ſummitate, deinde funem Elephanti proiiciebant, qui eum ori imponens, ac duplici ductu proboſci circumuoluens, ſolus ipſe ſine ductore, ad locum vbi nauis conſtruebatur ſemel ſibi monſtratum, trahebat maximam trabem, quam viginti & forte plures homines non poſſent trahere; ſed quod maiori dignum admiratione vidi, fuit; quòd dum in itinere trabes aliæ occurrebant, quæ impedirent, ne ſuam traheret, ſuo pede ſubmiſſo extremitatem trabis eleuabat, vt ita ſupra alias curreret: quid amplius faceret homo iudicij compos?

Contigit, vt cuiuſdam Elephantis Dominus oſtenderit Elephanti cacabum fractum, hoc ſigno cauſam afferens, cur ei orizam non coqueret, arripit cacabum Elephas, defert ad fabrum ferrarium; ſolidatum ſed malè, refert (effluebat enim aqua) quod aduertens Elephas, iterum ad fabrum defert, refectum accipit, ad aquam pergit, cacabum replet aqua, quam videns non effluere, domum retulit.

De alio refertur, quòd dum Goæ ad potandum iret; viſus à quadam muliere in feneſtra conſiſtente deriſus eſt, quod aduertens Elephas, ac memoria retinens; vbi aquam ſibi neceſſariam potauit, proboſcim ſuam aqua replet; deinde rediens, illámque mulierem adhuc in feneſtra perſeuerantem aſpiciens, effuſa illam perfudit aqua: vidi & fontem, & feneſtram vbi hoc accidit.

Erat quidam Elephas Goæ nomine Pericco, qui ſolebat in quadam domo, quam ſæpè vidi, aliquam vini portionem accipere, cum illuc tranſibat: contigit, vt quadam die fureret, & elapſum multi inſequerentur; vbi peruenit ad illam domum, omnibus præ timore eius aufugientibus, relictum à matre paruulum eiulantem inuenit; illum ab Elephante diſcerpendum mater formidabat; ſed Elephas beneficij memor paruulum accipiens, ac ſupra tectum domus eleuans (ſunt quippe
in

in India plures domus superiora non habentes habitacula) positis circum tegulis, ne caderet, constituit; ne insequentium pedibus conculcaretur:

Illatas sibi Elephantes vlciscuntur iniurias: contigit in ciuitate Tatta, vt audiui à quodam nostro Religioso, qui tunc in illa ciuitate erat, quòd quodam die Gubernator ciuitatis iusserit adduci coram se omnes, quos alebat, Elephantes: erat ipse cum aliis nobilibus in quadam porticu superiori; Elephantes verò in area palatij: de singulis decreuit, quid faciendum erat, vbi peruenit ad vnum iam senem & malè habentem, iussit vt tanquam inutilis dimitteretur; quod aduertens Elephas furore percitus, ascendit supra locum paulò eminentem, àc extensa proboscе Gubernatorem arripere tentauit; sed eius fuga delusus furibundus exiuit, multa causans hinc inde nocumenta; nisi vestis Gubernatoris fuisset tenuissima, de eius vita actum erat; nam Elephas vestis ipsius fugientis extremitatem arripuit ac trahens lacerauit. De alio dicitur quòd à suo domino percussus illum occiderit; supra eius pectus ponens instrumentum; quo ab eo fuerat percussus.

Voluit quidam Prorex Lusitanorum mittere vnum Elephantem in munus cuidam Regi; ille qui Elephantis curam habebat, nolens priuari hac vtilitate, suasit Elephanti ne iret; asserens hoc in maximum fore ei dedecus; si à ministerio maximi Monarchæ Hispaniarum Regis ad alium Regulum mitteretur: vim rationis percipit Elephas, dum nauis imponendus est, ire renuit; mirabantur omnes, quid causæ esset ignorabant: donec recognita Prorex euocat Gubernatorem Elephantis; suspendium minatur, nisi Elephanti eundum persuaserit: tunc ille mortis metu contraria via aggreditur Elephantem, asserens illum Regem, ad quem mittendus erat, esse maximum; & quòd honori Hispaniarum Regis intererat, vt ipse iret, quò mittebatur,

&

& quòd melius ibi excipiendus esset ; his dictis statim nauim ingreditur.

Contigit pariter dum essem Goæ , vt vnus simili modo missus , vt Regi Dialkan offerretur, ire noluerit, donec socium simul ire concesserint : Alius autem cùm inuitus naui fuisset impositus, se præ rabie in mare proiecit , vbi suffocatus est.

In ciuitate Cochin erat tormentum bellicum ingens, quod alio Lusitani transferre volebant ; adhibentur multi homines ; sed illud mouere non possunt ; adducitur Elephas , ei intimatur quid sit agendum , proboscæ tormentum conatur impellere , sed immobile persistit : tunc Gubernator Elephantis iratum se simulans, exprobrat ei eius ignauiam, asseuerans ex hoc maximo afficiendum esse dedecore : Tunc Elephas proprij zelo honoris omnes vires , neruósque contendit, proboscim tormento submittens tanto impellit impetu , vt statim crepuerit.

Quis hæc certissima audiens , dubitet de aliis similibus , quæ de Elephantibus referuntur ; De vno enim dicitur , quòd à suo domino, quandàm ad victum mensuram orizæ taxatam haberet ; sed dimidia pars à seruo, cui eius cura fuerat demandata , retinebatur : contigit quadam die ; vt Dominus illi comedenti voluerit assistere , affert seruus mensuram integram ; sed Elephas illam diuidens in duas partes , partem tantùm sibi dare solitam comedit, aliam relinquens intactam ; quod Domino magnum causauit stuporem , ac mysterium sciscitatus seruum ad rei veritatem detegendam coëgit.

Elephas sua probosce lapides recta ac procul dirigit, ipsa aquam effundente corpus suum lauat : pili eius, maximè postquam senuerit , ab aëre corrupto gestantes liberant, illum ad se trahentes. Fuit in Indiis vnus Elephas albus , qui tanquam Deus à Gentilibus adorabatur. Nullibi tot reperiuntur , quot in interiori Africæ

parte,

parte, vt apparet ex infinitis eorum dentibus, qui inde asportantur: Occiduntur autem sic, illi Barbari, arbores ascendunt, iuxta quas transituros credunt Elephantes, inde transeuntes lancea perfodiunt, deinde elapso aliquo tempore vestigia sanguinis effusi sequentes, ad Elephantem sanguine exhaustum, ac mortuum perueniunt, illius carnem ibi comedunt, eiúsque dentes Lusitanis vendendos deferunt.

CAPVT II.

De Camelis.

CAmelorum naturam, & proprietates per duos menses, quos in traiectu ab Aleppo vsque Babylonem consumpsi, mihi contemplari licuit: vnde in eius descriptione aliquantulum immorabor.

Nullus est, qui vel ipsos, vel eorum figuram videns altitudinem, collum valde extensum, & dorsi gibbum non aduerterit; eorum natale solum est Arabia; quamuis enim alibi, non solùm aduentitij, sed etiam natiui reperiantur; nullibi tamen tanta eorum multitudo, ac in Arabia conspicitur.

Hoc animal peculiari prouidentia Dei mercatoribus est prouisum, ad superandum Arabiæ desertum: cùm enim ibi fontes & putei sint rari, & aliquando deficiat aqua: & similiter aridum hoc desertum sæpe pascuis deficiat; sola Camelorum tolerantia has omnes molestias, & defectus superare valent: nam ipsi per plures dies à potu abstinentes, & carduos aliáque viliora, quæ nullibi desunt, comedentes; vtres aqua plenos & cibos pro hominibus, aliísque animalibus, dum necessitas vrget, tanquam supererogatorium onus deferunt.

Dum ipsis imponenda sunt onera, graui ductorum sonitu ad genuflectendum alliciuntur: quod si genuflectere tardent, vel genu eorum baculo percutitur, vel collum.

collum deprimitur; tunc quasi coacti & suo modo gemitus edentes, & genua & crura flectendo ventrem humi deponunt,& sistunt donec onusti surgere iubeantur: ventri autem, cruribus, & genibus, qua parte terram attingunt, durissimi adhærent calli: si nimium oneris sibi sentiant imponi, & onerantes crebris ictibus capitis percutiunt, & lamentabiles edunt sonos: onus eorum ordinarium, est duplum oneris validissimi muli.

Noctu etiam sic genuflexi dormiunt, ruminando quod interdiu comederunt: sunt admodum stupidi; vnde, cùm respiciunt, quasi attoniti apparent; onusti non multùm itineris, exonerati verò plurimùm conficiunt; maximè illi qui agiliores & subtiliores Dromedarij vocantur.

Vt oneri portando præparentur, clitellæ eorum gibbo proportionatæ desuper imponuntur; & sic onera ex vtraque parte pendula, vel etiam cunas hominibus, vel mulieribus deferendis idoneas gestant.

Carnes eorum ab Arabibus facilè comeduntur, sed non multum gustui suaues esse peribentur; ex lacte à feminis elicito casei, sed admodum parui conficiuntur, qui iisdem Arabibus in deliciis sunt.

Ductores Camelorum apud Turcas plurimùm æstimantur, ob venerationem sui Pseudoprophetæ Mahometh, qui vili hoc officio maiori parte suæ vitæ in Arabia functus esse dicitur: postea tamen ficta propheria ad honores peruenit.

CAPVT III.

De alijs Animalibus progressiuis.

SIcut India orientalis aliquibus caret ex nostris animalibus (ibi enim non reperiuntur equi, muli, asini, & plura alia animalia; nisi vel ex Perside, vel ex Arabia,

Arabia, vel aliunde adducantur) ſic plura habet propria hîc ſigillatim deſcribenda.

In partibus Bengalæ prope Gangem frequentes ſunt Rhinocerotes, vulgò *Abades*, quorum plurima cornua Goam deferuntur: in inferiori parte, qua fronti inhærent, ad duos circiter palmos circumferentiæ, quæ paulatim in acumen deſinentia pro armis defenſiuis huic animali deſeruiunt, ſunt coloris fuſci: ex ipſis elaborata ad bibendum pocula plurimùm æſtimantur, cùm innatâ proprietate liquoris venenati, ſi infundatur malignitatem euacuent.

Tygrides plurimæ in Indiis reperiuntur, maximè prope Gangem, duæ ſunt earum ſpecies: aliæ vocantur Regiæ, quia licèt aliis minores; tamen generoſiores, ac robuſtiores ſunt; vnde cum audacia & furore præſunt, periculoſus eſt eorum occurſus: aliæ vocantur Tigrides bibò, quæ licèt maiores; ſunt tamen timidæ, ac facilè fugiunt ſi inſequentem aliquem videant, vnde non multùm timentur.

Eſt in Indiis infinita propemodùm Simiarum multitudo præſertim in ora maritima; qui illuc præterit, hinc inde ſaltantes, ac per arbores videt diſcurrentes; ſuos præ manibus ferentes catulos, & aliquando plures in vnum conueniunt, ac prætereuntes viatores inſequuntur, ac forte aggrederentur, niſi armatos inuenirent: quando autem quis catapultam geſtat, ac in ſimias tentat explodere, ſtatim aufugiunt, arbores aſcendunt, ſéque in tuto conſiſtere loco credunt, ſi folia arborum ob oculos ponant; & ita facile occiduntur. Si quis autem viuos capere velit, aſſumit fructum palmæ Indicæ dictum cocco, in cuius duriſſima cortice paruum facit foramen, ac prope locum vbi ſunt ſimię, proiicit; ſtatim adeſt aliqua, quæ foramini manum immittens, facile capitur, nam manum replet illa materia, quæ intus eſt, nec extrahere poteſt: & tunc venator inſe-

quitur;

quitur; cum enim, quod ſemel apprehenderit manu, nunquam dimittat; non poteſt hoc obice præpedita celeriter fugere, nec arbores aſcendere; ac ita incidit in manus venatoris.

Fertur, quod in promontorio dicto *Rama* aliquot vltra Goam milliaribus ſit magna ſimiarum copia, & quòd ibi ſimiæ aliquando videntes ducem Luſitanum in Indiis natum è ſuo exeuntem nauigio, vexillum cohortis ſuæ in terra defigere, ſtatim accurrentes illud rapuerunt, &ad ſummitates arborum deferentes, illum coram aliis ſtupẽtibus & ridentibus ſtridore affecerunt, cuius euentus hiſtoria, quoties illuc Luſitanorum nauigia appellunt, cum riſu & dicteriis recolitur hoc enim factum veri Luſitani milites miſticiis ſiue Indis, ſi qui ſint, in deriſum obiiciunt. Contigit etiam ibi, vt quidam mercator biretta deferens, illa ſoli propter humiditatem expoſuerit, ſtatim adſunt ſimiæ qualibet ſuum capit birretum, & ſuper arbores aufugiunt; anxius diu manſit bonus ille mercator; ſed alio ſuadente naturali ſimiæ vtitur inclinatione: imponit ſibi vnum in capite birretum, quod imitantur ſimiæ; deinde diuerſimodè illud mouet, quod etiam faciunt ſimiæ; denique in terram illud proiicit, proiiciunt & ſimiæ: & ſic omnia recuperauit.

Prope Malaccam inueniuntur Oncæ, quæ ſunt animalia ſimiis admodum ſimilia, ſupra frontem habent cingulum crinium, vnde quaſi anus apparent ſuis amictæ ornamentis; vnum verbum Gallicum, ſcilicet *Ony* continuò proferunt: in locis calidiſſimis naſcuntur, & frigus etiam leuiſſimum timent: vnde Goæ, quando minimum frigus vrget, menſibus videlicet Nouembris, & Decembris, etiam veſtibus amictæ facilè moriuntur; ſupra ſuos pedes erectæ ſæpè incedunt; ſunt valde domeſticæ; ſi lugentes vident, lugere ſe fingunt; ſi pugnantes aduertant, in medium accedentes ſeparare co-

nantur,

nantur,& plura alia perfectæ æstimatiuæ opera exercēt.

Aliqua sunt animalia paruis canibus, siue Vulpibus similia, ex quibus conficitur muscus: repetitos enim actibus occiduntur; tunc carnes conscissæ & sanguis in bursis villosis ex eius pelle confectis, quas Lusitani *papos* vocant reclusi & putrefacti odoriferam musci materiam præbent.

Præter feles ordinarios alij sunt omninò similes, vulgò dicti *Algalia*, qui illam materiam odoriferam producunt, quam hic in Gallia vulgò *Ciuette* vocamus, Lusitani autem Algaliam nominant: quando illam materiam colligere volunt, illos irritant: ac in furorem vertunt; & tandem, ne dentibus, aut vnguibus noceant, intra portam, vel alibi medio intercipiunt corpore, & assumentes coclear argenteum, materiam illam in pellicula subtus ventriculum collectam eliciunt: dicitur quòd hoc æstu furoris materia ista perfectè decoquitur: ac omnino perficitur.

Sunt canes in India, qui murium venationi, non secus ac feles vacant; sunt mures maximi, qui potius terrent feles quàm his terreantur: hos prædicti canes insequuntur, captos occidunt, & morsibus omnia eorum ossa comminuunt: sunt & alij mures minores admodum odoriferi, muscum redolentes, os habent acutum, & si quem momorderint, veneno suo necare dicuntur.

Est aliud animal, quòd quia continuò palmas ascendendo percurrit, animal palmarum vocatur; est in magnitudine, figura & aliis sciuro plurimùm simile.

Est & cameleon paruo non maior lacerto; sed grisei coloris, illi similis, qui continuò ore aperto hians, aëre dicitur victitare: ad instar colli columbæ iuxta si apposita colorem variat, breues habet in collo spinulas: vnde suo non correspondet nomini, quod camelum, & leonem sonat.

CAPVT

CAPVT IV.

De serpentibus, & aliis reptilibus.

VAriæ sunt in Indiis orientalibus serpētum species: quidam dicuntur serpentes caputij, vulgò *Cobras de Capello:* quia in collo quandam habent pelliculam, quæ dum irascuntur, dilatatur ex vtraque parte eleuata, ac formam capucij repræsentat, dum caput demissum in medio eius apparet: hi serpentes sunt maximè venenósi, ac mortiferi, sunt ordinariæ magnitudinis & coloris grisei.

Alij dicuntur serpentes murium: quia mures venantur: duo videntur habere capita; saltem extremitas caudæ capiti assimilatur: sed hi licet magni, non sunt ità venenosi, sicut nec alij quos serpentes Maniliæ vocant, habentes corpus circulis variegatum.

Alij sunt serpentes maximi, qui boues comedere perhibentur: duos in medio inter ciuitates Goam & Chaulum tractu reperi viuos; quos catapulta, & ense occidi vidi: minor ipsorum viginti circiter palmorum longitudinis, & humano crassior brachio inter ramos præcelsæ arboris repebat cum quidam itineris nostri comes explosa catapulta primo ictu vulnerauit, secundo ex arbore detrusit, quem cadentem ense penitus interficit: maior autem multò longior & crassior, ex domo vnius gentilis per tectum egrediebatur, cùm visus ab eodem itineris nostri comite gladio percutitur, & cum dolore ac mœstitia gentilis illius occiditur, qui facilem ei ad suam domum præbebat aditum, & victui necessaria subministrabat: hi etiam serpentes non ita venenosi creduntur.

Est aliud reptile, Osga à Lusitanis dictum lacertæ æquali, sed crassiori, capite excedit: est animal homini affectum, nec ipsum facilè lædit: si in oleo frigatur, illud

illud oleum efficacissimum dicitur esse venenum.

Sunt aliqui vermes adinstar Bombycis, qui mense Augusto nascuntur; tunc maxima eorum multitudo conspicitur, subtilissimis, & breuibus pleni sunt pilis, qui si corpushominis attingant,magnum in carne pruritum excitant, ac intumescere faciunt, & donec auferantur, dolorem causant: hi vermes ex parte Bombycis imitantur: nam cùm ad finem vitæ deuenerint, quod paucis post natiuitatem diebus contingit: parietem aliquem ascendunt, sibíque mortis locum eligunt; ibi pilos sui corporis ore proprio sigillatim euellentes, ac circumquaque componentes sibi domunculam efficiunt, ibique moriuntur; ex quorum cadaueribus quidam papiliones; non candidi vt in bombycibus, sed nigri, vel obscuri coloris nascuntur; cadauera verò illa in pelliculas exsiccantur: sic autem parieti adhærent pili, vt nisi paries eradatur, amoueri non possunt. Aptissimus hic esset Dei prouidentiam exaltandi locus,sicut in simili de bombycibus exaltant alij.

Vidi alios vermiculos ad instar gemmæ rotundos, quosdam aureos, quosdam argenteos, quibus nihil pulchrius videri potest: exterius enim globuli potius aurei & argentei,quàm corruptibilia apparent animalia.

In aliquibus locis ex aquarum impuritate in humano corpore generantur vermes, qui ad tibias descendentes exire contendunt; tunc carne perforata ad odorem olei, quo linitur, caput emittunt; non vi extrahuntur, nam facilè frangerentur, & intus putrefacti inflammationem causarent: sed caput eorum modico colligante lino, nec iterum retrahant; & quotidie lino inuoluuntur, prout consentiunt, tandem integri vermes longissimi & subtiles educuntur.

Quia de serpentibus actum est, ideò aliquorum venenatos effectus adducemus: si contingat, quòd tales serpentes super lintea, vel indusia, dum ad Solem ex-

ſiccantur, tranſierint: tunc circa lumbos eorum, qui illis linteis, vel indusiis vtuntur, intrinſecus naſcuntur in eorum carne ſerpentes, qui paulatim creſcentes totum corpus circumplectuntur; capite autem & cauda vnitis, ſtatim mors ſequitur; vnde ad illam euitandam, ſæpe caput illorum ſerpentum nouaculis, aut lanceolis pungentes mortificant, & ſic ipſorum incrementum impeditur.

CAPVT V.

De Volucribus Indicis.

ALiquæ è noſtris volucribus, maximè domeſticæ, vt Galli, Gallinæ, & Columbæ in Indiis reperiuntur, plures etiam deſunt, quibus natura alias ſubrogauit, quarum aliquas notiores ſubiiciam.

Pauones, qui in Europa reperiuntur; nati ſunt ex aliis, qui ex Indiis adducti ſunt, ibi enim illorum eſt patria, ibi natale ſolum; vnde Pauo auis Indica meritò nominatur: tanta eorum multitudo reperitur; vt ex illis Calamina ciuitas Indica, in qua ſanctus Thomas Apoſtolus martyrio coronatus eſt (propter quod iam à Luſitanis Epiſcopali dignitate illuſtris ciuitas ſancti Thomæ communiter dicitur) apud connaturales Indos Meliapor, id eſt Pauonum ciuitas nomen acceperit. Mira de hac aue dicenda forent, niſi huc adducta fuiſſet, & viſu quotidiano tam mira & ſtupenda viluiſſent: nihil enim pulchrius effingi poteſt, lectorem remitto ad ſymbolum R. P. Ludouici Granatenſis, ordinis ſancti Dominici, qui mira huius auis pulchritudine deſcripta ad ſummam Dei pulchritudinem contemplandam animum lectoris ſuauiter excitat.

Vidi in Ciuitate Goana aliam auem, quæ vocatur Cacatua, quia hoc vocabulum ordinariè pronunciat, habet roſtrum oblongum, ac pennas variegatas: non

ita

ita tamen est visu delectabilis, in magnitudine Pauoni fere æqualis.

Struthiones etiam ibi, sed maiori copia in Arabia fœlici reperiuntur: cum hic etiam apud nos visi sint, ideo ab illorum descriptione abstinemus non quidem volant elati à terra ob corporis pondus,& alarum debilitatem; illis tamen adiuti velocissimè currunt, propter colli longitudinem à Persis vocatur auis Camelus, lingua Persica Chutumorgh.

Innumera est in Indiis Cornicum multitudo, quæ malitiosæ omninò apparent, si domorum fenestras videant apertas, statim intus aduolant, obuia quæque euertunt: si lucernam aduertant, educto lychno omnia inficiunt oleo; si atramentum in calamario reperiant, arreptum gossipium supra cartam, & quæuis alia ibi reperta ducunt, ac omnia rostro lacerant: vt vident, etiam à longè, catapultas, statim auolant; & odore forte pulueris veras catapultas à fictis discernunt, obiectis enim arundinibus Indicis quæ catapultæ videntur, immobiles persistunt: vnicum habetur remedium ad vitandas earum molestias, videlicet si capta earum aliqua alicubi exponatur, tunc ad eius crocitationem infinitæ propemodum aliæ simul congregantur ibique diu crocitantibus intolerabilis rumor auditur, postea recedentes per aliquod tempus illuc non reuertuntur: similiter si capta aliqua pennæ eius in fenestris appendantur; certum est,quòd quandiu pennæ ibi permanebunt, ipsæ non ingredientur.

Ingentes vespertiliones in Indiis apparent magnitudine gallinis æquales: alas ex pelle intermediis neruulis compactas habent, in quibus fiunt vngulæ, quibus in arborum ramis ad deuorandos fructus suspenduntur, mirum est quantùm afferunt arboribus detrimentum, nisi custodum vigilantium diligentia deterreantur.

Reperitur etiam Auis paruula, quæ mirabilem suum

palmis affigit nidum contra ſerpentum, aliorumque animalium inſidias ſecurum: ad hunc nidum fabricandum, aſſumit particulas foliorum palmæ, quas palmarum ramis innectens mirabili modo texit, rotundum; nam continuò ſed paulatim dilatando ad longitudinem trium palmorum perducitur: à ſummo vſque ad extremum vacuus, è ramis pendulus circumquaque defertur: eius aditus eſt in inferiori parte, qua itur vſque ad medium, ibi enim ſinus magis dilatatus, pullis educandis aptum & ſecurum præbet habitaculum: en quot proprietates, & habilitates author naturæ Deus, mirabilis vniuerſi prouiſor ſuis indidit creaturis.

CAPVT VI.

De Piſcibus Indicis.

PAucos admodùm è noſtris piſcibus in Indiis me vidiſſe recordor: ſolos, videlicet Mugilem, quem Luſitani vulgò *Taigna*; & Aloſam, quam *Sauel* vocant; plures verò hic inuiſos.

In oceano Indico Cete plurima reperiuntur, quæ à longè inſulæ mobiles apparent.

Propè Inſulam Ceylam & Gangem fluuium multi reperiuntur Crocodili, ſicut & in Nilo Ægypti fluuio, qui homines vel caſu, vel etiam morte damnatos deuorant: vnum vidi militem, qui poſtea deuoratus à Crocodilo dicitur: qui Crocodilos in illis partibus eſſe ignorant, vel eorum inſidias non formidant, ad mare accedunt, & à ſuperuenientibus rapiuntur Crocodilis.

Sunt etiam Sirenes, præcipuè iuxta Inſulam ſancti Laurentij in orientali parte Africæ, quæ vulgò à Luſitanis piſces mulieres nominantur: in ſuperiori enim parte corporis mulieribus aſſimilantur, in inferiori autem in piſcem deſinunt, quarum oſſa ad multos proficiunt vſus; ſunt enim maximè frigida: ſi ſanguis alicui

cui eliciatur, & oſſa huiuſmodi præ manibus capiat, præ frigore, quod in manu & brachio percipitur, ſanguis effluere non poteſt, & quaſi congelatur. Proregi Indiæ perforata fuit alteria, dum ei ſanguis eliceretur, iam de ſalute eius deſperabatur, ſed oblato ei dente vnius ex illis piſcibus, ſtatim ſanguis arterialis effluere ceſſauit; ad caſtitatem & ad comprimendos carnis motus hæc oſſa plurimum iuuant, imò homines reddunt impotentes: multis aliis vſibus ad ſalutem humanam deſeruiunt.

In iiſdem partibus boues marini frequenter inueniuntur, qui aliis terreſtribus dicuntur ſimillimi, hoc vno excepto, quod pellem raſam ſine pilis habent; è mari exeuntes ad prata, aliáque paſcua properant, vbi ſæpiſſimè dolo capiuntur in illis quippe paſcuis ſepem circumquaque extruunt, aditum ad illa præanguſtum relinquentes, qui ingreſſis bobus ſtatim occluditur; ac ita clauſi, captíque remanent, & vt dicitur terreſtres conſuetudine ſenſim euadunt, eíſque pili creſcunt: ibidem etiam lupi marini, & alij piſces nobis incogniti apparent.

In ſinu Perſico eſt quidam piſcis, vulgò dictus *Serre*, valde magnus; qui præacutis dentibus occurrentes homines, ſiue naufragos, ſiue natantes, ſiue in piſcatione vnionum occupatos dilacerat: eius caro, maximè ſale condita eſt guſtui ſuauiſſima, & Goam ad Magnates grati loco muneris deportatur: tanta autem eſt in hoc Sinu piſcium multitudo; vt & canes, & feles ad mare accedentes facilè piſces capere dicantur.

Prope inſulam Goanam quidam piſcis reperitur nomine *Bombarda*, ſic dictus, quia vento intumeſcens, ſi pondere comprimatur, quaſi fragorem bombardæ edens procul auditur.

Eſt ibi etiam piſcis valde ordinarius, ac vilis pretij, quia inſipidus, nomine vulgari *Coruion*, forte Coraci-

nus, cuius caro multum viſcoſa, & fecibus plena apparet: hic eſt piſcis ſatis magnus.

Eſt & alius piſcis valde exiguus, nomine vulgari dictus *Caualle*; guſtui ſatis ſuauis, ſed non ita ſanus, & pruritum in toto corpore excitat.

Eſt immenſa oſtrearum & conchyliorum copia: ita vt ex ipſis igne combuſtis in inſula Goana, & adiacentibus aliis partibus fiat calx omnibus neceſſaria fabricis.

Plurimi in toto mari Indico natantes apparent ſerpentes, & intra mare ad aliquot milliaria tanta eorum multitudo confluit, vt pars illa mare ſerpentum nominetur: hi ſerpentes, dum continuæ ingruunt pluuiæ, & torrentes intumeſcunt, ex vicinis montibus & campis aquarum impetu rapi, & ad mare deuolui dicuntur.

Certus ſum paucos è noſtris piſcibus in mari Indico reperiri; ibi nec Thumnum, nec Salmonem, nec Soleam, nec alios ſimiles vidi: imò nec ſardinias aliorum eſcas piſcium: quarum loco ſubrogari videtur piſcis caualla, ad inſtar haleculæ magnus, ſed huius piſcatio non toto anno, ſed determinato ſolùm anni tempore viget: & piſcis vulgò dictus *Mordichi* delicatiſſimus, qui etiam infirmis ſolet adminiſtrari, valde paruus.

CAPVT VII.

De Arboribus fructiferis.

EX noſtris Europæ fructibus rari in Indiis reperiuntur: nulli enim alij ſunt, præter limones, mala aurea & Citronica, aliquæ Vuæ, quæ menſe Februario matureſcunt & ficus rariſſimi; arbores enim fici vix ad ſex palmos creſcunt decem aut duodecim tantùm ficus quotannis afferunt, & ad inſtar vitis putari debent omnes alij fructus indiæ connaturales (hi enim iã dicti ſunt penitus aduenticij) hîc in Europa ſunt ignoti,

ac

ac omninò inuisi: quos tamen breuiter, sicut & arbores describam.

Arbores Indicæ semper toto anno virescunt paucis exceptis, non enim simul folia decidunt; sed continua successione quibusdam decidentibus alia nascuntur: quia ibi nec frigus, nec pruina vrgent; vnde nec glaciem, nec niuem, nec grandinem sentiunt; solæ aliquando adueniunt nebulæ satis calidæ, quæ fructus recenter natos decoquunt.

Prima tum dignitate, tum vtilitate, tum multitudine inter arbores Indicas est palma, de qua seorsim capitulo sequenti agetur. Post palmam statim sequitur arbor afferens fructum, qui dicitur Manga, arbor est satis magna ad instar pomi maximæ, fructus autem est malo Persico quantùm ad colorum varietatem, figuram, & gustum valde similis; sed externam pellem habet paulò duriorem, & nucleum omninò æqualem, figuræ cordis humani: hic fructus est admodum calidus, sicut & ferè omnes alij Indici; & esus in fine aromata redolet: colligitur mense Maio, & Iunio arbor autem mense Ianuario suos emittit flores candidos.

Iambus est fructus pulcher visu, & gustui suauis, figura pyræ nostræ similis: sed variegato ex albo & rubro colore; sapore verò aromatico aquam rosaceam redolente, pellem habet tenerrimam, materiam quasi spongiosam, nucleum rotundum & tenerum: in principio veris arbor illius mediocris magnitudinis rubicundos suos expandit flores: hic fructus dicitur esse frigidus, & humori melancholico proficuus: inter Iambos sunt aliqui quantitate minores, quos è ciuitate Malacca, denominant, quia inde ad Indias translati sunt, gustui suauiores, & odoriferi.

Iacca est fructus per totum arboris truncum, ramosque maiores pullulans; est magnus adinstar maxima-

rum cucurbitarum, ipsis figuræ similis; foris asperrimam, ac inæqualem habet corticem; intus plurimas habet castaneas flaua quadam materia comestibili, ac gustui suaue, in aliquibus liquida, in aliis solida vestitas: arbor illius est admodum procera; nullum autem emittit florem.

Ficus Indicus est fructusgustui delectabilis: sed non ita æstimatur; quia toto anno maturescit, est magnus adinstar parui Cucumeris, eiusque figuræ; pyrum valde maturum suo exprimit sapore: non tam ex arbore, quam ex planta procedit; quæ non ramos, sed tantùm sex vel octo folia vnius vlnæ longitudinis habet: in desinenti trunco è mediis foliis emergente penduli circumquaque prominent fici variis ordinibus distincti, primò virides, deinde flaui: semel tantùm vna ficus ramum ficuum producit, postea succiditur, sed aliæ hinc inde ex eius radicibus pullulant, breui suos fructus allaturæ: truncus eius non solidus, sed valde tener variis corticibus compositus nullos emittit flores: inter ficus aliqui sunt odoriferi.

Papaia est fructus peponis figuram, intus præsertim exprimens, in principio videtur insipida, sed postea dulcissima est: in summitate trunci arboris primo plantationis anno nascitur; hæc arbor est mediocris magnitudinis, non forti trunco, sed omninò medullato: ita vt vno securis ictu facilè excidatur, fructum profert præsertim mensibus Nouembris & Decembris, intus rubeum, foris cortice viridi, deinde flauo, & ad instar peponis sulcato vestitum.

Cagion est fructus coloris, vel rubei, vel flaui; est pectori proficuus; sed non suauis gustui: in eius summitate est nucleus, qui igne tostus amygdalo assimilatur, fructus hic est instar pomi oblongi, sed in parte superiori, in qua est nucleus, crassior aliquantulum; arbor autem non ita procera odoriferos præmittit flores.

Carambo

Carambola eſt fructus oblongus, in ſulcos diuiſus; partes prominentes ſunt valde tenues, granis plenæ: hic fructus flaueſcit, dum ad maturitatem accedit: vix etiam maturus præ acrimonia comedi poteſt; vnde ſolùm ſaccharo conditus pro infirmis reſeruatur.

Goïana eſt fructus pyri ſimilitudinem habens; propterea in Indiis etiam pyrum vocatur; quamuis ſpecie à noſtro differat: griſei eſt coloris, non multum guſtui, ſed plurimùm pectori placet, & prodeſt; vnde plurimùm digeſtioni deſeruit, ac proinde in fine menſæ comeditur.

Iangoma eſt fructus ſorbo non admodum diſſimilis, qui nunquam bene matureſcit: ſed compreſſione digitorum emollitur; & ſic comeditur, nec multum guſtui arridet.

Iambelum eſt fructus nigri coloris, oliuæ figura ſimillimus: intus ſicut oliua habet nucleum, non tamen durum: guſtui ſatis ſuauis eſt.

In partibus magis auſtralibus circa Malaccam inueniuntur alij fructus delicatiſſimi, vnus dictus Mongoſtan, ſimilis malo aureo, dulcis & guſtui gratiſſimus: alius dictus Durion, magnus vt pepo, circundatus cortice ſpiſſo, aculeis breuibus, ſed acutis munito; ſulcatus eſt adinſtar peponis: intus continens plures maſſas figura & magnitudine oui, guſtui ſuauiſſimas; quamuis dum aperitur in principio cepam putridã redoleat: eius arbor, dicta Batan, ſatis alta flores candidos aliquantulùm flaueſcentes, folia verò ad dimidium palmum longa, & ad duos lata digitos emittit.

CAPVT VIII.

De Palma.

PAlmarum duæ ſunt ſpecies, vt ex fructuum quos producunt, varietate colligitur: primam poſſumus

vocare Arabicam; quia etsi alibi reperiatur, nullibi tamen tam frequens, ac in triplici Arabia, hæc satis est nobis nota; quia etiam in Gallia nostra nascitur; licèt infructifera, hæc producit Dactylos: secundam possumus vocare Indicam; quia in sola India orientali fortè reperitur, est primæ quantum ad externam speciem simillima quamuis eius folia sint paulo longiora, & latiora: sed hæc non Dactylos, at Coccos producit: vtramque sigillatim, verùm succinctè describemus.

Per quindecim menses in ciuitate Bassora, quæ est in Arabia fœlici, quotidiana palmarum visu & dactilorum esu fruens permansi: inter palmas, aliæ sunt dictæ fœminæ, alij mares; mares quandam emittunt materiam candidam, quæ velut semen hiantibus femellarum ramis dactylorum feracibus, debito tempore immittitur à cultoribus, alioquin dactyli pullulantes non pinguescerent, sed sola cortice & nucleo constantes arescerent: septem primis annis palmæ sunt steriles: inter ipsas aliquæ dactylos producunt maiores, aliæ producunt minores; aliquæ producunt oblongos, aliæ ouales adinstar pruni imperialis: aliquæ producunt rubeos, aliæ verò & frequentius flauos: recenter esi sunt suauissimi, sed admodum calidi, maximæ substantiæ: ex ipsis quoddam mel exprimitur, & etiam virtute ignis elicitur vinum: cum palma incipit germinare, producit tres, aut quatuor ramos; non quidem foliis plenos (sicut sunt rami eius comam constituentes in latum extensi) sed nudos qui in varios multiplicésque ramulos subdiuiduntur: hi è media coma erumpentes, ac in altum erecti, pullulantibus dactylis repleti, ipsisque paulatim crescentibus onusti, ad modum arcus inclinantur, & simul cum dactylis iam maturis prescinduntur. Incipiunt dactyli maturescere mense Iulio, mense autem Septembri meridionalis venti feruere decocti colliguntur, & partim separati asseruantur, partim cum ipsorum melle

conditi

conditi vaſis includuntur,partim denique in Coſinis ex foliis ipſius palmæ contextis compreſſi in quotidianum vſum reponuntur, vel alio tranſportantur: Arabes aliis arboribus magis idoneis carentes,vtuntur palmarum truncis loco trabium,ramis verò intertextis,vel ſimul inſertis, laquearia domum & lectos:ex foliis autem ſcopas efficiunt; quia hæc palma ordinaria omnibus pene nota eſt, ideò illa prætermiſſa ad aliam properamus.

Palma Indica arbori Paradiſi in Apocalypſi deſcripto quantùm ad fructus productionem,aſſimilatur: ſingulis enim menſibus fructus nouos producit; vnde ſemper onuſta & proficua manet: non ergo mirum quòd vir iuſtus ei comparetur, dum in ſcriptura dicitur, Iuſtus, vt palma florebit, non ſolùm ob continuum bonorum operum productionem, & quia flores eius non euaneſcunt, id eſt eorum deſideria non pereunt; ſed efficaciter ad ſancta opera perducunt, ſicut in palma, cuius flores ſunt ipſimet fructus: ſed etiam quia cadens iterum reſurgit, ſicut palma; quæ dum cecidit, vel eſt ad folium ferè inclinata, nouos, quos producit ramos, recto tramite in cœlum dirigit, cuius radices vix terræ adhærent, quaſi dedignentur terra operiri; ac proinde foras exeunt; vnde ſemper eis apponitur humus, in quo etiam iuſto aſſimilatur,qui terrena faſtidiens ad cœleſtia ſemper aſpirat.

Hæc palma eſt arbor domeſtica: cum enim propè domos, aut caſulas plantatur, fumo, cineribus,& ipſa habitatione fœcundata fructum affert duplicatum:propter quod palmaria domibus & caſulis plena ſunt; earum habitatoribus in principio aliqui à dominis diſtribuuntur nummi, qui ab eis, quandiu ibi manent, exigi non poſſunt, eiſque dum fructus colliguntur, ſua portio cedit: mirabile autem eſt quòd cum fructus palmæ ſint maximi ac duriſſimi, & ſæpè ab arbore præ

maturi

maturitate, vel vento, vel à muribus corrosi cadant; non auditur quòd subiectos vnquam læserint habitatores.

Hæc arbor sola ad fabricandam nauem, & ad subministranda nauigantibus omnia victui necessaria sufficit: profert ad comedendum quandam materiam candidam, sed calidam, quam vocant Copram, gustui suauem, profert ad bibendum vinum, aquam. & Suram liquorem suauissimum; profert etiam acetum, lac, oleum, & saccharum: modum statim sigillatim exponam: ex ligno eius, quamuis impolito conficitur nauis, ex foliis intertextis conficiuntur vela; sicut & vmbracula propter solem & imbrem: cordæ verò ex quibusdam eius corticibus, nec aliæ in Indiis reperiuntur: eis non nocet salsa maris aqua, sed plurimùm nocet dulcis aqua fluminum.

Si palmæ permittatur suos producere fructus, in summitate trunci pullulant quatuor plurimorum Coccorum botri (coccus enim vocatur huius palmæ fructus,) qui primò crasso ad duos digitos cortice foras tegitur: intus autem reperitur globus ex materia durissima quasi ligneus, struthionum ouis magnitudine & figura simillimus; colore autem fuscus: in ipso tria sunt foramina, per quæ liquor arboris in illum pertingit, & dum terræ mandatur, per ea germen pullulat: hæc autem foramina ita sunt disposita, vt capitis humani figuram exprimant; nam duo in transuersum sibi correspondentia oculos repræsentant, aliud autem ipsis suppositum os efformat, cui subiecta quædam sola lignea barbam efficiunt hic globus in principio est tenerrimus, ita vt esus carduus appareat, postea fit durissimus crasso liquore candido, quasi aqueo, gustuique suauissimo plenus, qui paulatim adinstar lactis coagulatur; deinde indurescit in quandam comestibilem materiam candidam, gustui etiam suauem; quæ contrita pistello resoluitur

luitur in oleum, non quidem multum gustui suaue, sed admodum medicinale & lucernis idoneum: comminuta verò & ad instar niuis resoluta, & aquæ infusa, si exprimatur, lac præbet suauissimum: ipse verò globus ad multa deseruit; ad facienda scilicet coclearia & fercula ad comedendum, ac pocula ad bibendum: item ad vasa pro puluere tormentario, aliaque huiusmodi.

Aliquando non permittitur palma suos efformare fructus; sed illi ramuli, in quibus cocci pullulare solent, quotidie bis amputantur; tunc suauissimum quemdam emanant liquorem, qui in vasa ipsis ramulis appensa gustatim stillat, hic liquor vocatur Sura; qui ad bibendum gratissimus; coctus verò & ostreorum calce permixtus in saccharum subnigri coloris, liquori ipsi simile, dulcissimumque (Iagra dictum) concrescit; coctus autem absque addito, ac fecibus expurgatus, fit vinum fortissimum (Nippa, siue Oracca dictum) quod corruptum conuertitur in acetum: en quanta vnica arbor commoda profert.

Ad optimam palmæ conseruationem requiruntur sal, cinis, & arena ad radices posita: cum enim palmæ radices tenuissimæ sint, ac penè in superficie terræ promineant, facilè à vermibus roduntur, nisi sale condiantur; arena verò ipsas ab immodico refrigerat æstu: infinitæ propemodum palmæ in tota India reperiuntur, maximum afferentes suis possessoribus emolumentum.

CAPVT IX.

De Arboribus, & Plantis Aromaticis.

ARbor Cinnamomi est admodum lauro similis; quamuis ipsam excedat altitudine, si crescere permittatur: pro semine nigros similes producit globulos, folia eundem aromaticum habentia saporem, lauri folia plurimum imitantur; sed sunt paulò latiora, & minus

nus obſcura licet in tota India orientali vt in regno Cochin, & in inſula Goana hæc arbor reperiatur; non tamen optimum vbique producit Cinnamomum (quod eſt huius arboris cortex exſiccatus) ſed tantùm in inſula Ceilam; nec alibi tanta copia ſicut ibi reperitur;cum nemora integra hac arbore conſita ſint.Certo anni tempore homines ad hoc deputati ad illa pergunt nemora, & cultris corticem ramorum huius arboris lacerant,qui poſtea calore ſolis exſiccatus aperitur, & ex ramis decidens colligitur; ipſi poſtmodum rami cortice nudati ad inſtar ſalicis amputantur; vt iterum arbor nouos emittat: ſicque quotannis magna Cinnamomi copia in diuerſis nemorum partibus alternatim colligitur.

Arbor nucis Aromaticæ, vulgo muſcatæ, quæ frequens eſt in partibus Malaccæ, dicitur aliquantulùm ſimilis malo perſico: hæc nux adinſtar noſtrarum ſimili cortice tegitur, ſimulque cum eo ſaccharo condita plurimum pectus confortat:flos eius dicitur Maciz,pallentis rubei coloris, tribus anni temporibus, videlicet menſibus Aprilis, Auguſti, & Decembris matureſcit.

Arbor claui aromatici, vulgo gerofle, habet folia aliquantulum ſimilia foliis lauri: tanti dicitur eſſe caloris, & ſiccitatis vt ſub ipſa nullæ naſcantur herbæ; clauus ipſe eſt flos illius arboris, qui ex violaceo colore in nigrum tranſit; ita ſiccus eſt, vt facilè omnem humiditatem depellat: ſolent in Indiis, quando maxima viget tempore pluuiarum humiditas, ſacculum hoc aromate plenum inter ornamenta, & veſtes pretioſas ponere, vt ipſas ab humiditate,& putredine præſeruent: & nautæ, qui ſimilia ferunt aromata, ſæpè ea maris aqua perfundere tenentur; ne aquam dulcem potui neceſſariam paulatim exſiccent: hæc arbor ſolùm in Moluccis, ac vicinioribus inſulis naſcitur.

Piper eſt fructus; non arboris, ſed plantæ, quæ circa arbores, vel arundines adinſtar hederæ creſcit aſcendendo,

dendo, in ea pullulant quidam botri ex pluribus granis primò virentibus, deinde nigrescentibus, contiguis & valde ordinatis compositi. Zingiber est radix cuiusdam plantæ, quæ ad duos tantùm excrescit palmos; quando recens colligitur, & manducatur, linguam sua mordacitate molestat, solet cum saccharo condiri, & sic pectori plurimum prodest: in tota India, sicut & Piper nascitur.

Plurimum sacchari in Indiis orientalibus nascitur, arundines in locis valde humidis natæ illud producunt: hæ arundines nostris ordinariis quantùm ad externam superficiem plurimum similes, etiam nodosæ existunt: intus autem dissimiles; non enim vacuum habent calamum; sed plenum materia candida, humore plena, ipsi cohærente; hæ arundines rotis contritæ & comminutæ sub torculari expressum reddunt liquorem, qui postea igne purificatus & concretus perficitur.

Cardamomum crescit vt frumentum, cuius fructus sunt duodecim, aut plura grana valde minuta, odoris, & saporis gratissimi, inclusa in dura pellicula oualis figuræ, sulcata, pisi maioris quantitatem non excedente; pellicula hæc est grisei coloris, grana autem sunt rubea.

Aliæ sunt arbores aromaticæ; sed non frugiferæ in regnis Sian, Camboya, Pegu, & aliis vicinis sunt proceræ arbores, ex quibus gumma odorifera, vulgo benioiun, distillat; nigra est optima; in Arabia fœlici sunt arbores Thuris productiuæ: nascitur vnde succinum, vulgo ambre, nascatur, licet è mari profluat: aliud est nigrum ad solum olfactum suo deseruiens odore; aliud est griseum maioris pretij, quod cibis magnatum condendis deseruiens plurimum sanitati, & robori confert. Sunt insuper alia ligna odorifera, scilicet Calambe, Castur, Aquila, siue Aloë, ex quibus rosaria, aliaque pretiosa opera cofinciuntur: sunt alia medicinalia, videlicet

delicet lignum Chinæ, lignum Solor, ſandulum, & roſſellago quæ eſt radix maximæ virtutis contra omne venenum.

Sicut autem in Indiis ſunt arbores grati, vt diximus, odoris, ſic eſt vna odoris ingratiſſimi: nam etiam incorrupta, eſt fœtidiſſima ſuo fœtore humanum exprimens excrementum; vnde ab illo abſque circumlocutione denominationem habet.

CAPVT X.

De aliis arboribus, & plantis Indicis.

SIcut in Indiis orientalibus noſtræ arbores, tam domeſticæ, quam ſilueſtres deficiunt; ſic plures nobis ignotæ ibi reperiuntur: aliquæ ſunt floriferæ, aliæ ad artefacta conducunt, aliæ quædam producunt humano vſui neceſſaria.

Inter floriferas prima occurrit arbor dicta Triſtis; quia quandò aliæ ad ſolis aduentum exhilarantur ſuos expandendo flores, hæc ſuos amittit: vnde in noctis triſtitia florens, in diei lætitia depoſito florum ornamento triſtatur; eius flores ſunt albo Iaſmino ſimiles, pedem habentes flauum, quibus Indi ad quotidianum vſum Croci loco vtuntur; propterea Crocus Indicus etiam vocatur: hæc arbor ad moderatam creſcit altitudinem cuius folia aliquantum aſpera & parua ſunt; coloris quidem viridis; ſed non virentis.

Eſt arbor dicta S. Thomæ, quæ non fructus; at tantùm flores ad inſtar lilij violacei & ſuaue-olentis producit: hæc arbor etiam ſatis excreſcit, cuius folia hæderæ foliis & figura, & colore ſimilia ſunt; ſed magis tenera.

Eſt arbuſtum adinſtar roſeti floriferum, cuius flos ſuauiſſimus, quaſi parua roſa candida, nomine Mogrin inſignitur: ex hoc ſtillantur aquæ, ſicut ex roſa, ſuauiſ

ſuauiſſimi odoris; ſunt in Indiis alij ſed rari flores, nec valde eximij; vnde ab illis deſcribendis abſtinemus.

Eſt arbor inter agreſtes,dicta Saponis, inter paucas, quæ folia exuunt, numeranda: hæc producit quoſdam globulos ſorbo non abſimiles cortice viridi primò, poſtea flaueſcenti tectos, interius granum nigrum exiguum habentes: hi globuli manibus confricati in saponem optimum & candidiſſimum, etiam ſerico lauando Idoneum, excepto illo grano, reſoluuntur: & quia naturales illo vtuntur; ſapo Indicus communiter appellatur.

Eſt alia arbor agreſtis,quæ multum creſcit, & qnandam materiam candidam ad inſtar goſſipij; ſed in tenuiſſima diuiſam fila, quodam folliculo valde duro ad digitum lato, & ad dimidium palmum longo recluſam emittit: hæc materia dicitur Pagna, eſtque optima ad ceruicalia & culcitras molles conficiendas.

Eſt alia arbor etiam agreſtis deferens fructus, exterius rubeos, intus ficubus ſimiles; ſed rotundos, ac paruos, ſolæ cornices illis veſcuntur; propterea ficus cornicum appellatur: hæc arbor peculiare hoc habet, quòd poſtquam ad debitam attigit magnitudinem, nouas ex ramis dimittit radices, quæ paulatim recta ad terram deſcendunt; ac illam penetrantes nouam quaſi arborem efficiunt: noui ſiquidem pullulant rami,ac ita plures inferius apparent arbores; cum tamen ſuperius ſint vnitæ.

Eſt alia arbor, vulgo dicta palma agreſtis, hæc aliqualem cum palma domeſtica habet ſimilitudinem, ſed craſſior & altior eſt, folia producens latiora, & teneriora: vnde in Indiis ad exornandas Eccleſias loco tapetum, illorum communis eſt vſus: parietes enim diuerſa ipſorum diſpoſitione figurati, & admodum exornati, ſua viriditate recreant intuentes: hæc arbor nullum emittit fructum, ſed quædam quaſi roſaria pro-

 ducit,

ducit, materiam videlicet virentem, identidem nodosam, è summitate trunci hinc inde pendulam; ita vt intuentibus precarij globuli optimè inserti appareant.

Est alia arbor dicta Tamaris satis alta, quæ pro fructu producit quandam materiam adinstar maioris siliquæ fabarum, eiusdem ferè longitudinis,& figuræ,quibusdam seminibus velut fabis constantem, cortex est rudior, materia ipsa valde acetosa ad cibos condiendos inseruit.

Est alia arbor nomine Areca; subtilis, sed alta & recta: non habet ramos, nisi in summitate, qui comam adinstar abietis, non magnam, sed latioribus foliis perfectè rotundam, visuque pulcherrimam efficiunt: quæ etiam ad exornandos Ecclesiarum parietes festiuis diebus assumitur: fructus eius Areca etiam dicitur, & est globulus nuci æqualis, coloris grisei, nullo sapore præditus, sed pectori valde proficuus: vnde simul cum calor, ac herbæ dictæ bethli foliis comeditur; esus autem os linguam, dentesque rubore perfundit: quia autem hæc arbor est maximè lenis & flexibilis, qui fructus eius quasi botros ex ramulis pendulos colligũt, ex vna ad alias facilè transeunt; commouent enim ac concutiunt illam, quam primò ascenderunt,donec suo motu ad aliam viciniorem pertingat: tunc enim illam apprehendentes successiuè ab vna in aliam transeunt,& sic omnes breui spatio percurrendo perficiunt collectam.

Est alia arbor inter eas numeranda, quæ folia exuũt, quæ fructum vulgo Ambarè dictum producit: hic magnitudine & figura exiguo malo Persico similis, intus nucleum habens, cibis condiendis adhibitus acetoso sapore suo gustui arridet: hæc arbor est mediocris magnitudinis.

Est alia etiam arbor, quæ corticem valde subtilem; sed ad duos ferè palmos longum hinc inde è ramis emittit,

emittit, vnde quasi pendulæ candelæ virentes apparent, intus sunt plura grana quasi pisa candida, quæ cocta orizæ mixta comeduntur.

Gossipium in pluribus orientis partibus nascitur, ex quadam planta, quæ in agris seritur, & ad sex circiter excrescens palmos plures emittit globos, materia hac gossipij candidissima & tenuissima, sed plurimum compressa plenos; quæ materia per totum orientem ad subtilissimas telas conficiendas, & ad plures alias humanæ vitæ vsus deseruit.

Sunt aliæ arbores omninò steriles; prima inter ipsas est hebanum, quod arbor siluestris in parte orientali Africæ prope Mozambicum, cuius lignum solidissimum intus nigrum, sub spisso cortice grisei coloris adinstar quercus, ad artefacta pulcherrima conficienda, candidissimo mixtum ebori deseruit: ad communiora opera, vt capsas arcas & similia deseruiunt arbores Thecæ & Angely incorruptibiles.

Sunt denique arundines Indicæ communi vsui vtilissimæ, & ad plura opera concurrentes; nam & ad hastilia lancearum conficienda sunt idoneæ, vtpote longæ, rectæ, ac leues, & aptæ ad formandos doliorum circulos, cùm sint flexibiles, ac duræ: quædam intus sunt solidæ & mares vocantur, aliæ sunt vacuæ, & fœminæ nominantur; omnes autem vulgò dicuntur Bambores: sunt & aliæ arundines ex Bengala denominatæ, inter quas aliquæ omninò nigræ, aliæ sunt quasi grisei coloris: maculatæ tamen & nodosæ quas hîc in Gallia Duces, aliíque maiores Officiales ad ostentationem deferunt, & vulgò arundines Indicæ nominantur.

Superest ad perfectam horum notitiam, vt aliquid de plantis Indicis disseramus: sicut autem nostris caret India arboribus, paucis exceptis, abundans propriis: sic nostris vt plurimùm caret plantis, proprias habens Europæ non notas.

V 2 Prima

Prima inter plantas, & fructifera, dicitur Ananas adinſtar Cardici, quæ ad congruam ſui educationem vmbram non murorum, ſed arborum requirit: fructus eius oblongus ad palmum, circum verò rotundus, in ſummitate aliquibus foliis, quaſi coma decoratur, quæ abſciſſa & terræ mandata radices mittit, & in nouam plantam excreſſit, vnde huius plantæ multiplicatio eſt facilis. Hic fructus admodum rudi cortice tegitur, quo ex viridi flaueſcente maturitas eius indicatur: intus albus eſt aut flauus, guſtui ſuauiſſimus, ſed inter alios Indiæ fructus calidiſſimus.

Eſt alia planta, ſiue arbuſtum producens fructus Carandas, non diſſimiles & in quantitate, & in figura, & in guſtu granis vuæ nigræ valde maturis.

In hortis vulgares noſtræ non apparent herbæ exceptis Caulibus, lactucis & aliis paucis, & ſi aliunde, verbi gratia, ex Perſide ſemina aſportentur; naſcuntur quidem herbæ; ſed vt experti ſumus, ſemina non reſtituunt: naſcuntur tamen cucurbitæ, cucumeres, & pepones; ſed valde inſipidi: naſcuntur autem propriæ, inter alias frequentior dicitur Bredos.

In campis, ſaltem in littora maris non naſcuntur noſtra legumina, nec triticum: ſed maxima orizæ copia & plures radices comeſtibiles, vulgò dictæ *Batatas.*

LIBER



LIBER OCTAVVS ITINERARII

In quo

Agitur de miſſionibus Carmelitarum diſcalceatorum in Oriente.

CAPVT PRIMVM.

De Miſſionibus Orientalibus.

ACTVRVS de noſtris miſſionibus, conueniens eſſe duxi, aliarum religionum in oriente miſſiones ſaltem indicare; vt ſciant omnes, qui nobiſcum in vinea Domini laborent: ipſi proprios labores & fructus ſibi notos exponant; dum ego in noſtris exponendis aliquantulùm hîc immorabor.

In Orientali miſſione laborant ſequentes Religioſi, videlicet ſancti Dominici, S. Franciſci, S. Auguſtini; Patres Ieſuitæ, Theatini, & noſtri Carmelitæ diſcalceati.

Patres ſancti Dominici ſunt penè in omnibus Luſitanæ ditionis vrbibus, duos habent in ciuitate Goana Conuentus, alium in inſula Goana in Parochia ſanctæ Barbaræ, quam adminiſtrant, ſicut & parochias Sanctæ Crucis, Sancti Michaëlis & Sanctæ Mariæ Magdalenæ,

alios habent Conuentus in Macao Ciuitate Chinæ ex parte Lusitanis subiecta, Malaccæ, Columbi in Insula Ceylam, Cochini, Chaüli, Bassaini duos, Daman, Diu, & Mozambici: In Armenia maiori aliquas habent residentias in prouincia Alinia, quam vnus ex ipsis factus Episcopus reddidit Catholicam: in littore etiam orientali Africæ in regno Monomotapa, & in insula Solor suas exercent missiones.

Patres Minores sancti Francisci in omnibus ferè prædictis vrbibus, & aliis eiusdem ditionis Lusitanæ Conuentus habent, & in terris Bardez Goanæ insulæ à parte Septentrionali adiacentibus pene viginti administrant parochias; ibi est Collegium ipsorum, sub nomine Regum, vbi iuuenes instruunt, & vbi nouus Prorex coram suo prædecessore, & tota nobilitate lectis suæ dignitatis patentibus regiis, ad gubernij possessionem admittitur. Suas præterea residentias habent in Terra Sancta, maximè Hierosolymis ad sanctum Sepulchrum, & Conuentum sancti Saluatoris, in Bethleem, & Nazareth: similiter in Græcia, vt Constantinopoli, siue Galatæ: in Syria, vt Aleppi, Damasci, Sidone: in Ægypto, vt Alexandriæ, Memphi & alibi, in quibus Patres Recollecti aliis de obseruantia permixti viuunt: qui Patres Recollecti etiam in Indiis sub ditione Lusitanorum prouinciam habent.

Patres calceati sancti Augustini in præfatis ferè omnibus Indię vrbibus Conuentus habent, insuper Mombassæ, Mascati & alibi: suas etiam administrant parochias in insula Goana, videlicet sancti Ioannis Euangelistæ & sanctæ Agnetis: plures etiam fundarunt missiones, Aspahani, & in portu Congo Persidis, Bassoræ, in Arabia fœlici, in portu Syndi ditionis Mogoritanæ, & nouissimè in Iberia, vulgò *Gorgistan*.

Patres Capucini à viginti circiter annis, magno cum feruore missiones in oriente instituerunt, videlicet Constan

Constantinopoli & Smirnæ in Græcia: Aleppi, & Sidone in Syria; Aspahani in Perside; Babylone, & Niniue; siue Mussul in Chaldæa,& alibi.

Patres Iesuitæ duas in Indiis orientalibus habent prouincias: prima est Goana, sub qua sequentia continentur Collegia,domus, & hospitia; Collegium, nouitiatus, & domus professa in Ciuitate Goa,Collegium Racholi in terris Salsete, vbi viginti duas administrant parochias, Collegia Chaüli, Bassaini, Daman, Tana, Diu, & Mozambici. Superioribus huius prouinciæ subordinatur missio Mogoritana in Ciuitate Agra, & missio Tibeth versùs Tartariam. Secunda est prouincia Cochinensis, sub qua comprehenduntur Collegia Cochini, Coilan, Columbo, Meliapor,Malaccæ, & alia; sicut & multæ missiones in ora maritima regni Comorini, & aliæ plures. Tertiam habuerunt in Insula Iaponia, sed modo desolata vnicam domum habet in Ciuitate Chinensi Macao,è qua aliqui sub habitu mercatorum ad interiora regni Chinensis penetrant.

Patres Clerici regulares, vulgò Teatini, ab aliquot annis ad Iberos schismaticos directi sunt, vbi sicut & alij prædicti in Vinea Domini strenuè laborant.

In Iaponia iam Christiana religio florebat, iam Ecclesiæ magnificentissimæ, & Conuentus religionum, quas in Indiis collocauimus, ædificabantur, iam ibi creati Episcopi populos in fide constantissimos moderabantur; cùm ecce inimicus homo mediis quibusdam hæreticis Europæis zizania seminat: hi Catholicæ religionis inimici, Iaponiæ persuadent Imperatori Christianos præmissis religiosis omnium vsurpare regna, his motus crudelissimam excitans persecutionem, variis & inauditis tormentis, vt lento igne, plurimos effecit martyres, ibíque fidem pene extinxerat: non deerant tamen aliqui,qui spretis periculis clam irrepebant, vt fidei reliquias fouerent, sed nuper malitia cuiusdam

à fide deficientis (pro qua tamen iam carceres & cruciatus passus fuerat) omnes Christiani penitus extincti sunt; imò & illuc accedendi spes ablata, nisi sanguis tot sanctorum martyrum fideles Deo cooperante iterum germinet.

Vt fructus missionum orientalium sciatur, aduertendum est tria esse hominum genera, cũ quibus agunt missionarij. Primum est Christianorum, qui ex Europa, vel commercij, vel curiositatis causâ, vel alio titulo illuc proficiscuntur: & circa hos eadem charitatis opera exercent, quæ hîc in terris fidelium exerceri solent. Secundum est Christianorum Orientalium, putà Græcorum, Armenorum, Nestorianorum, Iacobitarum, Cophtorum, & aliorum schismaticorum, quos instruunt ritibus Catholicis: cùm enim, vt plurimùm sint simplices, nullam credunt inter nos & ipsos esse religionis differentiam. Tertium tandem est sectatorum Mahometicæ legis, quorum obstinationem in sua fide totus orbis agnouit: eam enim non ratione, sed ense defendunt, sic iubente Pseudopropheta ipsorum Mahomete; aliqui tamen conuertuntur ad fidem.

CAPVT II.

De fundamento, & origine nostrarum Missionum.

Diu dubitatum fuit an spiritus missionum nostro discalceatorum instituto contradiceret; in duas inter nos etiam grauissimi patres diuisi sunt sententias: quidam asserebant; alij negabant, imò spiritum missionum maximè nobis esse consentaneum scriptis defendebant: inter hos fuit Venerabilis Pater noster Thomas à Iesu, qui veniâ Summi Pontificis ex Hispaniis, vbi feruentissimus eius missionum spiritus coarctabatur, Romam veniens, præter eximia alia, quæ fecit volumi

volumina, aureum de conuersione omnium gentium librum edidit, vbi omnes omnium infidelium errores, eorúmque remedia describuntur: item libellum inseruit, cui titulus affixus est (Stimulus Missionum) quo etiam insensibiles ad succurrendum tot infidelium animabus, quæ pereunt, facilè excitari possunt.

Primus inter nos orientales incœpit missiones Venerabilis noster Pater Petrus à Matre Dei Aragonensis ex vrbe Daroca, qui nostram congregationem in Italia fundauit, & ordinarius fuit concionator Summorum Pontificum Clementis VIII. Leonis XI. & Pauli V. vir tantæ doctrinæ, & sanctitatis, vt Baronius dixerit, quòd Roma non habuerit hoc sæculo, nec doctiorem eo, nec sanctiorem, cuius cor in præmium tanti zeli animarum incorruptum perseuerat: hic vir egregius Clementem VIII. inducere voluit ad fundandã Congregationem de propaganda fide, & induxit vt aliquot è nostris mitteret in regnum Persidis, cui in zelo succedens V. P. N. Dominicus à Iesu Maria Bilbiliensis; toto notissimus orbe propter vitæ sanctitatem, & mira quæ fecit, huius congregationis institutionem apud Gregorium XV. Non solùm consilio, sed & opera promouit: multa siquidem aureorum millia pro fundandis missionum reditibus, ex piorum eleemosynis collecta, huic sacræ contulit Congregationi: propterea, quandiu vixit, inter Eminentissimos Cardinales & alios Præsules, huic sacræ Congregationi priuilegio speciali assistebat. Hunc missionum spiritualium in nostra religione Patres nostri continua successione conseruarunt, ad cuius stabilitatem Romæ seminarium dictum sancti Pauli, (quia huic admirabili omnium Gentium Apostolo dedicatum est,) ædificauerunt: ad quod ex omnibus religionis nostræ prouinciis bini mittuntur religiosi, vt instruantur linguarum peritia, controuersiarum doctrina, & aliis quæ ad errores infidelium

refellendos, & Catholicam veritatem confirmandam opportuna videntur: insuper in Capitulis generalibus principaliter agitur de missionibus cœptis alendis, & nouis tentandis.

Quia verò aliqui solitudinis spiritum quam regula nobis inculcat, missionum exetcitio destrui contendebant, ad eorum iustam satisfactionem & quietem, Capitulum nostrum generale anno Domini 1632. Romæ congregatum, die vndecima Maij sessione matutina, sequens condidit decretum, quod hîc integrum cum aliis ad hoc pertinentibus appono.

Actum est de missionibus; cùm enim R. P. N. Præpositus Generalis ante aliquos dies indixisset Patribus, vt magna cum attentione, ac maturitate secum cogitarent, & fusis precibus enixè à Deo peterent, vt diuino lumine perfusi discernere, ac deliberare possent, an spiritus missionum statui nostro congrueret, vel illi aduersaretur; vt ablatis nonnullorum opinandi ac loquendi modis idipsum deinceps diceremus ac sentiremus omnes, quodque in hoc capitulo in Spiritu Sancto congregato, & cui ipsum Spiritum Sanctum peculiari modo assistere indubitatum est, communibus omnium calculis dicerneretur; id certum, firmum, sanctumque posthac haberent omnes, & ne latum vnguem ab hac sententia discedere, ac in contrarium loqui deinceps alicui liceret; immò contrarium cogitare velut piaculum ducerent omnes. Hæc demum vox omnium vna fuit, tale animarum lucrandarum studium optimè cum instituto nostro congruere, quod licet contemplationi primùm ac principaliter incumbat; non tamen contemplatiuæ vitæ totaliter suos alumnos addicit, sed etiam secundariò actioni ac proximorum saluti tanquam contemplationi minimè repugnanti attendere præcipit; die noctúque in cella Deo vacare iubet, iustas tamen occasiones excipit; nullam autem

esse iustiorem occasionem, quàm eam quæ de lucrandis animabus sese offert, vnanimi consensu semper senserunt omnes. Hoc profectò studium nascentis Religionis tempore viguisse compertissimum est, cuius veritatis, quæ omnium animis iam insedit, luculentissimos testes habemus Illustrissimos Martyres Angelum, Anastasium, Petrum Thomam, vt innumeros alios prætereamus, qui profuso pro animabus lucrandis proprio sanguine veritatem hanc ipso cruore, quem fuderunt, veluti scriptam testatámque posteris reliquerunt. Nec alius fuit Sanctissimæ nostræ Theresiæ spiritus, quæ moniales ipsas eo fine instituit, vt pro prædicatoribus, & iis qui in lucrandis animabus insudant, continuas Deo preces effunderent; homines verò, vt Deo primum vacantes, mox exemplo, studio, prædicatione proximos iuuarent: qua superstite, & adhuc in viuis agente Religiosi nostri non pauci ad missiones pro animabus infidelium lucrandis in terras infidelium missi sunt. Hoc Spiritu Congregatio nostra alumnos suos semper aluit; nam præterquam in morem inductum est, vt singulis annis bis solemni ritu professionem renouantes, vnusquisque firmum addat propositum ad terras infidelium, pro conuersione hæreticorum iturum, cum votis ipsius obedientiæ iussio accesserit: In primo capitulo generali celebrato Romæ, quod ex primis illis ac lectissimis congregationis nostræ Patribus in quibus exactissimæ obseruantiæ vigor, ac ardentissimus Religionis zelus vigebat, congregatum fuit, omnes etiam ipse Præpositus Generalis, Definitores Generales, & omnes gremiales Capituli; propriis officiis renunciantes se missionibus deuouerunt. Hinc Pontifices Summi in suis Bullis ac diplomatibus tale lucrandarum animarum studium approbantes, propria authoritate, proprióque (vt aiunt) motu Religiosos nostros ad remotiora regna, vt Christi Saluatoris negotium in

lucrandis animabus agerent, non semel destinauerunt. In hoc tamen conuenerunt omnes Capituli Patres, vt studium hoc ita à nostris Patribus perficiatur, vt potioris partis nostri instituti memores sint, & negotia alia, quæ ad animarum conuersionem minimè spectant, omninò relinquant; immò optare se vniuersi Patres apertè significarunt, vt qui ad huiusmodi missiones deputantur, contemplationi maximè addicti essent, & ab ipsis eremis, cùm iter arripiunt, vela explicarent; vt in terris ad quas pergunt, si fieri potest, Conuentus nostros fundari curent, in quibus regularis obseruantiæ; & quoad fieri possit, recessus curam gerant, & vbi hoc obtineri non potest, locum aliquem habeant, ad quem aliquando redeuntes more oculatorum animalium, quæ vidit Ezechiel, iterum & iterum reuertantur in modum fulguris nouo concepto feruore, nouísque virtutum radiis coruscantium.

Egeramus de istis, & paucos post dies videlicet 21. Maij Eminentissimus D. D. Cardinalis Ginnettus nomine sacræ Congregat. de propag. fide, magna animi significatione patres omnes Capituli allocuturus locum ipsum Capituli ingressus omnibus Patribus aperuit sacram Congregationem vehementer optare vt negotium missionum toto pectore à Patribus ageretur, ne soli contemplationi ita incumberent, vt negotium hoc aliqua ratione negligerent; eo vel maximè quòd sacra Congregatio non dubitaret instituto nostro id maximè congruere, magnum Religioni nostræ splendorem, Deóque gloriam allaturos Patres; si totis viribus missiones amplecterentur, committere se libentissimè studium hoc Religioni adeo illustri, in qua tantus obseruantiæ rigor tantúsque ampliandæ fidei ardor vigere conspicitur, quod vt intimis Patrum cordibus infigeretur, eadem sacra Congregatio appositissima, & verè aurea D. Ioannis Chrysostomi sententia persuadebat, quam habet

habet oratione de B. Philogono in hæc verba.

Quàm multa propter hunc gregem passus sit Christus, homo factus est, serui formam assumpsit, consputus est, Alapis cæsus est, postremò ne mortem quidem recusauit; & quidem ignominiosissimam; quin & ipsum sanguinem suum effudit. Itaque si quis voluerit illi commendatus esse, curam habeat ouium illius, publicam quærat vtilitatem, fratrum suorum saluti prospiciat; nullum enim officium hoc Deo carius.

Alia petiit Eminentissimus D. Cardinalis nomine sanctæ Congregationis hoc negotium concernentia; quibus cum Capitulum prompto animo satisfecisset, concluserunt Patres Capituli generalis maximas gratias agentes congregationi quòd tantam de Religione nostra existimationem se habere ostenderit, & maxima promptitudine operam suam se oblaturos dixerunt, vt negotium istud de missionibus, quod ad Dei gloriam & bonum Religionis maximè conducere non dubitant, in dies maiora recipiat incrementa. Hæc omnia adducta sunt, vt omnibus pateat quanto feruore congregatio nostra spiritum missionum amplectatur.

Nostræ igitur missiones plures sunt; nam præter Hiberniam, in qua sunt plures Conuentus, Angliam, Hollandiam, & Germaniam; in Oriente ad Terram sanctam, regnum Syriæ, Arabiam, Persidem, regnum Mogoritanum, & Indias dilatatæ sunt, de quibus Capitulis sequentibus sigillatim agetur.

CAPVT III.

De Prima missione ad Regiam Ciuitatem Persidis Aspahanum.

Clemens VIII. aduertens in nostris Patribus desiderium conuertendi infideles, & cooperandi Christo in salutem animarum (quod opus omnium diuinorum

uinorum diuinissimum vocat Dionysius Gallorum Apostolus) eos collaudans amplectitur, & ad executionem exhortatur.

Anno igitur Domini 1603. ad hoc opus perficiendum eligitur R. P. N. Paulus à Iesu Maria Genuensis è nobili Riuarola progenie aliis præficiendus, qui propter merita, & experimentalem gubernandi prudentiam, ter ad officium Præpositi Generalis fuit promotus; maioribus dignus honoribus, inter alios itineris socios ei adiungitur R. P. Ioannes à S. Eliseo Calaguritanus, qui postea propter insignia merita, & rara in missionibus gesta Aspahanensis Archiepiscopus totius Persidis Primas creatur: sed dum ad Hispaniam proficiscitur, vt è Lusitania cum nauibus solueret, prope Ilerdam vrbem Catalauniæ ex equo decidens paulò post iam senex moritur.

Præfati hi duo Patres, cùm essent Româ ad suam missionem discessuri, sanctos Persidis Apostolos Simonem & Iudam Thadeum sibi peculiares assumpsere patronos; eorum nomina sibi appropriantes; vnde qui prius Paulus & Ioannes, nunc Paulus Simon & Ioannes Thadeus vocari cœperunt.

Iter suum per Poloniam & Moscouiam versùs Persidem dirigunt; in Polonia à Rege beneuolè suscepti remanere coguntur, & Cracouiæ Conuentum fundare; in Moscouia autem capti, & carceribus mancipati plurimos sunt passi labores; sed tandem pericula mortis euadentes in Persidem peruenerunt: hæc cursim pertransimus; si enim cuncta, quæ in hac & aliis missionibus successerunt, referenda essent, integrum volumen exigerent.

Româ discedentes commendatitias Summi Pontificis ad Regem Persidis litteras statim inserendas detulerunt, quibus Regi oblatis, ab ipso maxima veneratione & affectus significatione, tanquam Legati Pon-

ficis

ficis ſuſcepti, ac poſtea ſemper habiti ſunt : eò regis erga eos creuit affectus & reuerentia , vt ſæpè ad comedendum in ſua menſa inuitauerit , ſæpiùs familiaria cum eis habuerit colloquia , & dum capta Babylone triumphans Aſpahanum ingrederetur , eos equitans ſibi proximos habuerit : multa eis conceſſit in ſuo regno beneficia , domúmque, in qua habitarent vltrò offerens liberaliter conceſſit.

Fundata hac miſſione rediit in Italiam. R.P. N. Paulus Simon ; totius rationem ſucceſſus Summo Pontifici , noſtriſque Patribus redditurus ; manet ibi R. P. Ioannes Thadeus , qui linguam Perſicam apprimè diſcens , & Regi & magnatibus fuit chariſſimus : in hac miſſione decem religioſi ordinariè commorantur ; Eccleſia ſub nomine Ieſu & Mariæ dedicata eſt.

Vix credi poteſt , quot labores & incommoda ibi patiantur Patres noſtri, ſæpè enim victui neceſſaria deſunt , & ſolo pane ac herbis veſci coguntur ; cum in illis partibus ſancta paupertatis virtus non ſit congnita, & mendicare in dedecus vertatur : bis captis & funibus ligati ſunt , ſemel mandato Regis expreſſo, de quo poſtea dicetur ; alia vice ex eodem mandato malè concepto : contigit enim quòd Luſitani aliquos perſas captiuos effecerant , quo Rex iratus iuſſit Patres Luſitanos ad ſe vinctos in ciuitatem Siras perduci : Gubernator Aſpahani , cui hæc cura fuerat demandata , milites ad Conuentum mittit , vt ad ſe Patres perducerent : hi in vigilia Annunciationis, paulò ante prandium ex inopinato in conuentum irrumpunt , & ſuæ commiſſionis modum tranſgreſſi , velut miniſtri Dæmonum Patres percutiunt , funibus vinciunt , iniuriis afficiunt , habitum partim euellunt ; & ſic malè compoſitos per vicos cum magno dedecore versùs ciuitatis caſtellum deducunt:quinque,aut ſex religioſi in Conuentu tunc erant, qui ſemper ad ſimilia parati , & facti cauſam ignoran-

tes

tes ſe duci ad martyrium arbitrantur: non horrent de præſenti mortis periculo, ſed potiùs alacres effecti, & ſe inuicem exhortantes, ac hymum (Te Deum laudamus) alta, & ſonora voce canentes, quaſi agni manſueti ad occiſionem mirantibus cunctis læti procedunt, horum cantum faſtidientes milites, minis & ictibus ſilere iubent; ſed his contemptis incœpto perſiſtunt. Poſtquam ſic malè habiti ad caſtellum peruenerunt, & coram Gubernatore pluribus aliis aſſiſtentibus adducti ſunt, ipſe Gubernator commiſſionis ſuæ regias extrahens litteras coram omnibus apertè legit: vnus ex aſſiſtentibus audiens in eis ſolam fieri mentionem Patrum Luſitanorum, admonuit Gubernatorem noſtros Patrès non vocari Luſitanos, ſed Romanos (quia à Pontifice Romano miſſi hoc inſignimur nomine; ſicut Patres ſancti Auguſtini, quia ſub nomine Regis Luſitaniæ ibi commorantur, Patres Luſitani vocantur) tunc ſui erroris admiratione perculſus, à noſtris Patribus veniam petit, milites arguit inſolentiæ, ipſóſque ad Patres S. Auguſtini mittens præcipit, vt cum decore & ſine tumultu eos adducant. Dum illi ad explendam commiſſionem properant, multas de religione Gubernator excitat quæſtiones, vt de potu vini de bigamia & ſimilibus: ſed præcipua fuit an Patres noſtri crederent Mahometem eſſe verum Dei prophetam, cui cùm negatiuè reſpondiſſent, ſubiunxit, nunquid de ipſo Chriſtus in Euangelio mentionem fecit, ſuis promittens Apoſtolis alium Paraclitum; cui audacter Patres replicant illum Paraclitum poſt paucos dies promiſſum, eſſe Spiritum Sanctum, qui decimo die poſt Chriſti Aſcenſionem ſuper Apoſtolos venit; & non Mahometem, qui ſexcentis circiter annis tardauit, & concludunt nullam de eo fieri in Euangelio mentionem; niſi dum præmonet nos, vt caueamus à falſis prophetis; & dum dicit, quòd exurgent Pſeudochriſti, & Pſeudoprophetæ: dum feruentius

tius iſta diſcutiuntur, Patres ſancti Auguſtini, qui iam venerant, introducuntur;& ſic diſputationi finis imponitur; interrogantur an ſint Patres Luſitaniæ, qui cùm ſe tales eſſe reſpondiſſent, vincti ad Regem mittuntur, noſtris Patribus in Conuentum dimiſſis; quò cùm perueniſſent, accedunt vicini Perſæ feſtiui & hilares, de fauſto & incolumi reditu ipſos congratulaturi.

Sicut in Perſide miſſionum operarij plures tolerant labores, ſic vberes colligunt fructus; nam præter adminiſtrationem Sacramentorum, & verbi Dei prædicationem, quam Chriſtianis Catholicis, qui ibi vel habitant, vel commercij cauſâ reperiuntur; exhibent; (ſine quibus auxiliis, vt ab vno illorum didici, primo quo cum Mahometanis verſabantur anno, fidem circa vnum articulum fidei amittebant, & ſenſim infideles reddebantur) præter aſſiduam ſollicitudinem in reducendis ſchiſmaticis, maximè Armenis, qui ibi præcipui ſunt, in quo plura effecerunt, etiam circa Mahometanos labor ipſorum fructificat: plura exempla tum in hac, tum in aliis miſſionibus adduci poſſent; ſed hæc hiſtoriæ noſtri ordinis reliquendo, duo in præſenti tantummodò compendiosè proponam.

Dum eſſem in Perſide quemdam noui adoleſcentulum propè Conuentum manentem: hic matrem quidem Armenam, ſed patrem Turcam habuit; mater, quæ in corde Chriſti fidem colebat, anxia de ſalute filij, qui patris educatione Mahometi legem amplectebatur, eum ad noſtros patres inducere tentabat: vix in principio puer audebat accedere, ſed conſuetudine ipſorum mutatus à Conuentu poſtea nolebat recedere: ibi ſenſim amoris Chriſti concepit ignem, qui poſtea ſuo tempore flammam excitauit: erat indolis optimæ & acris ingenij adoleſcens Zemam Beq dictus; à Rege linguarum externarum electus interpres noſtris patribus linguam Italicam & Latinam traditur edocendus. Tandem re-

ligiosis eorum exercitiis, ac virtutum captus exemplis Christianus efficitur: huic operi illustrissimus Dominus Episcopus Babyloniensis è nostris assumptus vltimam imposuit manum eum baptizando.

Alius, sed suauissimus Christo, missionis huius fructus, est martyrium aliquorum Persarum hîc ordinatè describendum: contigit anno Christi 1621. vt quinque Persæ ad Christi fidem conuersi baptizarentur, videlicet Elias (qui noster erat hortulanus, cuius vxor baptizata vocata fuit Theresia) Chassadir eius cognatus, Alexander, Ioseph & Hebrahim: tunc Rex Persidis Abbas erat Lusitanis infensissimus, & se ad obsidionem Ormusij Anglorum auxilio fretus præparabat: cúmque Patres nostri ad securitatem, & instructionem horum Christianorum opportunum iudicassent, eos ad Ormusium insulam Lusitanæ ditionis mittere, priùs nostros Carmelitas in eadem insula commorantes, ac Ducem præsidij litteris præmonere decreuerunt. Hæ commendatitiæ epistolæ; Eliæ horum regionum peritiori, & maioris fiduciæ viro deferendæ committuntur: hic despectis, quæ præuidebantur, periculis, fidei zelo & Christi amore succensus ad destinatum pergit locum: iter agens per patriam transit, suúmque cognatum Chassadir reliqui comitem itineris assumit.

Elias à quodam Anglo cognitus retinetur, & ad Proregem Syrasensem, vulgò Kan, adducitur; carceri mancipatur, & diligenter inquisitus commendatas sibi litteras tradere cogitur: interrogatus de sua conditione, se Christianum Catholicum liberè & constanter profitetur, sicut & socius eius Chassadir: Prorex illos tum blanditiis, tum promissis, tum minis à fide Christi, ad Mahometicam legem reducere conatur: sed hi strenui Christi milites diuina roborati gratia, sibi proposita despicientes & præmia & tormenta, inuicto animo se iterum Christianos confitentur, immensásque Deo gra-

tias referunt, quòd se à tenebris infidelitatis, & sectæ Mahometicæ liberatos erroribus ad Euangelij lucem perduxerit, séque in ea & viuere & mori paratissimos dicunt.

Hac responsione Prorex iratus, eos fame, siti, aliísque miris modis affligens constantiores reddidit; cúmque se frustra laborare cerneret, asino pellem iubet extrahi, in eáque consutum Eliam stipiti infigi, sícque crudeliter tortus aliquot horis viuens Christum continuè laudabat, eiúsque sanctissimam fidem constanter profitebatur, & aliis prædicabat, his cognati tormentis non territus, sed potiùs animatus Chassadir, & in fide Christi perseuerans stipiti alligatur, eíque venter cultro discinditur, cunctis eius constantiam sicut & socij admirantibus.

His duobus faustè, fœliciterque consummatis, Prorex ad Regem Persidis interceptas Patris nostri Ioannis Thadei Epistolas mittens, eidem nomina trium Christianorum, qui supererant, tam Mahometica, quàm Christiana prodit: hoc recepto nuntio Rex illos Christianos ad se imperat adduci (à Ciuitate quippe Aspahanensi nouem milliaribus aberat) & ciuitatis Gubernatorem, siue iudicem, vulgò *Daroga*, ad nostrum Conuentum Patres obseruaturum misit. Hic statim omnium cellas claudens sigillis munit, omnésque in vnam congregat aulam, & Patri Ioanni Thadeo improperans ait, tibíne iustum videtur hæc in Regem perpetrare post tot honores & fauores ab illo tibi collatos? respondit Pater, se non venisse in Persidem, vt his honoribus & fauoribus frueretur; sed vt Regem ipsum totúmque regnum ad fidem Christi conuerteret. Dum hæc agerentur vnus Pater adhuc post meridiem ieiunus ad Ecclesiam properat, sanctúmque Sacramentum consumit, ne aliqua eidem iniuria irrogaretur. His peractis discedens Iudex plures domi custodes relinquit

 qui

qui noſtris diuinas laudes prohibent decantare: ſic vexati & reſtricti Patres martyrio ſe præparabant, eius expectatione hilares; ſed maximè dolentes quòd tres illos Chriſtianos tormentis expoſitos animare & adiuuare non poterant: vnde continua oratione & implorata ſociorum martyrum Eliç & Chaſſadir interceſſione Deo commendabant. Tribus in hac arcta cuſtodia diebus permanentes noſtri Patres, generali confeſſione emaculatas hoſtias ſe martyrio præparabant, primáque die vitam ſancti Ignatij martyris, ſecunda vitam ſancti Laurentij; tertia tandem vitam ſanctæ Catharinæ communiter legerunt; quibus animati non pauebant, nec tormenta formidabant, ſed potiùs ſancta quadam impatientia martyrium appetebant.

Secunda recluſionis die, Rex interceptas epiſtolas cum adulterata interpretatione Patri Ioanni Thadeo remittens ſciſcitatur, an prædictæ epiſtolæ fuerint ab ipſo conſcriptæ, & an legitima ſit earum interpretatio, conqueſtus quòd collatos eius honores tam ingrato animo reciperet: lectam interpretationem falſitate, & impoſturis plenam reperit, ipſéque ſuas epiſtolas interpretatur, ac nuncio à Rege miſſo reſpondet, ſe fauores regios agnoſcere, has epiſtolas ſuas eſſe,, ſéque hos Chriſtianos baptizaſſe fatetur: cauſámque interrogatus liberè ſubiunxit, cur Rex veſter tot Chriſtianos fidem Chriſti abnegare & Mahometicam amplecti cogit: ſicut autem ipſe Mahometis partes tuetur; ſic & ego partes Chriſti tueor: propterea quicumque ad me venerint Chriſtianæ fidei deſiderio, à me baptizabuntur: hoc enim ſolo fine ego & ſocij mei in Perſidem venimus. Hoc patris reſponſum Regi delatum approbatur, etiam coram ducentis Mahometicæ legis Doctoribus, quos *Moula* vocant; qui eò acceſſerant, vt contra Patres, de conuerſione illorum Perſarum conquererentur: Rex enim aſperis & iniurioſis eos verbis excipiens,

piens, recedite, inquit, nebulones : hic Pater iustam, & rationabilem affert causam ; à decem annis, quibus cum Patribus illis ago, ne vllum mendacium ab ipsis audiui, nec quid mali de ipsis relatum est ; sunt optimi viri : his confusi & territi recesserunt, ex quibus colligitur quantum Rex patres nostros diligeret & veneraretur. Quòd si Persas conuersos occidi iussit, hoc metu alicuius seditionis in ipsum, fecisse credendus est: imò cum fundamento creditur custodiam in domum nostram misisse, ne populi irruptione patres enecarentur.

His ita gestis Rex tres Persas conuersos imperat adduci, simúlque cum eis sex catechumenos etiam captos: eos omnes interrogat, an Christiani sint, qui omnes se Christianos esse negant, excepto Alexandro qui animosè se Christianum profitetur ; Rex eius audacia iratus imperat, vt abnegata Christianorum fide ad Mahometicam redeat; respondet ipse se nunquam tantum facinus, cõmissurum, vt relicta vera Iesu Christi fide ad falsam Mahometis redeat, subiungens se diuina fretum misericordia in Christi fide victurum semper, & moriturum. Rex eius respondendi libertate excandescens, imperat eum statim lapidibus obrui, & postea corpus flammis consumi ; quod mortis genus generosè ferens, Christum continuò inuocans, ipsi gratias referebat, quòd se martyrij corona dignum effecerat.

Octo alij Regis mandato ad Patres, vt erant catenis vincti deducuntur ; vt ab ipsis resciret quinam ex illis Christiani essent. Pater Ioannes Thadeus eos blandè suscipiens ad fidem Christi, quam susceperant, constanter profitendam hortatur, subdens nefas esse Christianis, Christum etiam solis verbis negare, postea ministris dixit se Iosephum & Hebraim baptizasse (sciens hoc Regem non latere :) hac patris confessione vnus irascitur, alter tacet.

Mirum eſt, quòd Deus ipſoſmet Mahometanos induxit vt hos ſeruos ſuos ad martyrium animarent; vnde vnus ex miniſtris iuſtitiæ dixit, ne formidetis mortem omnibus hominibus hæreditate communem, Chriſtiani eſtis, moriamini igitur in fide Chriſti. Alius dixit, tormentum hoc momentaneum erit, poſtea in cœlum cum Chriſto regnaturus aſcendes. Tertius tandem ait, Chriſtus viuit, nec mortuus eſt ſicut Mahomet, conſtans in fide Chriſti eſto, & ad quartum cœlum cum Chriſto ibis.

Sequenti die hi octo iterum ad Patres reducuntur, ſimul cum Sebaſtiano Diez Luſitano, qui captiuus Aſpahani detinebatur peculiari Dei prouidentia, vt hos nouos Chriſti milites animaret: cúmque Patres ad eos refocillandos cibum obtuliſſent, ſoli duo Chriſtiani cum Luſitano comederunt; eis exemplum trium ſociorum, Eliæ, Chaſſadir, & Alexandri proponitur, vt ad martyrium animentur, Chriſti ſubſidium ad tolerandos labores, & vita æterna in præmium promittitur. His animatos & hilares amplectuntur mœſti Patres, quòd tam fœlici ſorte priuentur, eóſque prædicti Luſitani curæ committunt. Omnes ſimul diu per ciuitatem circumducuntur; Chriſtiani fidem Chriſti alta voce profitentur: tandem ad Regis conſpectum adductis Rex imperat, vt Luſitanus & Cathecumeni ad Carcerem reducantur; Ioſeph autem & Hebraim lapidibus obruantur, & eorum corpora concrementur.

Præmiſſo præcone, qui omnes Mahometis amicos, ad vlciſcendam eius iniuriam inuitabat, ad locum martyrij hi duo adducuntur, de nouo propoſita venia, & oblatis præmiis ad patriam Mahometis legem ſollicitantur; ſed fruſtra, nam Ioſeph qui pimus ante Regem fidem Chriſti priùs negarat, audacter reſpondit ſe nunquam tale ſcelus commiſſurum; & quòd ſatis,

ſuper

ſupérque erat, quòd ſemel fidem Chriſti negauerat, de quo maximè dolebat, ſubiungens ſe ad mortem pro Chriſto paratum.

Omnes aſtantes lapides arreptos in martyrem coniiciunt, ipſe pene confracto capite clarè nomen Dei benedicebat, fidem Chriſti exaltabat, & Mahometicam tanquam falſam & mortiferam condemnabat. Tandem cùm ſe nullum dolorem pati teſtatus eſſet, & circunſtantibus dixiſſet; Vobis parcat Deus, fratres mei, & veram lucem concedat; martyrio coronatur.

Hebraim adhuc remanens ad abiurandam Chriſti fidem de nouo ſollicitatur; ſed miniſtrorum irridens conſilia, ſe Chriſti diſcipulum profeſſus, & pro eo mori paratiſſimum exhibens ſtipiti alligatur; tunc adinſtar Sancti Stephani prothomartyris pro lapidantibus orās, gloriosè triumphans, obrutus lapidibus occubuit, eorúmque reliquiæ ſemiuſtæ à Chriſtianis maxima veneratione colliguntur: etiam Mahometanis Chriſti fidem collaudantibus.

Rex Aſpahano diſcedens ſex Cathecumenos è carcere, & Patres noſtros è cuſtodia liberans, ſuis præcepit miniſtris, ne quicquam mali nobis fieret, & vt priſtinis ritibus noſtris cum omni libertate relinqueremur.

Horum martyrum exemplo quadraginta tres pagi Armenorum, qui fidem Chriſti cogente Rege negauerant, eandem fidem palam & liberè profitentur, Rege factum diſſimulante, & præcipiente vt ſublati legis Chriſtianæ Codices eis reſtituerentur: quæ omnia horum quinque martyrum interceſſioni ſunt referenda.

Quia, vt ſupra dictum eſt, noſtri Patres à ſummo Pontifice Clemente VIII. cum commendatitia epiſtola ad Regem Perſarum directi ſunt, eiuſdem epiſtolæ copiam hîc apponere conueniens eſſe duxi.

Illuſtri, ac Potẽtiſſimo Sciahabas Regi Perſarũ. Clemens Papa VIII.

Illuſtris, ac Potentiſſimè Sciahabas Perſarum Rex, adſit Tibi Deus, & perfectam in omnibus rebus veritatem & vitam oſtendat. Miſimus iam ad Te Paulum-Simonem, Ioannem Thadæum, & Vincentium fratres ordinis B. Mariæ de monte Carmelo, eiſque mandauimus, vt nonnulla negotia noſtro nomine Tibi exponerent. Cúmque facilè futurum ſit, vt ea de cauſa aliquandiu apud Te moram trahant, eis iniunximus, vt interea Chriſti fideles, qui ſub tua poteſtate ſunt, noſtro nomine inuiſant: vt memores ſint ſalutis æternæ, eos ſalutaribus præceptis inſtruant, & iuxta Chriſtianorum ritum, & facultates eis conceſſas ſpiritualibus remedijs, & ſacroſanctis Sacramentis reficiant. Vt autem in aliqua de eorum inſtituto intelligas, pauca quædam Tibi ſignificanda duximus; ex quibus cætera facilè coniicias. Habuerunt olim religionis huius profeſſores, ſicut à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris memoriæ proditum eſt, ſui inſtituti auctores ſanctos Prophetas Eliam & Eliſeum, omnibus nationibus, & gentibus notos, & à Beato Alberto Patriarcha Ieroſolymitano magni nominis viro proprias regulæ conſtitutiones acceperunt, quibus illis in primis præcipitur, vt ſummam obedientiam, perpetuam paupertatem, & caſtitatem ſeruent. Deinde vt in lege Domini meditantes, contemplationi & orationi vacent, tum prædicationi verbi Dei, atque animarum ſaluti incumbant; atque ideo ad regiones longinquas mittuntur. Et iam Hiſpaniarum regna & Indiam occidentalem, nonnulláſque Italiæ Ciuitates peragrarunt. Bonorum temporalium (vt illorum quoque viuendi rationem accipias) nec communi quidem nomine proprietatem, aut vſum retinent: & quotidianum victum, aliáque ad Eccleſiarum cultum, & vſum vitæ neceſſa

necessaria, ex pia eleemosynarum oblatione capiunt. Nudis pedibus Apostolorum more soleis vtentes incedunt, vnde discalceati nuncupantur. Perpetuò à carnibus abstinent, corpus vigilijs, & ieiunio macerant, horrido cilicio domant, & crebris verberibus in seruitutem redigunt, vt legi mentis non repugnet, & in omnibus diuinæ subiaceat voluntati, dúmque se à carnis petulantia & terrenarùm rerum ambitu, atque à visibilium voluptate custodiunt, ab his etiam alios admonendo compescunt. A Te igitur petimus, vt illos & libenter audias, & Christianos functiones cum fidelibus subditis tuis exercere permittas: nec verò incultum & rudem illorum vestitum despicias; nam si vitam & mores inspexeris; experieris, vt in Domino confidimus, sub illo vili, asperóque indumento latere quasdam præclaras animi dotes, atque virtutes, quibus se Deo, & hominibus gratos præbere student. Et licèt pedibus longinqua loca peragrantes puluere conspergi, & inquinari luto videantur; ex eorum tamen colloquijs, & vsu frequenti comperies, vt speramus, quàm omni labe immunes, quàm à rerum humanarum colluuie liberi, quàm denique speciosi sint pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona. Datis Romæ apud sanctum Marcum die Octobris, anno 1604. Pontificatus nostri 13.

CAPVT IV.

De alijs missionibus Persidis.

DVas alias fundauit Religio nostra in Perside missiones, vnam in Ciuitate Sirasensi; aliam in Ormuzio Persici maris Insula.

Sirasensis missionis fundandæ motiuum præbuit Gloriosus ille martyr Elias: cùm enim Apostolico zelo conuersionem incolarum oppidi sui summopere desideraret, patres nostros repetitis precibus induxit, vt in hac nobili Ciuitate, non multùm ab ipsius natali solo

diſtante, reſidentiam fundarent: vnde hanc R. P. Ioannes Thadæus à ſancto Eliſeo iam ſupra nominatus hoc opus aggreditur, & authoritate, qua apud Regem & Principem Siraſenſem pollebat, tandem perfecit; imò & ab ipſo Principe annuam obtinuit eleemoſynam ſatis pinguem: hæc miſſio Sanctorum Perſidis Apoſtolorum Simonis & Iudæ titulo & patrocinio gaudet.

Exercitium noſtrorum Patrum hîc eſt, adiuuare tum aliquos, ſed raros orientales Chriſtianos incolas, tum Europeos illac tranſeuntes, vel ibi ex capto Ormuſio detentos, ex quibus etiam aliquos euadere facientes ad ditionem Luſitanorum remiſerunt. Ibi quidam Luſitanus nomine Blaſius Caruagle glorioſo conſummatus eſt martyrio; cùm enim captiuus eſſet, & Chriſti fidem abiurare iuſſus, hanc impietatem conſtanter reieciſſet, abſciſſo capite martyr occubuit, eius conſtantia Patrum noſtrorum conſiliis, & prædicatione fuit roborata: cùm enim eius libertatem à Prorege aliàs nobis multùm affecto impetrare non poſſent, quia tunc Luſitanis erat infenſiſſimus: ab ipſo tamen obtinuerunt, vt ſæpe eum conuenirent: quamuis ſubridendo iniungeret, ne eius ad Mahometicam legem tranſitum impedirent.

Quædam erant Armenorum oppida in medio Perſidis ædificata (Rex enim Abbas capta Turcis Armenia maiori, habitatores eius in Perſidem tranſlatos ad illam habitandam hinc inde diſperſit) his mandato Regis conceſſa mutuò fuerat notabilis ſumma pecuniæ, ſupellectili comparandæ neceſſaria, ſed ſuo tempore reſtituenda; hoc elapſo exigitur pecunia, nulla paupertatis admittitur excuſatio; ni reddant, vel carceres & cruciatus, vel mutatio legis de Chriſtiana in Mahometanam intimatur: quid agant, quò ſe vertant, penitus ignorant; ſuas anguſtias, ſuæ ſtatum miſeriæ deflent: huius rei nuntio Patribus noſtris relato, de pauperum

perum illorũ solatio & remedio cogitant,initóque consilio R.P.Dimas à Cruce linguam callens Armenam, & zelo plenus illuc mittitur, qui per aliquod tempus illa circuiens, sic omnes exhortationibus animando confirmauit, vt potiùs mortem crudelissimam se electuros, quàm Christi fidem abnegaturos dicerent: his expletis ad nostros rediit,qui ex abundantia charitatis totam ferè pecuniæ summam, quam penes se habebant, pauperibus illis ad redimendam suam vexationem vltrò obtulerunt: quod vbi Rex audiuit, factum admiratus, condonato debito dimisit eos liberos, & in lege Christi pacificos: his, vt referebant, sanctus Patriarcha noster Elias apparuit, maximè tunc temporis, quando Patres nostri primò Persidem sunt ingressi.

Eo fine primi huius missionis Patres Conuentum in Ormusiana Lusitanæ ditionis insula Persidi adiacente fundarunt; tum vt aliquæ piorum eleemosynæ ibi collectæ in Persidem mitterentur; tum, vt si quandò persecutionis rabie de finibus Persidis expellerentur, aut recedere cogerentur, securum ibi reperirent azilum. Hánc fundationem incepit, & generosè perfecit R.P. Leander ab Annunciatione Hispanus Burgensis, vir & doctrina, & sanctitate, & in rebus gerendis prudentia conspicuus, qui postquam multis annis omnium nostrarum orientalium missionum extitit moderator, ad ciuitatem Visapor Curiam Regis Mahometani, vulgò *Dialcha* dicti, tum Christi, tum Lusitaniæ Regis causa hospitium fundaturus proficiscitur, vbi plenus meritis & rerum gestarum gloria celebris decessit.

Vix credi potest, quot labores, & aliquorum oppositiones in hac fundatione passus est; quotidie ad expellendos patres mandata regia falsis informationibus extorta mittuntur; Gubernator ipse Dominus Ludouicus de Soza vocatum ad se P. Leandrum secretò retinet clausum, in Persidem remissurus; intrepidus ipse

ipſe & generoſus Pater de incurſa monet excommunicatione, & iram Dei ſuper ipſum venturam prophetizans minitatur, quam euentus rei poſtea declarauit; ex tunc enim infortunia plurima ei contigerunt, & vltimò veniens in Luſitaniam capta à Mauritaniæ piratis eius naui, captiuus ipſe cum vxore, tota domo & facultatibus Algeziras adductus miſeram duxit captiuitatem: his non contenti noſtri æmuli, qua pollebant authoritate, ſic Proregem Indiarum contra nos adhuc ibi ignotos animarunt, vt Benedictum de Baëna Commiſſarium electum cum triremi miſerit Ormuſium, vt per vim Patres noſtros expelleret; & ſi reſiſterent, tormentorum globis Conuentum euerteret: huius commiſſionis nuntium ciuitatem percurrit, Patres inito conſilio ſanctiſſimum Sacramentum in ſuperiori domus parte mari expoſita, vnde tormenta bellica explodenda forent, ſolemniter & apparenter collocant, Religioſis ibi ſucceſſum bonum rogantibus: vniuerſus autem populus & maximè præſidij milites nobis plurimùm affecti, ad noſtram defenſionem turmatim congregantur, Conuentum armati circunſtant, expellendos potius noſtros æmulos proclamant, & mortis minas intentant etiam Gubernatori, ſi quid mali nobis contingat, ſubreptitium Proregis dicunt eſſe mandatum: his viſis & auditis tremens commiſſarius è triremi deſcendit, & ad Eccleſiam noſtram oraturus acceſſit: ex tunc omnis ceſſat perſecutio benè informatus Prorex quieſcit, ibique Patres noſtri ſolitis miſſionum exercitiis occupati tandiu perſeuerant, donec capto à Perſis Ormuſio omnes Luſitani & Chriſtiani expelluntur.

CAPVT

CAPVT V.

De Missione Indica.

AD perfectum missionis Persicæ munimen idem R. P. Leander ad Indias proficiscitur, Indicam missionem iisdem motiuis & titulis, quibus Ormusianam fundauerat, fundaturus: sub missione Indica omnes domos & residentias comprehendimus, quas ibi in ditione Lusitanorum possidemus.

Primam igitur in ciuitate Goana fundandam aggreditur; incredibile est, quot labores, quantas difficultates, & contradictiones in sancto hoc opere tolerauit; sed sua prudentia, & incredibili patientia sic omnia disposuit, vt & Prorex consenserit, qui erat Dominus Ferdinandus D'Alburquerque, & Archiepiscopus Dominus Christophorus Vlissiponensis ex ordine sancti Hieronymi plurimùm sanctæ Matri nostræ Theresiæ, nobísque affectus, fundandi veniam concesserit sequenti successu commotus. Accidit quòd tunc ob vrgentem aliquam causam solemnem indixit supplicationem, siue Ecclesiasticam processionem, ad cuius celebritatem plures reliquiæ, plures item Sanctorum effigies magnificentissimis vestibus ornatæ, deferuntur: impetratâ facilè eius licentiâ inter hos cõputatur sancta Mater Theresia, statim effigies eius efformatur, perficitur & monilibus, aliísque pretiosis decoratur ornamentis. Destinatâ supplicationis die ad Archiepiscopum; vt erat auro, gemmísque, ac lapillis refulgens, ac præ manibus supplicem habens petitionem, defertur. Eius pulchritudinem deuotus Antistes miratur, cartam lecturus ex eius manibus suscipit, in qua legit sanctam Matrem Goanam suis filiis Carmelitis fundationem suppliciter ab eo efflagitare: deflet bonus ille Præsul deuotionis teneritudine, & ex tunc fundandi concedit

facultatem anno Domini 1620.

Tunc idoneus nouo Conuētui locus quæritur, inuentus capax, & amœnissimus emitur, paucísque interiectis diebus, copiosis pioru eleemosynis iustu exoluitur pretiu; Ecclesia sub titulo B. Virginis Mariæ de monte Carmelo fabricata dedicatur, ipse verò Conuentus à fundamentis erectus nunc inter præcipuos & maiores religionis nostræ computatur. Ex hoc Conuentu plures alij dimanarunt, videlicet alius propè ipsam ciuitatem sub titulo sanctæ Matris Theresiæ, alius in ciuitate Diuiensi sub titulo sancti Ioseph peculiaris nostræ religionis patroni, à Venerabili Sacerdote Domino Francisco Calassa fundatus: alius item Mozambici in parte orientali Africæ, & plures alij sine dubio dimanassent; nisi mandato Regis expresso nouæ religiosorum fundationes illis in locis prohibitæ fuissent: nam in Macao ciuitate Chinæ, in Insula Ceilam, Bassaini, & alibi Conuentus etiam cum reditibus offerebantur.

Primarium Goani Conuentus exercitium est; idoneos pro aliis missionibus educare ministros; propterea ibi nouiciatus & collegium; separatim tamen, ad religiosos admittendos, & litteris instruendos reperiuntur. Inter alios celebres huius Conuentus alumnos celeberrimus est V.P. Dionysius à Natiuitate quem dum ibi Superioris officio fungerer, habitum sacræ nostræ religionis indui & Philosophiam postmodùm edocui, qui insignis martyr Christi paucis post annis extitit; de hoc iterum libro sequenti capite 2. & libro vltimo capite primò fusè dicetur, his paucis in præsenti prælibatis.

V.P. Dionysius à Natiuitate dictus in sæculo Petrus Berthelot, natus est in vrbe maritima prouinciæ Normandiæ nobilis & potentissimi regni Galliæ, dicta Honfleur, quæ adiacet Sequanæ, vbi se mari miscet. Contigit fœlix eius natiuitas anno Domini millesimo sexcentesimo in principio mensis Decembris, à tenera

ætate

ætate ſub diſciplina piorum parentum in fidei puritate, ac bonis moribus inſtructus fuit; erat quippe optimæ indolis, ſuiſque parentibus obſequentiſſimus, quorum imperio legere & ſcribere didicit, & adhuc iuuenis, Hiſpanias, Angliam, terras nouas, aliáſque regiones mercimonij causâ adnauigauit. Anno Domini 1619. conſentientibus eius parentibus ad Indias orientales perrexit, ſoluens è portu Honfleur cum quatuor nauibus illuc tendentibus; vix explicari poteſt, quot labores, quot tempeſtates, quot pericula in prolixa nauigatione paſſus eſt: incenſa naui, in qua tranſmiſerat, in oriente bono ſuo remanſit primò mercatoribus Gallis Maclouienſibus aſſociatus in inſula Celebes: deinde in obſequium Luſitanorum in Indiis mancipatus, vbi per aliquot annos Nauarchi, & Coſmographi regij munera ſumma cum laude exercuit; plures ibi & periculoſas ſuſcipit nauigationes; claſſem Luſitanorum ad pugnandum contra Batauos & alios Catholicorum hoſtes dirigendo; tandem cum iam à multis annis ad ſacrum religionis ſtatum continuis Dei inſpirationibus vocaretur, meo conſilio & opera noſtræ Carmelitanæ anno ſalutis 1635. in vigilia Dominicæ Natiuitatis habitum ſumpſit, & ſequenti anno ipſa die Natiuitatis ſolemnem emiſit profeſſionem. Omnibus aliis virtutum exemplar effectus, ac Grammaticæ & Philoſophiæ ſtudio incumbens in eodem Conuentu Goano perſeuerauit vſque ad 25. diem menſis Septembris anni 1638. qua iam ſacris initiatus occaſione cuiuſdam Legationis ad inſulam Sumatram nauigauit, vbi glorioſo martyrio cum aliis ſexaginta coronatus eſt, quod infra fuſius deſcribetur: hæc ex libro vitæ ipſius, quem typis mandaui, ſummariè collexi.

In eodem Conuentu, vtpote in terris Luſitanorum exiſtente, eadem quæ hîc in Europa, quantùm ad conciones & confeſſiones audiendas, fiunt exercitia; & inſuper

ſuper gentilium ibi commorantium conuerſio procuratur; multíque quotannis conuertuntur; ipſe quadam die integram familiam ſeptem animarum baptizaui. Quando fames illa ſæuiſſima, de qua ſupra actum eſt, Indias deuaſtabat, Patres noſtri conſiliis ac precibus ſuis Goënſem magiſtratum induxerunt, vt ad colligendos pauperes miſera fame pereuntes Xenodochium erigeret: infiniti gentiles illuc admittebantur, qui omnes pene conuerſi à noſtris, quibus huius Xenodochij cura demandata erat, baptizabantur. Aliquandò ex Conuentu Goënſi ad terras gentilium noſtri pertranſeunt; tum ad prædicandum eis Euangelium; tum ad reducendos Luſitanos, qui illuc ſæpe confugiunt, & cum ſalutis periculo commorantur.

CAPVT VI.

De miſsione Mogoritana.

QVamuis regnum Sindi in Indiis computetur ipſo Indo flumine irrigatum; quia tamen ſub Mogoritana ditione infideli continetur, ideò miſſio ibidem fundata ſpeciali capite deſcribetur.

Miſſionis huius fundator extitit R. P. Ludouicus Franciſcus Hiſpanus, vir admodùm ſanctus, & opinione ſanctitatis non ſolùm inter Chriſtianos, ſed etiam inter Mahometanos & Gentiles illius regni ita celebris, vt cum quadam die vnus aduersùs eum, neſcio quid oblocutus fuiſſet, alter dictis offenſus, cauſam Patris ſuſcipiens; ipsúmque, vt virum ſanctiſſimum & Deo gratiſſimum laudans, vindictam propriis manibus ſumpſiſſet; niſi maledicus ille aufugiſſet. Hic Pater, dum in Europa degeret, Deo ad maius virtutis exercitium, & ad maiorem eius gloriam ſic diſponente, ita ſcrupulis vexabatur, vt quotidie ad ſuperiores & confeſſores causâ conſolationis accederet: ſed in illis infidelium

delium terris constitutus, sic diuina replebatur gratia & consolatione, vt per sex, aut plures annos solus sine socio sacerdote perseuerans, nullam animi perturbationem, aut scrupulum senserit; quotidie in conuersione animarum occupatus, tanto zelo diuinissimum hoc opus perficiebat, vt cum morbo oppressus ad vltimam vitæ periodum peruenisset, se ad Ecclesiam deferri iusserit, vt antequam moreretur duos cathecumenos baptizaret, ibique Litaniis Beatissimæ Virginis Mariæ recitatis ad mortis agoniam peruenit, eadémque die plenus consolatione decessit; Lusitanis, qui aderant, eius absentiam deflentibus; huius sancti viri memoria adhuc post tot annos in terris illis in benedictionibus est.

Non defuerunt ibi nostris persecutiones; nam mortuo Selino Rege Christianis admodùm affecto, eius successor Corron, infensissimus & acerrimus hostis eorum, suis imperauit ministris, vt & domum, & Ecclesiam nostram penitus euerterent: cuius imperium executioni mandantes, domúmque nostram aggredientes diruebant; sed precibus & muneribus placati ab opere destiterunt, donec Regi denunciaretur; quòd si Patrum Ecclesia destrueretur, mercatores omnes Lusitani cum maximo commercij, & regni damno discederent: hoc temporalis lucri motiuo Rex à persecutione Patrum destitit, & diruta resarcire permisit.

Fructus huius missionis etiam est vberrimus; nam Patres nostri Lusitanis hîc commercij causâ commorantibus, aut continuò venientibus administrant Sacramenta, & Gentilium conuersionis incumbentes plures quotannis ex illis conuersos in Indias transmittunt.

Ad proximos Reges Christianæ religionis bonus odor peruenit: nam Rex Cache misso ad nostros Legato, ad fundandam in sua ciuitate domum & Ecclesiam inuitabat: hac Legatione expensa P. Ioseph Ale-

xius, huius miſſionis præſes, conſultis qui aderant Luſitanis, iter aliquot dierum aggreditur, vt ad prædictum Regem reſponſurus ſe transferret: poſtquam illuc peruenit, ad eius conſpectum ſiſtitur ipſum maximis ſubmiſſionibus vſitatis ſalutat, & oblata quam ſecum detulerat Beatiſſimæ Virginis Mariæ pulcherrima effigie, apud ipſos etiam infideles venerabilis, ſolitum perſoluit tributum (in toto quippe oriente nullus ad Principes & Magnates vacis manibus audet accedere) Rex ipſe vultu hilari, & maxima amoris ſignificatione Patrem ſuſcipit, cui ſuum de fundanda ibidem Eccleſia deſiderium manifeſtat, liberam conuerſionis in tota ditione ſua facultatem pollicetur, & plura futuræ miſſioni emolumenta promittit. His vrbanitatis & amoris ſignificationibus ſatisfacere volens Pater, ſe ſuis Superioribus, (ſine cuius licentia nihil in hac materia fieri poſſe dicit,) ſcripturum affirmat, eíque *Vale* dicens apud noſtros Superiores huius fundationis licentiam inſtantius ſollicitaturus recedit.

Poteſt Mogoritana Miſſio in ciuitate Tatta regni Sindi gloriari, quòd inter alios quos genuit Chriſto filios, Venerabilem fratrem Redemptum à Cruce, cuius martyrium libro ſequenti capite ſecundo deſcribetur, habuerit alumnum; hunc enim nouitium vidit, & ſolemniter profitentem audiuit. Hic V. Frater in ſæculo vocabatur Thomas Rodrigues da Cagna; natus eſt in oppido dicto Paredes in regno Luſitaniæ, in Archiepiſcopatu braccarenſi, perrexit iuuenis in Indias Orientales, ibíque per aliquot annos militauit, fuit poſtea dux cuſtodiæ Domini Roderici Diez de Sampaïo, Generalis in ciuitate S. Thomæ, (olim dicta Calamina, nunc vulgò *Meliapor*) tandem apud nos indutus frater Donatus, & in hanc reſidentiam ciuitatis Tatræ, quam alluit Indus fluuius, in regno Sindi ditionis magni Mogoris, cum maxima religioſorum & ſæcula-
riu m

rium ædificatione, tum nouicius, tum professus vixit; sicut & in aliis Conuentibus nostris Diuiensi & Goënsi, vbi Ianitoris & Sacristæ diu munere functus est: plurima charitatis, humilitatis, & obseruantiæ regularis omnibus exempla præbendo. Erat admodùm affabilis & vultu hilaris; vnde & multùm amabilis omnibus, cum quibus agebat. Denique in præmium suarum virtutum, Deo sic disponente, ex obedientia missus in regnum Achem in insula Sumatra, socius Venerabilis Patris Dionysij à Natiuitate, Martyr gloriosus occubuit, vt dicetur libro sequenti capite secundo. Erat statura paruus, & admodùm gracilis, colore fusco, & facie præ ieiunio valde extenuata; erat prudens, acuti ingenij, & facetus in dictis: sed hæc pauca ex multis decerpsisse sufficiat.

CAPVT VII.

De Missione Arabica.

HAbet religio nostra in Arabia fœlici in ciuitate Bassora, ad fluuium Euphratem propè Sinum Persicum sita, celebrem missionem; huius fundator extitit circa annum Christi 1623. Reuerendus Pater Basilius à sancto Francisco, Lusitanus, qui linguarum Orientalium, præsertim Arabicæ, Turcicæ, & Persicæ apprimè peritus in illis partibus celeberrimus per multos annos perseuerauit: hic vniuersalem illam Christianorum sancti Ioannis transmigrationem procurauit, summa, qua apud Proregem Turcam veneratione, & authoritate pollebat: hic enim præ nimio erga Patrem amore sæpè domum nostram inuisebat. Admirabilis hic missionarius, postquam plurium annorum curriculo missioni Bassoranæ fructuosè deseruiit, ad montem Carmelum à superioribus missus se recepit; vbi postea describendis missionis illius exercitiis non impari fructu occupatur.

Huius miſſionis Arabicæ præbuit fundamentum annuus Luſitanorum illuc commercij causâ nauigantium aduentus; ſolent enim bis quotannis, menſibus videlicet Martij & Auguſti, viginti & plurium nauium claſſem mercatoriam illuc dirigere, faciliúſque portus illos frequentant, vbi Catholicæ religionis exercitia vigent: propterea etiam Principes Mahometani; non legem ſuam, ſed lucrum attendentes, facilè in ſuis terris religioſos admittunt, eíſque commorandi, & Chriſtianos ritus exercendi amplam concedunt facultatem.

Cùm præfatis temporibus Luſitani aduentant, omnibus propè Conuentum habitantibus; non infidelium, ſed Chriſtianorum hæc ciuitas apparet; nam quotidianæ miſſæ, ducentis & amplius auditoribus celebrantur; feſtiuis autem diebus, & maximè in Natiuitate Beatiſſimæ Virginis, cui Eccleſia dedicata eſt, cum muſicis inſtrumentis diuina decantantur officia, & frequentia confeſſionis & communionis ſolemniora redduntur: tantóque Luſitani Patres noſtros amore complectuntur, in gratiam huius miniſterij, vt vix vllus accedat, qui præter copioſas eleemoſynas Indica ſua munera non deferat.

Præter hoc impenſum Luſitanis miniſterium, maius impendunt Patres noſtri, Chriſtianorum Orientalium qui ibi commorantur, incumbentes ſaluti. Hi licèt è diuerſis procedant ſectis, videlicet Armenorum, Neſtorianorum, Iacobitarum, & Cophtorum: in ſua tamen ſimplicitate fidem Romanæ Eccleſiæ admittunt; ritu quippe Romano, miniſtrantibus nobis tanquam Parochis, omnia ſuſcipiunt Sacramenta, ſinguliſque diebus Dominicis Miſſæ ſolemni interſunt, & factas Arabica lingua exhortationes auidius auſcultant, ſicque in Chriſtiana religione fouētur, & quotidianis his exercitiis, ne ad Mahometiſmum tranſeant, impediuntur.

Tandem

Tandem Patres ibi commorantes infidelium conuersioni plurimùm incumbũt. Quantùm erga Christianos sancti Ioannis, de quibus supra libro sexto capite penultimo dictum est, profecerint, patebit ex dicendis libro sequẽti capite quinto. Circa Mahometanos etiã etsi difficilior sit eorum conuersio, non parum proficiunt: nam aliquot in lege Mahometis educatos conuerterunt, alios verò ad ipsam prolapsos Christianæ restituerunt, vtriusque bina referam exempla. Quidam Bassoranus nomine Omar Mahometanis natus parentibus, ex diuturna Patrum nostrorum consuetudine fidei Christi affectus, ad Indias mittitur, vbi tandem à nostris baptizatur, mutatóque nomine, Maurus,(lusitanè Amaro) vocatur: propter vtriusque nominis consonantiam eius in Arabiam redeuntis conuersio Turcis secreta manet. Alius item Turca Babylonius Bassoram venit, vbi à nostris baptizatus, & Ioseph à Carmelo vocatus ad Indias destinatur; vt inde Romam, nauibus Lusitanis vectus, posset peruenire: hic vir viginti quinque circiter annos natus ad celeberrimum Mahometani nominis templum, quod Mecchæ colitur, deuotionis causa erga suum Pseudoprophetam perrexerat, templum ingreditur, superstitiosis ritibus insistens diutius in templo commoratur, vbi mysterioso somno correptus sanctum Petrum Apostolum videt, qui ipsum baptizans ab impio templo iubet exire, & ad Christianorum terras transmigrare: hoc mandato permotus prædictam suscipit peregrinationem: cúmque Goam peruenisset, in nostro Conuentu recipitur, vbi ipsum prædicta narrantem audiui. Cùm eum Domino Michaëli de Norogna Comiti de Lignares Indiarum Proregi, in Lusitaniam redeunti commendassemus, mari committitur; sed in diuturna hac septem mensium nauigatione, iam cælo maturus è viuis decessit. Non leuitatis, aut necessitatis causâ Mahometanam hic

fidem deſeruerat; nam vir erat maturæ ætatis, & diues mercator. Qùi Mahometanorum difficilem admodùm nouit conuerſionem, eámque tam conuerſo, quàm conuertẽti periculoſam, non miratur, dum paucos audit multorum annorum ſpatio conuerſos; plures ſine dubio conuerterentur, vt ab ipſiſmet Mahometanis audiui, niſi ſua conuerſione certiſſimam ſibi eámque crudeliſſimam necem afferrent: ex his autem qui Mahometani per vim effecti, noſtrorum Patrum opera ad Chriſti fidem reducti ſunt, propemodùm infiniti poſſent numerari; ſed duos tantùm celebriores in medium afferam. Primus vocabatur Bartholomeus Correa Luſitanus Vliſſipone oriundus, hic adhuc puerulus capto Ormuſio in Perſidem transfertur, vbi Proregis Siraſenſis puer honorarius effectus, Mahometanis dogmatibus imbuitur, multis poſt decurſis annis, pictoris artem edoctus vxorem duxit, & ſæpe cum turmis ſui Proregis ad regium Perſidis exercitum eques deſtinatur: à ſuo Prorege, apud quem ſemper manſit plurimùm ab ipſo dilectus, & diuitiis ditatur, & aliquot oppidorum dominio honeſtatur; ſed Chriſti Domino eum ad ſuam fidem reuocante Baſſoram pergit, vbi ſuperatis maximis difficultatibus libro primo capite vltimo expreſſis, ad Indias dimittitur. Dum Baſſoræ apud nos commoratur Eccleſiam de nouo conſtructam variis exornat picturis. Alius vocabatur Anthonius è ciuitate Diu oriundus: hic captâ Luſitanis naui ad BandelRegh; ſiue ad portum arenoſum in Sinu Perſico deducitur; puer erat, vnde facilè Domini ſui portus illius gubernatoris perſuaſus blanditiis, abiurata Chriſti fide Mahometicam amplectitur, tanto affectu diligitur, vt totius domus cura ipſi à Domino demandaretur: ſed bono ſuo Baſſoram mittitur, vbi à noſtris Patribus agnitus dolo capitur, & in ſecreto recluditur loco: hæc vbi nuntia eius Domino relata ſunt, miſſis ad Proregem

Baſſo

Baſſoranum ſupplicibus epiſtolis ſuum ab ipſo expoſcit captiuum, quem contra iuſtitiam in ciuitate ipſius libera dolosè captum, & vi retentum affirmat: religionis & ſtatus rationes adducit, ipſum aſſerens ſponte Mahometanum eſſe, & ſe amicum intimum (è cuius portu multa Baſſoræ commoda proueniunt) commemorans; ſed Prorex ipſe Patrum amorem, eius amori, & commodum Luſitani commercij præferens, Patres quietos relinquit, & puer ipſe paulò poſt reconciliatus Eccleſiæ ad Indias remittitur.

Præter ordinaria aliis miſſionibus exercitia, prædictus Pater Baſilius fundator iſtius aliqua extraordinaria media ad alliciendos horum Arabum animos induxit: nam & quotidianas pluribus largiebatur eleemoſynas, & Chirurgiam erga pauperes exercebat: nullus in illis partibus eſt Chirurgus, nullus Medicus, omnia pene fato relinquunt: Pater ipſe tot miſerorum vulneribus commotus, fecit vnguenta, quotidie determinata hora venientibus Conuentus porta aperitur, omnibus medetur; & diuina potius virtute, quàm arte omnes è fœtidiſſimis, ac putridis vlceribus curantur. Hæc pietatis & miſericordiæ opera communem totius Ciuitatis amorem, & applauſum ei conciliarunt.

Præ cæteris emicuit continuum charitatis exercitium, cuidam pauperi per multos annos ab ipſo patre exhibitum; erat quidam mendicus ad eleemoſynas expoſcendas prope conuentum ſedens; contigit malo, vel potius bono ſuo, quòd inuidiæ cauſa ab aliis mendicis gladio vulneraretur, eóque illorum rabies & crudelitas pertingit, vt ipſi verenda amputarent; ad eius clamorem accurrunt multi curioſitate, non charitate moti: Patres noſtri hoc ſucceſſu commoti, & commiſeratione ducti illum in domum ſtatim, vt credebatur, moriturum deferunt: ſed miraculoſis illis medicamentis curatur, multíſque apud nos iam domeſticus annis commora

moratur, & Christianus effectus, ac Eustachius nominatus fœliciter me præsente è viuis excessit.

CAPVT VIII.

De missione Syriaca.

DVæ sunt Patrum nostrorum in Syria missiones. Prima in Ciuitate Aleppi fundata anno Domini 1627. secunda in monte Libano fundata anno 1644.

Missionis Aleppensis fundator fuit R. P. Prosper à Spiritu Sancto Hispanus Cantaber, vir planè Apostolicus, qui iam ante in Persidem missus Conuentus nostri Aspahanensis Prior electus fuit; sed propter negotia consilio Patrum in Europam rediens, iterum prædicto anno Aleppum mittitur. Plurimas in hac fundatione, tum Turcarum, tum Christianorum difficultates reperit; primas Christianissimi Regis authoritate, secundas longa & admirabili patientia superauit. Quando in Persidem missus Aleppo transiui, ipse Domui præerat, omnibus mercatoribus Gallis & Italis charus, & præ sanctitate venerabilis: tanto animarum zelo flagrat, vt linguam Persicam & Arabicam admodùm senex continuo studio, & assiduo labore ad earum conuersionem comparauerit: sed de eo iterum capite sequenti dicetur.

Superatis, quæ ibidem occurrerunt difficultatibus, in magno campo, vbi Consul Gallorum cum præcipuis mercatoribus etiam Italis & Turcis, sub custodia ad maiorem securitatem commoratur, domum eligit, eámque, vt moris est, sola diues Dei prouidentia emit quingentis circiter nummis, soluto insuper quotannis sexaginta nummorum censu.

In hac missione Patres circa Christianos Catholicos, tam Italos, quàm Gallos ibi commorantes, eadem, quæ hîc in Europa, faciunt exercitia, eorum confes-

siones

ſiones audiendo, verbum Dei prædicando, Miſſas & officia diuina ipſis cooperantibus decantando; vnde inter ipſos mercatores maior in terris infidelium pietas apparet, quàm ſit in terris fidelium. Circa Chriſtianos orientales ſchiſmaticos plurimum laboris impendunt, vt eos reuocent ab erroribus; propterea linguam Arabicam, vt cum eis conuerſentur, addiſcunt; eorum paruulos linguam Latinam & Italicam edocent, vt ex diuturna conuerſatione noſtra ritibus Catholicis familiares effecti, Catholicam fidem amplexentur, ex quibus exercitiis vberimus emanat fructus. Circa Mahometanos paruus apparet profectus; tanta enim diligentia miniſtri Mahometicæ legis inuigilant, vt mulieres & paruulos nauigare cum Chriſtianis non permittant, ne hac occaſione ad Chriſtianorum terras peruenire poſſint, nec de lege diſputare, vel aliquid loqui ſinunt. Mirum eſt quantùm Chriſtianos deſpiciant,& quantùm Ianniſſeri eos perſequantur, quotidie pecunias, veſtes, vinum, aliqua per vim extorqnant; & tanta inſolentia, vt præcipuos etiam mercatores fuſtibus,pugnis,& gladiis percutiant.

Quamuis hæc Aleppenſis miſſio propter animarum ſalutem, & infidelium conuerſionem fundata ſit;ad eius tamen fundationem plurimùm contulit huius ciuitatis ſitus : cùm enim ibi fiant mercatorum commeatus, vt inde ſimul diſcedentes, & Arabiæ deſertum turmatim pertranſeuntes in Perſidem perueniant: iudicatum eſt fore peropportunum in hac Ciuitate domum erigere, vt illaç noſtri in Perſidem properantes, refrigerium & ſolatium apud noſtros reperirent, & extraordinarios ſumptus excuſarent : huius miſſionis Eccleſia Beatiſſimæ Virgini Mariæ de monte Carmelo dedicata eſt.

Miſſionis montis Libani fuerunt authores quidam Maronitæ, qui Patrum noſtrorum exercitiis & conuerſatione moti, eis eremitorium quoddam ſancti Patris

Elisei quasi nobis debitum, cum domo, aliísque annexis prope locum Cedrorum sponte concesserunt. Ad hanc missionem fundandam primus Aleppo missus est R. P. Cœlestinus, qui iam in Aleppensi missione maximo cũ fructu plures annos transegerat: linguam autem Arabicam tam perfectè didicit, vt in hac materia nullus ex Europeis eo superior, & vix vllus æqualis reperiatur, cuius linguæ notitiam, quam proprio marte didicit, sine inuidia pluribus aliis communicat.

Quia, vt dictum est, Maronitæ Libani montis Incolæ soli inter orientales Christianos sunt Catholici: ideò Patres nostri in hac missione commorantes eadem cum ipsis, quæ hîc cum Europeis nostris obseruant exercitia: Sacramenta Ecclesiæ administrant, verbum Dei concionantur, ibíque ab infidelium vexationibus remoti quietiùs viuunt, propriæ saluti inuigilantes.

CAPVT IX.

De missione Terræ Sanctæ.

IAm à multis annis Carmelitana religio nostra patrij natiuitatis soli desiderio flagrans suum anhelabat Carmelum. Iam R. P. Prosper à Spiritu Sancto possibilem nostris superioribus Carmeli restaurationem scripserat; cùm ad totius ordinis consolationem, eorumdem Superiorum mandato, tam arduum sola patientia munitus, & Dei prouidentia securus reparandi Carmeli negotium aggreditur anno Domini 1631.

Cùm obedientiæ præceptum antiquo suo desiderio coniunctum vidit, adit intrepidus Principem Carmeli, vulgò Mir Tarabei, ad oppidum Genim in radicibus montium Ephraim, in campo magno Esdrelon situm: rem proponit, oblatísque muneribus, tandem concludit, nostros Patres in Carmelo monte sub ditione & protectio

protectione ipsius fore mansuros, persoluto ducentorum nummorum annuo censu.

His ita conclusis ad montem properat, locum nouæ fundationis eligit, ibíque cauernam supra libro tertio capite primo descriptam, cum sociis incolit: inde ad visitanda sacra huius montis loca quotidie procedit; nunc ad antiquum Carmelitarum oratorium, primum quod in orbe terrarum sanctissimæ Virgini Mariæ suæ matri dilectissimæ post eius transitum ab ipsis fuerat consecratum; nunc ad fontem Eliæ nostri Patriarchæ, & huic adiacentem penè dirutum Carmelitarum Conuentum; nunc ad locum sacrificij, vbi sanctus Elias Deo vero sacrificans, ignem cœlestem attraxit, qui victimam comburens infidelium Iudæorum corda ad pœnitentiam emolliit; nunc ad cauernam eiusdem sancti prophetæ; nunc ad interiora montis penetrans, ad remotissimas antiquorum Carmelitarum cellas in viuo sculptas lapide recedit.

Vix credi potest, quot difficultates, quot contradictiones, quot pericula in hac fundatione perpessus sit: nam primò quidam religiosi nimia suæ religionis gloria, nimio conseruandæ Terræ Sanctæ sibi solis zelo, nihil intentatum & inausum reliquerunt, quin nos ab eius possessione excluderent, & à monte Carmelo deturbarent; sed accedente Superiorum authoritate, & summi Pontificis mandato hæc prima procella quieuit, & iam summa concordia inter ipsos & nostros in possessione Terræ Sanctæ viget.

Secunda, sed diuturnior desæuiit tempestas: nam cùm in cauerna sancti Patris Eliæ tanquam in celebri sanctuario commorentur Eremitæ legis Mahometicæ: hi ex Patrum nostrorum aduentu sibi aliquid sinistri præsagientes, & proprium inde timentes exilium, terram & inferos mouent, vt eos de sacro hoc monte repellant. Priuata primùm authoritate persecutionem contra eos

exci

excitant, mortem minantur: Patres nostri obstinatam eorum voluntatem in malo; quin potius furorem aduertentes per loca montis secretiora errabundi discurrunt, in antiquis ædificiorum ruinis latitant,nec quicquam aliud tunc præter siluestres comedunt herbas: hi dæmonum ministri per montem diuisi, & circumquaque cursitantes insequuntur, nullibi quiescere permittant: denique tanquam lupi rabidi mansuetos Christi agnos in quodam saltu repertos mactare decernunt:sed Deo eorum innocentiam protegente, ex improuiso & præter spem illuc aduentat Patrum amicus, qui iam imminentem ab ipsis mortem auertit,admonitúsque de his Princeps Carmeli Patres protegit,& commotam in eos sedat tempestatem.

Cùm hi Patrum persecutores, se quicquam contra ipsos propria anthoritate moliri posse desperarent, ad Turcarum Imperatorem Constantinopolim, iustitiæ causa impetrandæ accedunt: tot contra ipsos Patres, & eorum protectorem Carmeli Principem exaggerant crimina, religionis & status rationes obiicientes, vt his commotus Imperetor Proregem Damascenum illuc miserit, circa hæc inquisiturum. Hoc expedito mandato Constantinopoli discedentes Damascum aduolant, Proregi patentes Imperatoris exhibent, & de agendis ipsum instruentes vsque ad Carmelum comitantur.

Audito hoc nuntio Princeps Carmeli Patres admonet, vt statim recedentes ad inuia loca confugiant, donec sedatâ tempestate rursus euocentur; obediunt Patres, ad præcelsa montis iuga conscendentes in cauernis latitant, agrestibus tantummodò herbis victitantes, & exitum rei Domino commendantes. Tandem venit Prorex delegatus, occurrit Carmeli Princeps, & præmissis vrbanitatis affectibus suam Prorex commissionem proponit, multa de hac re maturè dis-

cutiun

cutiuntur, de Patribus agitur, quos inde expellendos esse diiudicat. Princeps his auditis respondet primò Patres recessisse; deinde aduocatis pluribus è suis Mahometicæ legis sectatoribus, tanquam oculatis testibus, innocentissimàm Patrum ab initio conuersationem exponit; his & muneribus placatus Prorex ad instantiam Principis decernit, vt Patres redire possint, & in illo monte quietiùs permanere.

Superatis his maioribus procellis aliæ non defuerunt: nam & insolentes milites, & Arabes aduentantes rapinis, iniuriis, & verberibus Patres afficiunt, quotidiéque noua ad eos vexandos excogitant artificia; quæ omnia constanti patientia Patres superant.

Prima religionis intentio in nostri reparatione Carmeli fuit, vt filij Carmeli, qui suum ab hoc natali solo exilium per aliquot sæcula defleuerant, nunc de noua possessione gauderent, & Patres ibi commorantes suorum parentum Eliæ & Elisæi vestigia sequentes, intimæ contemplationi diuinorum in sanctis illis eremis, ab omni creaturarum strepitu separati vacent, quem tamen recessum, si proximorum spiritualis necessitas exigat, eorundem parentum suorúm exemplo relinquere debent.

Hinc religionis intentioni Patres Carmelum incolentes perfectè satisfaciunt; nam vix paucos illuc aduentantes Arabes, & paucissimos vident Christianos: vnde continua gaudent solitudine, quam diuinorum assidua contemplatio, & piorum lectio librorum conditam suauissimam reddunt. Ibi licèt aliquando duo tantummodò existant, diuino officio tamen debitis horis satisfaciunt, & media nocte (expertus loquor) galli cantu excitati ad matutinum surgunt: officiis autem persolutis, quod reliquum temporis habent in mediis illis siluis iuxta morem antiquorum Carmeli Eremitarum, ignitas iaculantur ad cœlum aspirationes; ita vt de

de ipsis illud Michææ 7. meritò intelligatur; *Pasce populum tuum in virga tua, gregem hæreditatis tuæ, habitantes solos in saltu, in medio Carmeli pascentur Basan & Galaad iuxta dies antiquos.*

Si rigidum ipsorum viuendi modum attendamus, non inferiores filiis Prophetarum inueniemus: nam sicut illi prandium paraturi, non ad hortos, sed ad campos herbas agrestes collecturi properabant: sic & in Carmelo nostri faciunt, vt ipse per viginti duos dies ibi commoratus experientiâ didici, lac ipsis à Carmelitis pastoribus subministratur, vix aliud comedunt: quantùm ad potum pura sufficit aqua. Hunc rigorem maximè in potu voluit Deus mirabili successu comprobare, erat inter ipsos Patres Carmeli incolas vnus vir spectatæ virtutis; cui tamen vini abstinentia nimis apparuit rigorosa, vnde vinum moderatum tanquam sibi necessarium poposcit: R. P. Prosper hanc assuetam vini abstinentiam infringere nolens, multis rationibus, & exemplo præsertim sancti Eliæ Carmelitarum Patriarchæ eam seruandam suadere conatur; nam cùm ei Deus abundè alia subministraret, etiam tempore famis, subiungit tamen, *ibi de torrente bibes*; & dum Iesabel fugiens furorem, in deserto reficiendus erat, adest Angelus qui panem subcineritium; & vas aquæ, non vini affert: hæc audiens Pater ille, rationum congruentiam admittit, sed tamen suam exponit necessitatem; vnde huius difficultatis iudicium ad Superiores nostros remittitur: à quibus subueniendum esse huius Patris necessitati iudicatur; vinum adducitur, parum ei infunditur: res mira! dum vinum oblato cratere recipit, deliquio mentis in terram cadit, statim in cellam defertur, cúmque ad se rediisset credens hoc casu euenisse, alia die dum vinum iterum capit, eadem deliquij pœna punitur; sed tertia vice dum idem attentat, tanta vi deliquij opprimitur, vt paucis post diebus interierit:

rit: hac temporali pœna hanc leuem culpam puniit Deus, tot eius merita & virtutes in cœlo præmiaturus.

Quamuis Patres incolæ Carmeli receſſum & contemplationem, tanquam potiorem partem elegerint; non tamen ſic propriæ vacant ſaluti, vt alienam contemnant: nam aliquos Carmeli incolas, quos ab antiquis Chriſtianis ibi commorantibus deſcendere traditio docet, continuis charitatis officiis & exhortationibus ad Chriſti fidem alliciunt; plures Chriſtianos Turcarum captiuos ad Carmelum confugientes euadere faciunt: & tandem omnes Chriſtianos, tam Orientales, quàm Europeos illuc accedentes religioſa conuerſatione ædificant.

Hic amor proximi ipſos è dulci ſolitudine Carmeli ad publicum venire cogit: nam cùm Ptolemaïdæ, vulgò apud ſanctum Ioannem d'Acri, aliqui mercatores tum Galli, tum Itali negotiorum causâ commorentur, & defectu Sacerdotum diuinis officiis intereſſe non poſſint, diuiníque verbi penuria laborent: etſi locus à Carmelo tribus circiter leucis diſtet; illuc tamen Patres pedites accedunt, vt proximorum ſaluti cooperari poſſint, & ſic Dominicis diebus, & maioribus anni feſtiuitatibus ibi Miſſas celebrant, verbum Dei prædicant, & Sacramenta Pœnitentiæ & Euchariſtiæ illis miniſtrant. Ad quorum faciliorem executionem locatam habent Ptolomaïdæ domum, ad quam illuc venientes ſe recipiunt: ſed frequentior eſt illorum acceſſus, cùm naues Maſſilia, vel aliunde appellunt: tunc enim creſcente ſegete, operarij Chriſti maiorem opera aſſiduitatem præſtant.

Præter ordinarium huius operis fructum, conuerſionem vnius hæretici ibi commorantis fœliciter obtinuerunt: hic erat Venetus nomine l'Hermite, qui diututna Batauorum familiaritate à Catholica fide defece

defecerat,& Caluini libros continuò voluebat; ſed importuna, vt ita dicam Patrum exprobratione reſipiſcens, ad fidem Catholicam redit, & libros hæreticos igni condemnandos ipſis tradit.

Hæc ſunt, quæ circa miſſiones noſtras orientales ex multis dicenda occurrunt; reliqua hiſtoriæ religionis; ſicut & quæ à noſtris miſſionariis in Anglia, Hibernia, Hollandia, & alibi in Europa geruntur, exponenda relinquo.



LIBER NONVS ITINERARII

In quo

Plures euentus in Oriente memorabiles enarrantur.

CAPVT I.

De Prodigioso successu in ciuitate Goa.



NTEQVAM ex Oriente meum describam recessum; aliqua, quæ ibi successerunt memoriæ digna, sunt sigillatim referenda: vt autem à sacris initium sumatur, prodigiosum referam successum iisdem omninò verbis, sed à Lusitano in Latinum translatis, quibus expositus fuit Gubernatori siue administratori Archiepiscopatus Goani, ad hoc vt eius authoritate fieret authentica eius informatio & confirmatio: sic igitur à monialibus sanctæ Monicæ Ordinis S. Augustini, in quarum Ecclesia Goënsi successit, exprimitur.

Dicunt Mater Priorissa, & aliæ Religiosæ monasterij sanctæ Monicæ huius ciuitatis Goënsis simul cum suo Confessore; quòd adorationis, venerationis, ac propriæ consolationis causa habent in suo choro superiore: in quo diuinum solent persoluere in commu-

nitate officium ; ac alternis vigiliis coram ſanctiſſimo Sacramento aſſiſtere , vnum Crucifixum vultus emortui , ac ſtaturæ vnius hominis , affixum magnæ Cruci ex ligno fortiſſimo confectæ, quæ in vacuo parietis arcus eiuſdem chori prominentis Eccleſiæ collocata eſt, & inferius fixa intra fornicem ſatis fortem , ac munitum ; & ſic firma adhæret , vt dimoueri non poſſit.

Cum hæc ita ſint,& aliunde ſanctus Crucifixus chorum directè reſpiciat, & terga Eccleſiæ vertat : contigit prima die veneris Quadrageſimæ præteritæ , quæ fuit octaua Februarij anni milleſimi ſexcenteſimi trigeſimi ſexti , qua in eodem monaſterio omnes religioſæ,aliæque mulieres illis deſeruientes,Sacramenta Pœnitentię & Euchariſtiæ ſuſceperunt , Iubilæum lucratæ ſunt , & intra clauſuram ſecundùm morem ſuæ religionis proceſſionem celebrarunt expriméntes ſacratiſſimam Christi Domini proceſſionem à domo Pilati vſque ad montem Caluarium : cùm ad dictum Crucifixum , vbi talis proceſſio terminabatur , perueniſſent , ad cuius latus dextrum eſt imago ſculpta Sanctiſſimæ ac doloroſæ Virginis Mariæ ; ad ſiniſtrum verò imago mœſtiſſima ſancti Ioannis Euangeliſtæ ; & ad pedes Crucis imago ſanctæ Mariæ Magdalenæ illam amplectentis ; adhibitis circumquaque multis cereis,quibus accenſis,totus chorus illuſtrabatur , & Crucifixus clarè videbatur; cùm iam eſſet octaua poſt meridiem hora dictæ diei, & religioſæ veniſſent à choro inferiori , vbi conſuetam ſumpſerant diſciplinam , ac ibi circa Crucifixum aſſiſterent vnitæ adhuc ; vt ipſum contemplantes , ei in ſua paſſione condolerent : tunc incipit ſanctus Crucifixus aperire oculos , non ſecus ac viuus exiſtens ; quod aduertentes aliquæ moniales, alias de hoc admonentes, curioſius omnes inſpicere cœperunt : idem omnes vident , videntes maximo terrore ac ſtupore perfunduntur , magnúſque inter illas ſtrepitus ac clamor exoritur;

tur; quo aliæ monasterij religiosæ, aliæque mulieres à choro absẽtes excitatæ, etiã infirmæ statim accurrerũt.

Tunc quidem sanctus Crucifixus ad pristinam demortui figuram rediit: cum tamen omnes attentæ ac oculis in ipsum fixis perseuerarent; ecce iterum quasi esset viuus, aperit oculos: cúmque pauor, admiratio & strepitus magis ac magis cresceret, mater Priorissa & aliæ religiosæ consultrices, & præcipuæ monasterij accesserunt ad contiguam procurationis domum, in qua earum Confessor commoratur, & percutientes cratem ferream admonuerunt de hoc successu R.P. Fr. Didacum à sancta Anna suum Conf.ssorem & suum à principio fundationis administratorem, omnia quæ contigerant ei exponentes. Is quidem casum admiratur, tanquam quid insolitum, ac miraculosum; non audet tamen monasterij clausuram ingredi, donec ei dictum fuit; quod aliquæ moniales infirmæ volebant confiteri, & ita hoc motiuo ingressus est, quarum confessione audita, cùm ad chorum superiorem perrexisset, vt illius miraculi veritatem exploraret, ibi cum monialibus à nona circiter hora vsque ad mediam noctem assistens, vidit vnà cum reliquis clarè ac manifestè, quòd sanctus Crucifixus multis vicibus aperuit oculos, & ad diuersas chori partes conuertit,& maximè ad dexteram in qua situm est monasterium: quæ con uersiones, nunc maiori, nunc minori spatio perseuerabant; aliquæ per quadrantem; omnes tamen clarè ac distinctè videbantur, & maximam omnibus attentionem ac deuotissimam causabant reuerentiam. His finitis ad pristinum intermediis spatiis redibat statum: vnde dictus pater asseuerat, quòd minori quatuor horarũ spatio, viginti sex vicibus apertos sancti Crucifixi oculos viderit;duabus verò sic apertos,vt integras circũ pupillas coloris cęrulei obscuri in medio albi distinxerit: quæ omnia moniales, ac ancillæ ibi assistẽtes viderunt.

Insuper hac die, aliísque sequentibus ab eodem Patre Confessore, monialibus pluribúsque aliis personis diuersi status sancta Crux tremere visa est, quasi esset virga viridis visus est etiam fluere sanguis à capite sancti Crucifixi, ab eius corona spinea dimanans; & à manibus, pedibus, ac latere visus est etiam sanctus Crucifixus corpus suum extendere, vnde cùm prius esset multum collectus, ac improportionatus; nunc extẽsus ac valde proportionatus perseuerat: item visus est sacrum os aperire, verba pronuntiare (quæ tamen audita non fuerunt) ex oculis lachrymas fundere; & ita corpus colligendo commouere, ac si animam tunc efflaret. Sacrum eius pectus intumuit, & membra prius Cruci coniuncta, nunc separata videntur; & sic ab Ecclesia, & à choro optimè conspicitur; cùm antea non posset ab Ecclesia conspici: item visus est sæpè colorem, tam vultus, quàm corporis mutare: corpus verò modò macie confectum modo plenum ac intumescens apparere, ita vt effectus veri Crucifixi viui edere videatur.

Hæc omnia contigerunt in die octaua mensis Februarij huius anni millesimi sexcentesimi trigesimisexti, qua principaliter visa sunt, & multis aliis diebus; ac noctibus per totam Quadragesimam; & maximè diebus Veneris hora quasi meridiana: sexta verò feria sacratissimæ passionis mutauit sanctus Crucifixus colores, & intumescente pectore quasi in agonia visus est. Quæ vsque ad præsentem diem decimamoctauam mensis Maij, festiuitatem sanctissimæ Trinitatis eiusdem anni perseuerant: & sic fuerunt nota, & per ciuitatem promulgata; vt penè totius ciuitatis populus diuersis diebus, multísque vicibus ad Ecclesiam monasterij turmatim accesserit, ad hæc miracula videnda & adoranda. Multi qui opportuno venerunt tempore, illa viderunt; tantúsque fuit populi concursus & occursus, vt Ecclesiæ fores occludi non possent; & quod mira-

bile eſt, quandò populus ex Eccleſia has immutationes ſe videre clamabat, ſimul à monialibus in choro exiſtentibus videbantur: ſéque tanta liberalitate benignus Dominus manifeſtabat, vt etiam gentiles hæc mirabilia viderint, ex quibus aliqui ad fidem Chriſti conuerſi ſunt.

Bis Illuſtriſſima Veſtra Dominatio, aliæque grauiſſimæ perſonæ ſimul acceſſerunt, & mirabilia Dei viderunt: & maximè ſecunda die Veneris eiuſdem Quadrageſimæ, ab hora octaua in nocte vſque ad decimam; & ſemel acceſſerunt Domini Inquiſitores Apoſtolici: Item duodecima eiuſdem menſis Februarij acceſſit Dominus Prorex; tunc enim circa meridiem ſe ſanctus Crucifixus manifeſtauit; ſed cum tardius aduenisſent, nihil præter aliquos ſupernaturales effectus viderunt: quibus, circa mirabilium, quæ audierant, veritatem confirmati receſſerunt.

Cùm hæc ita ſint, & ſanctus Crucifixus ſit in debita proportione; cùm antea multos artis defectus haberet; cúmque prius eius oculi ducta ſolummodo linea nigra notarentur, nunc apertæ videantur palpebræ; intus verò album, & in eius medio pupillæ appareant, aliáque multa particularia, quæ humana depingi non poſſent induſtria: & cùm iam à viginti ſex annis ſculptus ac depictus fuerit, mandato R. P. Magiſtri Fratris Didaci à ſancta Anna, abſque vlla renouatione, & haberet multos in proportione ac pictura defectus (propter quos dictus Pater iuſſit alium efformari, & in eius loco niſi reſtitiſſent moniales, voluit collocari) nunc eſt imago perfectiſſima, pulcherrima, & aſpectu gratiſſima: ſanguis verò ita recens, ac tam iucundi, & viuidi coloris; vt angelicis, non humanis manibus efformatus videatur. Inde apparet quòd tota hæc ſacratiſſima imago ſit quoddam miraculum continuum ac perpetuum, in quo laudetur Dominus Ieſus Chriſtus

per infinitam omnium ſæculorum æternitatem. Amen.

His verbis dictum miraculum fuit expoſitum Domino Michaëli Rangel Luſitano Epiſcopo Cochinenſi, ac Apoſtolica authoritate Goënſis Archiepiſcopatus Gubernatori; vt illud adhibitâ præuiâ inquiſitione ac diſcuſſione confirmaret: propterea omnes pene, qui iuris, tum Ciuilis, tum Canonici cenſebantur periti, aut in ſacra Theologia docti; ſicut & omnes Prælati Eccleſiaſtici, ac religionum ſuperiores in Archiepiſcopali palatio ſunt ab ipſo congregati.

Aula ſatis ampla, ad hunc congreſſum celebrandum fuit præparata, erectum fuit altare in fine aulæ, quæ diſpoſitis circumquaque ſedibus erat plena: in principio verò erant tria ſedilia, in medio erat Patriarcha Æthiopiæ, à dextris Epiſcopus Hierapolitanus, à ſiniſtris verò Epiſcopus Gubernator: alij verò, tum ſæculares laici & Clerici, tum regulares promiſcuè ſedebant.

Omnibus iam ſedentibus & attentis, Epiſcopus Gubernator exponit cauſam talis congreſſus, omnes ſigillatim interrogat, quid in præſenti materia ſentiant; illam iam omnes examinauerant, multis enim ante diebus tranſſumptum huius miraculi adhibitis teſtibus habuerant: tandem ſingulis ritè examinatis concluditur, prædicta eſſe miraculoſa; vnde vt talia declarantur, & in gratiarum actionem, *Te Deum* cantando, omnes qui aderant proceſſionaliter in Eccleſiam procedunt, interim campanis iucundè ſonantibus.

Ad hoc miraculum dignè celebrandum, feſta tum ſpiritualia, tum temporalia parantur: omnes anxio præſtolantur animo, quid illo prænuntietur: ſinguli religionum Superiores ſingulis diebus concionantur, omnéſque ferè in eo conueniunt, quòd Dominus ſuper regnum Luſitaniæ, ac Indias oculos ſuæ protectionis

aperiret;

aperiret; ſed tamen euentus expectabatur: multa eduntur ſigna lætitiæ, ad celebrandum tam iucundum, vt credebatur, prænuntium.

Euentus infœlix, qui poſtea contigit, hanc omnium ſpem diminuit aliquantulùm; contigit enim, vt in vigilia Natiuitatis Domini immediatè ſequenti, dum moniales eximium Chriſti præſepe parant, ignis ſupra materiam combuſtibilem cadens; non ſolùm præſepe, ſed totum monaſterium miſerè conſumat: quod vix triginta millibus aureis refici potuit; multa ac pretioſa hoc incendio conſumuntur, Crucifixus tamen miraculoſus ab illo eripitur, & in Eccleſiam ſancti Auguſtini proximam transfertur, vbi eum videre ac attentè contemplari potui: prædictum miraculum huius incendij prænuntium aſſerebant multi; ſed potius crediderim illos ritè prædixiſſe, qui dixerunt illo exprimi futuram Luſitaniæ libertatem, ac Indiarum renouationem imminere, fundati authoritate prophetiæ factæ primo Regi Luſitaniæ: illi quippe Dominus ſexdecim generationes filiorum, ac nepotum promittit, & in decimaſexta defecturam prædicit eius progeniem; ſupra quam tamen ſe reſpecturum pollicetur.

Hunc Domini reſpectum ac fauorem Luſitani iam diu præſtolabantur; ſed quandò accideret, penitus ignorabant: iam accidit, iámque fructu illius perfruuntur; vnde prædictum miraculum huius Luſitaniæ renouationis prænuntium ex euentu poſſumus appellare. Plura alia, etiam miraculoſa referre poteram; ſed breuitatem ex induſtria affectans prætermitto.

CAPVT II.

De Martyrio V. P. N. Dionysij à Natiuitate, & V. F. Redempti à Cruce.

CVm Indiarum Prorex Dominus Petrus de Silua ob bonum ſtatus Indici mittere decreuiſſet ad Regem Achem, Legationis causâ, Dominum Franciſcum de Soza de Caſtro, ad eius petitionem Venerabilis Pater noſter Dionyſius à Natiuitate cum eo nauigare iubetur; tum vt peritiſſimi Nauarchi; tum vt eius ad Regem illum interpretis munere fungeretur; & inſuper ei à ſacris eſſet confeſſionibus; propterea tunc ad ſacrum presbyteratus ordinem promotus die ſacro Natiuitatis Beatiſſimæ Virginis anno Domini 1638. primam Miſſam in noſtro Conuentu Goano ſolemniter decantauit.

His peractis iam imminenti ſe accingit nauigationi, dolentibus cunctis religioſis; maximè R. P. Matthæo à Cruce Conuentus Priore, de futura eius abſentia; & me plurimùm reſiſtente: ipſi in ſocium deputatus fuit V. F. Redemptus à Cruce Luſitanus; cuius etiam profectio difficultate non caruit: nam præter habitualem virium deiectionem, & corporis malam affectionem (adeò vt à nonnullis ad longum illud iter ineptus haberetur,) perſonæ quædam deuotionis gratiâ retinere cupientes, bono vt arbitror zelo, nihil non intentatum reliquerunt, quin etiam dum iam Conuentu egreſſus in portu nauigationis diem expectat, pertinaci ac temerariò auſu, medica aromata cibis immiſcuerunt, vt ſubitaneum aliquod ſymptoma fratrem arriperet, atque ab itinere reuocaret. Sed non eſt conſilium ſupra Dominum, qui ſeruum ſuum elegerat ad coronam; ſoluit Goano portu Legatus 25. Septembris 1638. duabus nauibus ad pugnam armatis, & tertia deportandis

apta

apta prouiſionibus; ſæuiſſimis agitati procellis 25. menſis proximè ſequentis, admirabili directione noſtri nauarchæ appulerunt ad Inſulam exulum, vulgò *dos Degradados*, ab vrbe Achem diſtantem paſſuum 8000. Hîc in duas naues Hollandicas accenſum eſt bellum; & illæ quidem fœdè dilaceratæ fugerunt,& Legatus vulnus à pugna recepit, ac ſuas naues in conſpectu portus Achem iactis anchoris collocauit.

Viſis, quas diu expectabant, Luſitanorum nauibus confeſtim adfuit à Rege miſſus Eunuchus, vt ſciret quis in illis eſſet, & vnde venirent: qui vbi reſponſis vltrò citróque redditis accepiſſet, adeſſe Luſitanorum Oratorem, magna lætitiæ ſigna dedit, ſignificans Regem ſuum impensè gaudere de honorifica Legatione perſonæ tam nobilis tam excellentis: ſed melliflua hæc verba pectoris erant odio pleni. Sequenti Luce adeſt iterum Eunuchus, qui amicitiæ & lætitiæ ſignificationes continuans nomine Regis ipſum Oratorem ad ingreſſum portus inuitat, aſſerens ipſum Regem ſtipatum ſuis Principibus, & Magnatibus in littore aduentum eius expectare, vt ad præparatum deduceret palatium. Ad hunc finem cymbam Regiam honoris gratiâ,& beneuolentiæ ſigno; Regalibus armis,vexillis, flammulis ornatam; terræque fructibus & eduliis,quibus Orator & comites recrearentur, onuſtam: fidem præſtitit fidei Regiæ, & Legatorum dignitatem apud omnes gentes inuiolabilem, ſperauit etiam in hoc regno ſuo, in pretio fore ſeruandam. Portum per quindecim millia paſſuum emenſum ſub ipſa ciuitate Achem ſtetit; inde à propriis: nautis in tapete delatus fuit ad littus; neque Elephantes ſuis cum caſtellis turribúſque præparatos aſcendere voluit, nec potuit ob vulneris dolorem, ac virium debilitatem. Cùm ergo pedibus incedere cœpiſſet cinctus ſuorum comitatu; vix paucis paſſibus progreſſus, ab irruentibus infidelis Regis cir-

cumdatur ministris, qui magna feritate ac sæuitia arrepto compedes iniecerunt;eamdem crudelitatem exercuerunt in comites, quos inter,primi fuerunt Ludouicus de Soza miles Goanus ipsiúsque Oratoris consanguineus,V. Pater Dionysius à Natiuitate, V. F. N. Redemptus à Cruce, duóque alij Patres Recollecti sancti Francisci. Vix sermone explicari potest, quanta incommoda & mala in hoc primo occursu pertulêre gloriosi Christi Confessores ab impij Regis illius ministris: vnde non leues fuerunt primitiæ crudelitatis futuræ; cùm enim barbarus ille Rex iam odio in Lusitanos, omnésque Catholicos flagraret, acerrimè ad Mahometicam, quam colit, superstitionem promissis, minis, tormentis Christianos adigere meritorium ducit & gloriosum. Vinctis primùm post terga manibus, cubitos etiam in summum attractos sibi mutuò coniunxerunt, humerorum ossibus in transuersa deductis, cruciatu non impari ei quem sentiunt in funium tormento suspensi:captiuos Magnatibus suis distribui Rex imperauit, aut promissis seducendos, aut molestiis affligendos,donec abnegarent Christum. P. F. Dionysio Xisti subdialis angulus in habitaculum cessit, ad introitum palatij Proceris vnius, immundiciis horridus, fœtore pestiferus; quo in loco seruus Dei tanquam in suauissimo roseto flagrantem animam exhilarabat. Magnatem ac domesticos, qui velut in cloacam aquarum eluuiem, culinæ spurcitias, & vrinam proiiciebant in venerabile caput, cibo ventris excrementa miscebant; & faciem conspuebant, patientia superauit incredibili. Vnde alterum aggressi crudelitatis officium, promissis variis animam maculare nitebantur: Mahometo si manus daret; confestim ex ergastulo fœtido in aulas palatij educendum, speciosam diuitémque coniugem accepturum, omnes vitæ dies in delitiis atque honoribus exacturum pollicebantur. Ad quæ Christi miles sancta

indignatione commotus: apagite miſerrima cupiditatum & Mahometis mancipia, recreor ego tormentis quæ ob amorem Chriſti ſuffero, pergite certatim ea congerere: nec enim mihi fidem euellent, donec animam euellant à corpore: nec coniugem offerte, quia iam pridem; tum ob Sacerdotium, quod indignus in Luſitanos exerceo, tum ob religioſam profeſſionem in ſacratius ſeruitium Dei memetipſum abdicaui. Non omiſit zelantiſſimus animarum amator charitatis operibus ſuos adiuuare Confratrès, & impetrata licentia (dederat enim Deus ſeruo ſuo gratiam in conſpectu Magnatis, à quo Regis iuſſu detinebatur) captiuos viſitabat, infirmis remedia, vulneratis curam exhibebat, afflictos conſolabatur, vacillantes firmabat, peccatis obnoxios expiabat, reconciliabat lapſos, omnes animabat ad tormenta, atque ipſam necem pro fide & amore Chriſti lubenti animo ſufferenda. Ab ipſiſmet infidelibus lingua Malaica, quam exactè callebat, eleemoſynam expoſcebat, & Deo dura eorũ corda mouente, ſæpius impetrabat; quibus famem, ſitim, nuditatem, aliáſque captiuorum anguſtias piè ſolabatur: modicum id oryzæ, quod in tenuem vitæ ſuſtentationem accipiebat ab hero, proprium appetitum eximia charitate defraudans, Chriſtianis diſtribuebat. Legatus poſt reditum ſæpe teſtatus eſt, quòd à ſe ſecretò tranſmiſſa per aliquem ex Ephebis edulia, P.F. Dionyſius non attingeret; ſed viſcera propriæ commoditatis effundens in concaptiuos infirmos impendere feſtinabat; ſed præcipuum pietatis affectum exercuit circa Patrem S. Franciſci, cui graui morbo laboranti non aliter, quàm ſi proprio geſtaſſet vtero, materna teneritudine ſolatium omne præbebat, & obſequium. Hæc omnia ſollicitus obibat aggrauatus compedibus arctiſſimis; quibus annuli inſerti; non rotundi, ſed quadri; non ad menſuram paſſuum, ſed palmorum incedere cogebant, & ad

quem

quemlibet motum acumina infigebant, plagam refricabant, atque eliciebant ſanguinem, quo patientiſſimæ charitatis ſpectaculo comites Christiani ſe ſe ad quælibet ſupplicia perferẽda potenter animatos fuiſſe commemorant. Chariſſimus F. N. Redemptus à Cruce, poſtquam mille ſimiliter à lictoribus inſolentias, crudelia vinculorum tormenta, ferreos compedes animosè pro fide & amore Chriſti ſuſtinuit; ab hero cui obtigit, capite, barba, ſuperciliis eraſis exponitur ludibrio Mahometanorum, bubalorum cuſtodiæ mancipatur, ad ſecandam paleam deſtinatur; aliquandò per triduum ſine vllo cibo detinetur, anguſtiis naturæ famelicæ ſupra modum excruciatus: cum fame penitus deficeret, fugit in ſiluam; in qua tandem repertus, & coram Rege adductus de nouo ſollicitatur; vt relicta fide Chriſtiana ad Mahometicam ſectam tranſeat; hoc enim pacto omnia incommoda laborum, & famis ceſſatura promittuntur: ſed generoſus Chriſti miles, promiſſa irridens, reſpondit incongruum eſſe, ſe ad legem Mahometis allici, qui eò venerat, vt ad fidem Chriſti eos conuerteret: hoc mihi retulit teſtis oculatus. Ex alia parte nitebantur intorquere ſatanicæ perfidiæ miniſtri Caſiſi, ſiue legis ſpurciſſimæ Sacerdotes, qui iugiter fermè laceſſebant, diuitias, matrimonium, honores promittentes: quæ Dei ſeruus reſpuebat omnia, nullam ſe gloriam, voluptatem, aut ex reliquis quæ videntur bonis aliquid optare, niſi Chriſtum pro nobis incarnatum, ob cuius amorem mille vitas ponere, mille ſupplicia proferre, vnicum inſidebat cordi deſiderium; cuius ſe gratiæ commendatum, aſcriptúmque irritis conatibus tentare deſiſterent, numquam eliciturі vel minimum ſuæ voluntatis aſſenſum: longum hoc martyrium ad octo ſupra viginti dies Athletas illos reddidit illuſtriores: nam toto ferè temporis ſpatio dum mille modis affligitur corpus, animam infernalibus fraudibus

præci

præcipitem agere Casisi iussu Regis assistentes, promissis: blanditiisque non destiterunt. Christianorum constantia tyranni mentem vertit in furorem, vt probro ducens sua irrideri promissa, sententiam pronunciauerit vltimam, vt quisquis eorum non adiuraret Mahometi legem, exquisitis suppliciis trucidaretur.

Mortis sententia Christianos inuoluit numero fere sexaginta; nam Legatus & alij pauci reseruati sunt: carceribus educti properarunt ad supplicij locum animo læti, sed facie ob inediam, ærumnásque adeo squalida, vt à Legato qui transeuntes ad martyrium vidit, aliqui non dignoscerentur omninò. Ibant processionis in morem, vnusquisque decem carnificibus stipatus, lateri inhærens Casisus venenata lingua sectam obtrudebat infamem: concurrerátque ad crudele spectaculum turba populorum immensa. Maris ripa theatrum fuit, in quo barbarorum impietas pietatis segetem temporali supplicio messuit, quam in æternitatis horrea cœlestis virtus euexit. Huc quamprimùm aduenerunt omnes excepto P. F. Dionysio, trium tormentorum ordo ritúsque immolauit: nam decem illi carnifices, Christianum quem carceribus eduxerant, primùm eminus ex opportuna distantia sagittis impetebant velut iaculantes in scopum: mox cominus præacuti cuspidis hastis siue stimulis aculeatis pungebant, & toto forabant corpore: tertiò venenantis, & in modum flammæ serpentísque per gyros incedentis retortis gladiis, quos Crizos appellant, lethalia tandem infligebant vulnera. Tot vulneribus in fide & amore Christi feruentem animam F. Redemptus in cœlos emisit: etenim Mahometicam detestatus impuritatem, mille actus fidei, mille reliquarum virtutum ingeminans, nomen Iesus ac Mariæ festiuè replicabat, vsque dum atrocitate suppliciorum transmissus est æternis eorum deliciis, quorum gloriam resonabat in tormentis. Plura de F. Redempto, sociísque

reliquis

reliquis haberi non potuerunt. P. F. Dionyſius cohortis huius ſpiritualis Pater, certaminis dux & anteſignanus, non eodem genere mortis interiit; ſed ad ſuæ curæ commiſſorum æternam ſalutem, ad coronam auguſtiorem, ad ampliorem Chriſti gloriam poſt reliquos omnes eſt reſeruatus: Iuſtitiæ Capitaneo preces porrexerat, vltimo vt loco poſſet inire ſupplicium, & Deo cor efferum inclinante meruerat obtinere; non ob vacillantis naturæ metum, ſed ob zelum quo flagrabat ouium Chriſti, ne lupus incautam aliquam abriperet: hac acceptâ licentiâ, Redemptoris è Cruce pendentis effigiem, quam ſub ſcapulari ad ſiniſtrum cordis latus noſtrorum more geſtare ſolebat, ante pectus ſupra ſcapulare petenter expoſuit, particula funis alligatam collo, ceu vexillum glorioſæ militiæ qua depugnabat: vt aſpicerent in authorem fidei noſtræ Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit Crucem. Quam in modum vltimi certaminis ſcenam feruidus prædicator obibat, aſſiſtebat in agone, Luſitano ſermone ſolabatur; ſacra confeſſione expiabat, debiles roborabat, vacillantes firmabat, reconciliabat lapſos; alacer intrepidúſque gyrabat per theatrum, dulciſſima nomina Ieſu ac Mariæ ſonora voce proclamando: occurrebat vbi maior vrgebat neceſſitas; omnes denique exhortabatur, præibat in formandis fidei, ſpei, charitatis, ac contritionis, aliarúmque virtutum actibus, & Chriſtum ob oculos proponebat, qui cum infinito Beatorum choro brachiis expanſis fidelem animam in cælos abituram expectabat, pro momento tribulationis æterna gloria coronaturus.

Sociis ad cæleſte brauium hoc pacto præmiſſis (in quibus præ compaſſione tot martyria ſubiit, quot ex ipſis martyrio præmiſit) lingua Malaïca, communiſſimo nationum illarum idiomate, quam callebat optimè, fidei Catholicæ veritatem ac maieſtatem Mahometanis

metanis aſtantibus prædicare non deſtitit; donec tempus aduenit Chriſto vitam propriam per tortorum manus offerendi. In terram deuotus Athleta, genu flexit vtrumque; ac Crucifixi, quam diximus, effigiem amplexus feruentes actus viuacis fidei, diuiníque amoris, ac gratiarum actionis ob tam beatam ſortem indigno peccatori conceſſam eliciebat, obfirmabat animam Chriſto, & corpus exponebat ſupplicio. Carnifices, ſagittis omiſſis, quibus eminus iaculabantur, Luſitanorum Patrem (ſic enim eum appellabant) aggreſſi ſunt haſtis aculeatis perforare, frameis ac criſis interficere: verum non vulnerare, ſed neque contingere potuerunt: an Deo vires humano ſceleri denegante, res tam prodigioſa contigerit; an ſceleris horror, & reuerentia in Patrem, iam fama ſanctitatis etiam inter ipſos infideles inſignem, tot tortorum manus abſterruerit, incertum. Non vna, ſed pluribus vicibus poſtquam intentata ſupplicia non valuerunt inferre, ad Iuſtitiæ Capitaneum conuerſi mille iniuriis caput obtuderunt, arma proiecerunt ad pedes: Capitaneus tyranno renunciauit compleuiſſe ſe in reliquis pronunciatam ſupplicij ſententiam; carnifices in Luſitanorum Patrem eam exequi vel non audere, vel non valere: quid deinceps agendum ſit, iniungat. Rex Elephantes expediri iuſſit: ſperabat enim ſupplere per formidabiles beſtias, quod exhorruerant homines. Martyrium quod elephantum miniſterio fieri decernunt, quemadmodum Legati narrauit Ephebus, quem ſupplicio proximum exemerunt; peragitur in hunc modum: Chriſtianus in terram ſuperius extenditur, adigitur ſuper extenſum Elephas, qui pectori pedem imprimens tam vaſta mole viribúſque conculcat; vt oculi exiliant capite, viſcera ventre, toto corpore ſanguis exundet; horribili ſpectaculo circunſtantium, patientis acutiſſimo cruciatu. Hærebat aſpirans ad crudele martyrium Athleta

nobilis,

nobilis, & paratum animum etiam ad maiora Christo offerebat; sed interim dum expediuntur; dum expectantur, dum tumultus fit, & varius increſcit rumor, apoſtata Chriſtianæ fidei, qui Malaca timore pœnarum fugerat Sumatram, enſem eximens adhuc genuflexi Patris, & ſanctos omnes ac Beatiſſimam Virginem, ac Dei filium incarnatum vocantis in auxilium venerabile caput à vertice ad aurem vtramque ictu valido diffidit: ad inſtar duorum fluminum fuſus pro Chriſto cruor emanauit, qui ſeraphinum illum terreſtrem miro ſplendore purpurauit. Scelus apoſtatæ carnificibus audaciam addidit, quorum vnus criſum ad vſque viſcera per humerum dextrum adegit, alter à læua latus vtrumque tranſuerberauit. Hic tunc purpuratus Athleta toto corde in diuinum amorem ſuccenſus feruentiſſimos iaculabatur actus fidei viuaciſſimæ, deteſtationis ſectæ Mahometicæ, diuinæ charitatis; & tergemina inuocatione ſuauiſſima nomina deuotè proclamans, IESVS MARIA, IESVS MARIA, IESVS MARIA, pium os plagæ lateris Chriſti applicuit, & ad tertium criſi vulnus ſuper effigie Crucifixi cadens in terram, fœlicem animam in æternæ beatitudinis ſinum expirauit; factus ſpectaculum Deo, Angelis & hominibus. Hæc inter alia memoriæ digna in glorioſo hoc ſerui Dei martyrio, ex teſtibus oculatis ac fide dignis habemus, qui dictum Patrem omni laude ſuperiorem aſſerunt: ſiue inuictum eius animum inſpiciamus, ſiue actus virtutum charitate feruidos attendamus, qui ex ipſiſmet lapidibus lachrymas extorquere poterant. Inſuper à Reuerendo Patre Emmanuële de Lima è Societate Ieſu Luſitano, qui & ipſe multùm ab hæreticis paſſus eſt, certa firmatáque relatione accepi, ipſum à Batauis (apud quos captiuus tenebatur, quique V. P. Dionyſij martyrio interfuerant) audiuiſſe, quòd cùm ad locum martyrij omnes Luſitani cum P. V. Dionyſio adducti fuiſſent

fuiſſent, præco vltimò denunciaſſet hanc eſſe Regis voluntatem & mandatum, vt qui ex Luſitanis ad legem Mahometis deflexerint, honoribus, & diuitiis cumularentur; qui verò pertinaciter reſtiterint,crudeli nece interficerentur: quam denunciationem cùm V. P. Dionyſius ſociis expoſuiſſet, eique ob defectum linguæ Malaicæ voce reſpondere non potuiſſent, ſtatim genuflexi omnes ad imitationem Patris, qui eos verbis vitæ æternæ firmauerat: ſe mori paratiſſimos ſignis oſtenderunt.

Serui ſui mortem dignatus eſt Deus illuſtribus exornare prodigiis; Primum eſt quòd quamuis aër regionis illius mirum in modum ad putrefactionem conducat, ob humoris & caloris exundantiam; etenim ferè quaternis diebus alternatim copioſus imber cælo decidit, & mox feruidus Sol terras exurit; & reliquorum Chriſtianorum exuuias poſt paucos dies in putredinem, lutum,puluerem abierint; attamen P. F. Dionyſij corpus ita manſit incorruptum, viuidum, integrúmque vt ne capillus quidem deeſſet ex capite, & corona religioſa; & veluti viuum ſpiránſque appareret, poſt menſes omninò ſeptem quibus vltimò viſus eſt: de reliquo tempore nondum ad partes noſtras peruenit notitia.

Secundum; poſt, mortem tribus noctibus continuis apparuit facularum ſplendoribus ornatus, eodem in loco, eodem ritu ac lingua Malaica, Mahometanos ad Chriſti fidem exhortans, vbi & quemadmodum fecerat viuus ante ſupplicium; imò dicti ſplendores pluribus aliis noctibus ſequentibus ſupra defuncti cadauer ab incolis Achem viſi ſunt; & Angli, hollandíve,qui mercimonij gratiâ illuc enauigant;interrogati quid rei portenderent ſplendores illi nocturni, reſponderunt quòd fidei Chriſtianæ cultores occidiſtis: nunc diuinis ſplendoribus amicti regnant in cælo, atque ideo Deus eorum cadauera lampadibus & faculis cæleſtis lucis

exornat, adeóque pretiosæ Patris exuuiæ infidelibus illis cœperunt esse venerabiles.

Tertium prodigiorum quæ videbantur, & audiebantur, ad Regias aures fama peruenit: is in persona propria, suis cum Nobilibus & Aulicis sese contulit ad cadauer Patris; iussit fossam fieri profundam à loco martyrij distantem, quantùm laxatus à balistario globus deferri solet, in quam cùm serui Dei corpus festiuo ritu, vexillis explicatis resonantibus tympanis tripudiantes & choreas ducentes intulissent, terra obtexissent, rosas aliósque flores tumulo sparsissent, eo quo solent modo suas exequias celebrare, omnibus adamussim expletis: confestim insensibiliter sepulchro exiens, eodem in martyrij loco repertum est, vnde fuerat exportatum.

Quartum; quapropter aliud medium commentus est Rex: V. P. Dionysij corpus versùs insulam, de qua supra diximus, *dos degradados*, octo millibus ab Achem distantem, à nautis parata cymba iussit deportari; atque inde cùm ab ea procul in patentem Oceanum enauigassent, tenacissimo fune, graui saxo alligatum demergi in profundum: nautæ imperata complerunt, & reducta prora versùs Achem vela dabant ventis, læti ouantésque: verùm vbi littus, vnde corpus acceperant, relegentes; idem ipsum repererunt, in stuporem capti confusíque totam rem tyranno retulerunt, & sparserunt in populum gloriam fidei Christianæ.

Quintum; Rex consilij impos & pertinacia perfidæ legis excæcatus, in densam horrendámque siluam proiici mandauit, sperans à lupis, vrsísque deuorandum; sed irrita fuerunt machinamenta omnia; nam quamprimùm reuersum est in locum certaminę purpuratum.

Sextum; per mensem integrum iacuęrat in ripa cadauer; cùm nauta nauis illius qua Legatus Sumatram vectus fuerat sua pro deuotione paruum digitum manus

nus sinistræ cultro nisus est exscindere; confestim sanguinem simul & aquam emanare conspexit ex vulnere; vnde stupore prodigij, metúque vigilum, qui iugiter astabant, inauspicatum opus abrupit, fugit, & inter Christianos factum euulgans ansam dedit, vt prorumperent in feruentiores diuinæ gloriæ laudes.

Septimum, Legatus partem tunicæ Patris Dionysij promissis, donísque à Christiano quodam inter suæ deuotionis conseruat, quantum ipse, tum Ephebus odore suauissimo flagrare testantur, sed terrenis odoribus incomparabili.

Octauum; tribus diebus antequam per humana tormenta ad gloriam transiret æternam, Cafræ siue nigri coloris seruæ; quæ ex fide Christi quondam defecerat, & nunc inter quinquaginta alias eiusdem coloris antesignanam agebat, more solito, modicæ orizæ coctæ in cibum afferenti, P. Dionysius inquit: heus soror dic dominæ meæ, quòd ei gratias ago pro hospitio & cibo, quam mihi huc vsque præbuit; nam tribus non amplius diebus protrahetur hæc cura: prædictionis veritatem euentus asseruit; nam cùm nemo, quid Rex deliberaturus esset, agnosceret, quarta luce pro Christo tormenta subierunt, & posuerunt vitam. Hæc omnia non sólùm Lusitani & Indiani testantur; sed ipsi Mahometani & Gentiles; Angli quoque & Hollandi, celebri fama ac voce loquuntur: horum tamen prodigiorum finem longinqua terrarum spatia nobis huc vsque negarunt.

CAPVT III.

De aliis, quæ in Indiis successerunt.

PLurima in Indiis memoriæ digna successerunt; quæ omnia sigillatim ordine seruato proponam.

Primò contigit, quòd Rex insulæ Sumatræ, vulgò

d'Achem, ſic denominatus à metropoli ciuitate regni, anno Domini 1629. Malaccam obſidione premebat; Indiæ Gubernator Nunnus Aluares Botelh claſſem viginti octo triremium ad illam parat ſoluendam; ipſéque aſſumpto in Nauarchum regium Venerabili Patre Dionyſio à Natiuitate, tunc ſæculari dicto Petro Berthelot proficiſcens, Malaccam appellit: vbi cùm audiſſet hoſtium claſſem receſſiſſe, & in anguſto maris freto conſiſtere, ſtatim illuc aduolat, & diſpoſitis ad exitum freti nauigiis, hoſtes obſidet; hi exire tentant, ſed repelluntur; ad pugnam prouocant, ſed meritò recuſantur; vnde fuga ſæpius perperam tentata, ſublatáque omni ſpe euadendi, ac omni auxilio deſtituti ingentem ſuam claſſem plurimis ipſorum, tum fame, tum globis tormentorum enecatis tradiderunt.

Secundò, contigit anno Domini 1630. fames crudeliſſima, quæ infinitam propemodum hominum multitudinem enecauit: ſed præcipuè in interioribus prouinciis; propter quod ad partem maritimam omnes ſuæ famis remedium inuenturi confluebant: licèt autem in terris Luſitanorum ſufficiens eſſet ciborum copia; quia tamen maiori pretio foris vendebantur; illuc omnes tranferebant & ſic incolæ fame miſera perire cogebantur: vnde præ multitudine mortuorum, quibus ſepeliendis viui non ſufficiebant, compita, vici, & plateæ ciuitatum putridis cadaueribus horrebant.

Tertiò; nuntium Goam delatum eſt anno Domini 1631. quòd Rex Mombaſſæ à fide Chriſti, & à Luſitanis defecerat: hic ab ineunte ætate Chriſtianis ritibus inſtitutus fuerat, in quibus per multos annos perſeuerans Chriſtianam duxerat vxorem: contigit quòd irritatus iniuriis ſibi illatis à gubernatore Luſitano illius præſidij, omnes Chriſtianos ibi commorantes occiderit, ac Mahometicam legem nimio zelo introducens caſtrum ipſum, gubernatore, aliiſque interfectis

terfectis obtinuit: in hoc casu plures extitere martyres: sed præcipuæ quædam mulieres gloriosius enituerunt, hortante Venerabili Matrona Domina Natalia de Saa. Statim ac huius proditionis nuntium Goam delatum est, Prorex classem instruit, vt deperditã recuperet ciuitatem : hanc vt Nauarchus dirigit V. P. N. Dionysius adhuc sæcularis ; in ea expeditione plurimum laboris, famis, & sitis pertulit, ac sæpè in manifesto fuit mortis periculo : dum etiam strenui militis munus obiret: hostes enim Christiani, & Lusitani nominis sagittis veneno infectis vtebantur, quibus læsi statim necabantur : sed Dei prouidentia protectus incolumis classem Goam reduxit ; aufugiente autem Regulo præ timore rediturae classis ciuitas Mombassæ iterum Lusitanorum ditioni subiicitur.

Quartò, quotidie deflebantur naues, quæ à piratis Batauis capiebantur : harum hoc tempore mirabilis iactura contigit Lusitanis, veniebant è China vndecim nauigia auro, aliisque mercibus pretiosissimis onusta; iubet Prorex, vt ad quendam locum simul conueniant promittens se classem maritimam illuc ad eorum incolumitatem missurum : sed accidit, vt tunc temporis in insulam Ceilam rebellio contra Lusitanos detegeretur, illuc cogitur Prorex classem destinare, vt commotam sedaret seditionem : aliunde etiam contigit, vt Batauorum piratarum naues in illo loco sisterent, vbi Lusitani se classem promissam reperturos sperabant : & ita Lusitani à Batauis incauti capiuntur ; alio item anno aliquot nauigia mercibus onusta, ne in Batauorum potestatem deuenirent, flammis consumpserunt.

Quintò, Angli fœdus cum Lusitanis inituri anno Domini 1634. Goam cum quatuor magnis nauibus accesserunt, vbi à Prorege Domino Michaële de Norogna Comite de Lignares magnificentissimè excepti fuêre, eisque domus ad sua exercẽda cõmercia Goæ deputatur.

Sextò, Comiti de Lignares in Proregem ſucceſſit Dominus Petrus de Silua vir ſenex, qui malorum Indiæ ſucceſſuum tædio affectus, elapſis duobus annis, in die Natiuitatis ſancti Ioannis Baptiſtæ moritur:eius in Indias aduentus fuit anno Domini 1635. cum eo venit V. P. Marcellus Maſtrillus, qui ſubeundi causâ martyrij in Inſulam Iaponiam, diuina reuelatione de ſua certus corona, generoſo & alacri animo properabat. Hic vir inſignis, dum Neapoli ornandæ Eccleſiæ ſedulus inſiſteret, cadentis deſuper ictu mallei lethaliter vulneratur: huic ad extremum vitæ periculum redacto, veſte peregrinantis indutus aſtat ſanctus Xauerius Indiarum Apoſtolus, qui laborantem curat infirmum,& votum miſſionum pro conuerſione infidelium ſuadens; imò verbis expreſſis, quæ ipſe votum emittendo repeteret, proponens,ad tam arduum opus animauit, & certum de ſubeundo martyrio reddens,totius ſucceſſus ordinem prædixit. His inflammatus generoſus Chriſti miles ad Hiſpâniam quantociùs proficiſcitur, & è portu Vliſſiponenſi cum dicto Prorege ſoluens ſuperato ſex menſibus Oceano ad Indias appulit, vbi nôn multum immoratus in inſulam Iaponiam ſui martyrij theatrũ Deo manuducente præter ſpem omnium peruenit, vbi ſtatim captus glorioſo martyrio coronatur:quem non multò ante preceſſerant martyrium ſubeuntes glorioſi Patres illi Dominicani, de quibus ſupra libro quinto capite primo dictum eſt. Hoc eodem anno V. P. Dionyſius à Natiuitate ſacro noſtræ religionis habitu indutus celebri martyrio præparatur: de ipſo capite præcedenti, & libro octauo capite tertio fusè diſſeritur.

Septimò, erat Goæ quidam gentilis nomine Rama Cani diuitiis præpotens; hic cum Batauis, vt dicebatur conuenerat, vt ciuitatem Goam eis proditione traderet; iam nauem ingentem è regno Luſitaniæ aduen-

tantem

tantem dolo combusserat: iam omnes galliones, igne vni qui in medio aliorum consistebat admoto consumere tentauerat; capitur hic infamis proditor, factáque omnium informatione data sententia condemnatus anno Domini 1638. 19. mensis Nouembris suspendio necatur.

Octauò, defuncto Prorege, vt dictum est, anno Domini 1639. in Ecclesia sancti Dominici, eadem Natiuitatis sancti Ioannis die vespere sepelitur; sed prius in eadem Ecclesia coram toto populo è scriniolo trium clauium patentes regiæ obsignatæ suo educuntur ordine; quibus lectis gubernator Indici status declaratur Dominus Anthonius Telez de Menezes, vir insignis, ac nobilissimus; ex progenie siquidem Regum Legionensium procedere dicitur, qui tunc in Indiis Dux erat generalis gallionum. Quandò Indiæ Gubernator omnium applausu proclamatus fuit, è ciuitate Daman redibat, cuius obsidionem Mogoritanos soluere coëgerat. Iam ab anno 1636. Bataui Goënsem portum obsidebant, tum vt aduentantes caperent naues, tum vt sublato commercio Lusitanos destruerent; conantur Lusitani suis gallionibus muniti illos expellere, multa commiscentur prælia; in quorum vno præsens aderat V. P. N. Dionysius iam nouitius; hunc enim Protex directioni totius classis prospecturum, à nobis iustis de causis propositum libentissimè suscepit; quam sollicitudinem periculis plenam ipse libentius acceptauit; ea maximè ratione, quòd contra hæreticos pugnandum erat; destinata ad pugnandum die nauim capitaneam ingreditur, inita pugna non solùm directioni classis attendebat, sed etiam præ manibus habens Crucifixum, (quem ei dederam, & nunc ampliori colo deuotione, quia tanto Martyri deseruiit) Catholicos milites ad pugnandum contra hæreticos miro feruore, ac constantia animabat: in hoc conflictu per duos dies repetito multi tor-

mentorum globis periêre, noster Dionysius mirabili Dei prouidentia seruatus incolumis, classem etiam incolumen ad portum reduxit, & ad pristinum cellæ pergit recessum. Hoc anno miserabili casu tres Lusitanorum galliones maximi & potentissimi, sub titulo nominis Iesu, sancti Sebastiani, & sancti Bonauenturæ Batauorum audacia, & incuria Lusitanorum in portu combusti sunt: sicut & aliqua nauigia prope Melundy: sed in hoc prælio periit vna nauis Batauorum, & Dux generalis eorum occisus fuit.

CAPVT IV.

De his, quæ in Arabia successerunt.

IN Ciuitate Bassora Arabiæ fœlicis tria notatu digna reperio. Primum est, quòd paulò ante meum in hanc ciuitatem aduentum, æstiuo tempore prope Solis occasum, vndique nubes eleuari cœperunt: ac ita totum inuoluentes cœlum lucem Solis penitus obscurarunt, & palpabiles imminebant tenebræ; horrescunt omnes, timore proximi tabescunt exitij; vltimum aduenisse sibi diem formidant; excitatur lux in nostra Ecclesia; preces variæ, litaniæ & psalmi magna deuotione & assiduitate recitantur: ipsi etiam Mahometis sectatores qui ad Ecclesiam confugerant, ipsa cogente conscientia fatentur, se nullibi tam securos, quàm ibi fore; post aliquod spatium nubes resoluuntur, ac pristina diei redit serenitas.

Secundum est, quòd in nostro Bassorano Conuentu canis erat, qui mirabili Dei instinctu Christianos à Mahometanis discernebat, vt omnes quotidiano comprobarunt experimento: quod & ego spatio quindecim mensium expertus sum; nihil in his partibus à brutis perceptibile Christianos à Mahometanis discriminat: & tamen hic canis Christianis aduentantibus blādiebatur,

Maho

Mahometanis autem, poſtquam momorderat, allatrabat: nullus, etiam domeſticus ſeruus, quo ad aquam Euphratis potabilem afferendam bis quotidie vtebamur, etiam cani blandiendo, & aliquid comeſtibile porrigendo ab eius indignatione liberabatur, vnde nulli vnquam Mahometano, niſi caueret ſibi, pepercit; nulli autem Chriſtiano vnquam nocuit: ſi canis iudicio frueretur, meritò in Mahometanos vlciſcendi cauſa inueheretur, qui canes tanquam immundos & abominabiles fugiunt, & aſſerunt Angelos Dei nunquam ad eas domos accedere, in quibus canes reperiuntur; propterea eos in vicis nutriunt, ac manere cogunt. Ad maiorem prædictorum confirmationem accedit, quòd quandò Luſitanorum claſſis commercij causâ Baſſoram venerat, acceſſerit quidam Luſitanus, qui paulò ante Chriſti fidem negauerat; hic ficto animo quaſi ad Eccleſiæ gremium rediturus domum noſtram ingreditur; ſed qui homines ſua ſimulatione decepit, canem à Deo directum decipere non potuit; nam ipſum aggreditur & mordet; miramur omnes, qui canis erga Chriſtianos manſuetudinem noueramus: ſed rei euentus oſtendit canem monuiſſe hoc facto, vt ab illo hypocrita caueremus; hic ſiquidem infœlix collectis Luſitanorum copioſis eleemoſinis, quarum causâ tantummodò venerat, ad terras infidelium iterum aufugit.

Tertium eſt, quod contigit anno Domini 1632. videlicet: Turba Chriſtianorum ſancti Ioannis, de quibus ſupra libro ſexto dictum eſt ſeptingentorum circiter è portu Baſſorano versùs Maſcatum in Luſitanorum nauigiis vela dederunt; hi tanquam præcurſores totius gentis, ac exploratores reliquos præibant. Aliis Maſcati remanentibus ſeptuaginta ipſorum velut capita, quorum Dux vocabatur Roboan, Chriſtiano verò nomine Ludouicus de Soza, ad Proregem Goæ commorantem, ſe mari committentes, proficiſcuntur. Iam à

multo tempore hi solo nomine Christiani suasu nostrorum Patrum ad veram Christi fidem transire desiderabant: sed hoc in terris Mahometanorum fieri non posse iudicabant: quapropter rogarunt vnum è nostris Patribus nomine Basilium Lusitanum, cum quo ibidem mensibus quindecim mansi, vt à Rege Hispaniæ aliquam terræ portionem prope Mascatum obtineret, vt illuc omnes transmigrantes eum omni libertate fidem Christianam possent profiteri. Scribit hic Pater ad sacram Congregationem de propaganda fide hanc Christianorum intentionem, quæ tam pio cooperata desiderio à Rege Hispaniarum obtinuit, quod illi postulabant. His expeditis dictus Pater à Bassorensi gubernatore sibi summè affecto dicti populi transmigrationem impetrauit admonet ducem generalem Lusitanorum in Sinu Persico nomine Rodericum Frere d'Andrada, qui hoc summopere exoptabat: hic mille aureos ad omnia transmigrationi necessaria misit, ac mercatoribus iniungit, vt inter se hos Christianos diuidentes in suis nauibus admitterent. Septingenti naues ingrediuntur, qui aliorum præcursores locum eis destinatum parare volebant, vt sensim alij postea confluerent: sed mortuo hoc duce generali res infelici exitu conclusa est. Postquam ex illis septuaginta Goam appulerunt, inuenientes iuxta littus vnum è nostris religiosis nomine Alexium Lusitanum, quem Bassoræ nouerant, rogarunt vt eos ad Proregem deduceret; illo præcedente ad palatium Proregis tanquam milites ordinati, catapultis muniti, sub vexillo in quo Crux depicta erat, peruenerunt: ad ipsum palatij ingressum depromptis catapultis Proregem salutarunt: Hanc miratur Prorex nouitatem, qui sint, vnde veniant, quo tendant, quidue postulent inquirit: omnibus ei per dictum Religiosum ab exordio declaratis, mittit illos in nostrum Conuentum, vt ibi per aliquot dies donec de his deliberauerit,

com

commorentur. Interim Patribus id strenuè sollicitantibus Prorex consilium generale status conuocat, vt de his maturius iuxta propriam instructionem, determinare possit: Consiliarij in diuersa feruntur suffragia; quidam transmigrationem hanc in bonum status; alij ad eius perniciem, allatis pro vtraque parte rationibus, futuram asserunt: vincunt tamen qui illis fauebant, & ita authoritate Regia conceditur eis castrum Doba in Sinu Persico cum terris adiacentibus: Dominus illius creatur Dux illorum Christianorum, cui Prorex honoris causâ habitum equestrem Deuis continentem Crucem viridem, propriúmque ensem concessit: insuper datur illis classis maritima sex nauigiorum, vt Sinum Persicum piratis mundarent, sub hac tamen conditione, vt in suo castro Doba duos aut quatuor è nostris Religiosis alerent, quos tanquam Parochos authoritate Ecclesiastica, & Regia eis destinauerant.

His ita conclusis exurgunt religiosi alterius ordinis, illos Christianos à se conuersos & missos asserunt, & ita pluribus titulis composito libello tanquam ad se pertinentes à Prorege exposcunt: offertur nobis libellus, vt singulis eius articulis respondeamus, præcipitur: data responsione, & præhabita illorum confessione, qui se à nobis & non ab aliis conuersos fatebantur; omnium sententia nobis adiudicantur; vnde eligitur in Patrem ac Pastorem ipsorum P.F. Eustachius Romanus noster Religiosus, linguæ Persicæ peritissimus, & ad alias orientales addiscendas valdè idoneus. Anno 1633. mense Aprili soluunt portu Goano, ad Sinum Persicum tendunt, sed aduersis flantibus auris redire coacti vsque ad vndecimam Nouembris Goæ commorantur. Iterum discedunt, Mascatum perueniunt: sed Deo sic permittente negantur illis à gubernatore Mascati concessæ terræ, & aliis imò inimicis ratione status, vt dicebat, conceduntur: sic pium illud peruertitur negotium, & illi

illi Christiani partim dissipantur, partim ad proprias redeunt terras; vnde sublata penitus videtur spes conuertendi hanc gentem, quæ ad viginti millia animarum pertingere, aut potius dicitur superare. De nouo agitur, vt audiui, de eorum ad Indias reductione, Prorex nostros Patres ad pium illud opus applicat; vtinam præteritæ delusionis obliti nostrorum consiliis obtemperent.

CAPVT V.

De his, quæ in Perside successerunt.

IN Perside etiam aliqua comperi, quæ hîc notanda iudicaui.

Primum contigit, quòd Rex Persidis Abbas, vt à principio exordiar, assumpserit in familiarem quemdam Anglum Catholicum nomine Robertum Sirlei, postea creatum ab Imperatore Comitem Palatinum: quia à Rege Persidis Legatus missus est ad multos Principes Christianos. Cùm inuidia virtutem ordinariè comitetur, alij Angli mercatores ipsum persequi; imò apud Regem diffamare cœperunt, presertim quòd suam vxorem è Mahometana lege in Christianam conuertisset; aliáque his similia mentientes, adeò Regem in illum commouerunt, vt è sua Legatione redeuntem è curia recedere iusserit. Miratur bonus ille Comes, præ tristitia talis successus infirmatur, moritur, ac in nostram Ecclesiam sepeliendus Aspahanum deportatur: eius vxor nomine Theresia dicta Comitissa Sirlei (quæ nunc Romæ commoratur, ibíque nuper eam vidi) comprehenditur, ad iudicium vocatur; sed seipsam iustificans clarissimè demonstrat se ex Hircania adductã Christianis parentibus ortam, ac semper fuisse Christianam, asseuerans, quidquid res tulerit, se semper talem futuram: minantur ignes, se ad ignem paratam pro fide

Chri

Christi respondet: se eam ex altissima turri præcipitem daturos obiiciunt, quod supplicium in Perside sæpè reis imponitur, inuincibili constantia replicat se nullum mortis genus propter Christi fidem illatum metuere: tandem quia Iudex nobis plurimùm affectus erat, aliquibus muneribus flexus eam dimisit. Iterum eam die Ascensionis anno 1629. comprehendere voluerunt, eam in propria domo quærunt; sed admonita, erat quippe in nostra Ecclesia, effugit: latuit apud Armenos, ac paucis post diebus dimissa à nostris Patribus Constantinopolim, ac inde Romam petit vbi nunc commoratur.

Secundò, contigit duplex aduentus exercitus Turcarum in Persidem. Primus quidem anno Domini 1630. iam supra lib. 1. cap. penultimo descriptus. Secundus fuit anno 1637. ipso Turcarum Imperatore dirigente; postquam enim totam penè Mediam deuastauit, ipsámque ciuitatem Tauris celeberrimam penè destruxit, ad Babylonem, cuius obsidendi causâ venerat, transactis in regione Mediæ magis, moderata caloribus; accedit, obsidet, & gubernatoris proditione capit. Tunc etiam accidit crudelis mors tum huius generalis exercitus Persici ob proditionem, tum Proregis Sirasensis, de quibus etiam supra dictnm est.

Tertiò, contigit infirmari puerulum cuiusdam Christiani Cophti nondum baptizatum: hic nostros Patres rogauit, vt ad eius domum irent, Dominum supra puellum rogaturi; iuimus duo, inuenimus ipsum in extremo mortis periculo constitutum, voluimus baptisare, resistunt parentes, cùm enim soleant magna, cum pompa baptismum paruulis administrare, nolebant sic priuatim baptisari; ac ita re infecta recessimus: sed de illius salute corporali desperantes, ac de spirituali, si absque baptismate decederet: iterum ad illius domum venimus, patri suademus nos iterum baptizaturos puerum; sic illo annuente aquæ aspersione baptisauimus,

ac

ac paulò post emoritur. Si hîc immorari liceret, diuinæ prædestinationis mysterium se nobis considerandum offerret, nemo è manu Dei quemquam prædestinatorum eripiet, specialissimam illorum gerit prouidentiam; tres de hac materia Lumen Ecclesiæ Augustinus quæstiones proponit difficillmas. Prima est, cur ex duobus paruulis vnus assumatur, vt iste; alius relinquatur. Secunda, cur ex duobus adultis impiis vnus vocetur, alius verò non. Tertia, cur ex duobus iustis vni donum perseuerantiæ concedatur, alteri verò negetur: & his respondet iudicia Dei esse inscrutabilia, & quòd miseretur cui vult misereri, & quòd hæc discretio prouenit ex hoc, quòd Deus aliquos ex gratuita voluntate ante præuisionem meritorum ad gloriam elegerit; alios ab eadem gloria ob occulta sua iudicia tanquam à bono indebito excluserit.

CAPVT VI.

De his, quæ successerunt in Syria, & Palæstina.

PLura etiam in Syria & Palæstina contigerunt. Primum est mors crudelis Principis Sidoniensis, vulgò dicti *Mir Fecardin*; hic ex Christianorum Regum Hierusalem prosapia dimanans; etsi fide Mahometanus, affectu tamen Christianus erat. Hic in totius Phenicis littore principatum habens nominatissimas Beriti, Sidonis, Tyri, Ptolomaïdis, & Sepheth ciuitates cum annexis oppidis possidebat. Hic in Italiam, & Galliam venit, ad suam recuperandam Palæstinam Christianis Principibus opem pollicitурus. Hic cum diu Turcarum Imperatori plurimùm restitisset; tandem ineundæ pacis, & amicitiæ confirmandæ causâ dolosè Constantinopolim accersitus pœna capitis damnatur.

Secundum, quod contigit, est persecutio Aleppi contra religiosos excitata; præfectus enim Iustitiæ, quem

quem *Caddi* vocant, zelo Mahometicæ legis motus omnes Christianorum Catholicorum Ecclesias, videlicet nationis Venetæ, quam Minores sancti Francisci administrabant, Patrum Capucinorum, Iesuitarum, & nostram adiuit; eas sublatis altaribus & imaginibus prophanat, ac in Moscheas, siue templa suæ legis precibus suis decantatis suo more consecrat; imò & aliquos religiosos per vrbem circunductos iniuriis afficit; sed huius crudelitatis, ac impietatis pœnas diuina vlciscente iustitia luit; nam qui sacras Deo ædes polluerat, suas Constantinopoli eodem penè tempore ardere videt, pluresque alias in pœnam sui delicti pertulit miserias.

Tertium, quod contigit sed in Palæstina, fuit destructio ciuitatis Nazarenæ: cùm enim illius incolæ pessimi traditione continuata censeantur, iuxta illud Nathanaël, nunquid aliquid boni potest esse ex Nazareth? oppida circumquaque posita (nescio qua noua occasione, vel titulo) armatos in eam mittunt milites qui funditus euertant; irruunt ex improuiso, multos trucidant, domos diruunt, & conuentum Minorum in domo Beatissimæ Virginis ædificatum incendunt; credentes, quòd illo deleto ciuitas ipse obliuioni traderetur: hanc in præscripto misero vidi statu, ex hac traditione de populo Nazareno, gloria Christi Domini, Beatissimæ Virginis, S. Ioseph, sancti Ioachimi, & aliorum accrescit; quòd scilicet Sanctus Sanctorum, Sancta Sanctorum, & alij tam celebres Sancti in medio malorum extiterint.

Quartum, quod Hierosolymis contigit, fuit aliqua contra religiosos sancti Francisci persecutio: ciuitatis enim gubernator, non alio titulo quàm tyrannidis duo millia nummorum ab ipsis per vim exigebat: hæc iniusta pecuniarum exactio fictis titulis apud Turcas frequenter occurrit; attoniti illi Patres de nouo sibi imposito tributo, quid agendum sit deliberant; bonum

iudica

iudicatur medium, si Superior clandestinam aggrediatur peregrinationem, sub specie visitandi religiosos, qui sub eius obedientia commorantur in Syria; & interim scribatur Constantinopolim ad Christianissimi Regis Oratorem sub cuius protectioné manent; vt inde Hierosolymitanus Gubernator ab huiusmodi vexatione coërceatur. His deliberatis exit secretò, Sidonem adit, vbi cum in meo reditu commorantem inueni: sed licèt ipse euaserit; eius tamen substitutus præfatam pecuniam dare recusans, fustibus dirè cæsus est: hic successus meam peregrinationem Hierosolymitanam partim impediuit.

Plures alij successus etiam miraculosi, maximè sacri scapularis, & sanctæ Matris Theresiæ contigerunt: sed ab his abstineo, ne lectori fastidium ingeram.

LIBER



LIBER DECIMVS ITINERARII

In quo

Cauſa, & ſucceſſus mei in Europam reditus afferuntur.

CAPVT PRIMVM.

De cauſa mei reditus in Europam.

PRIMA, & principalis cauſa mei reditus in Europam, fuit vt proceſſum authenticum Venerabilis Patris Dionyſij à Natiuitate, & Venerabilis Fratris Redempti à Cruce, authoritate Domini Franciſci de Martyribus Archiepiſcopi Goani ex ordine Minorum aſſumpti formatum ad ſacras de propaganda fide, & de ritibus Congregationes Romam deferrem.

Summa ſemper erit mihi cauſa lætitiæ, conſolationis, & gloriæ; quòd hos Venerabiles Religioſos Martyres viderim, cum illis per plures annos conuerſatus fuerim: & maximè quòd dictum Venerabilem Patrem Dionyſium ad ſacram religionem noſtram allexerim, religioſo noſtro habitu & profeſſione donauerim, & Philoſophiam edocuerim: actu enim ſtudebat, cùm ad illam nauigationem, in qua martyrium ſubiit, ex

obedientia, & Proregis mandato fuit destinatus.

Eram in nostro Conuentu Goano, cum fœlicia huius martyrij nuntia recepimus, toto vrbi celeberrima, & communi omnium applausu celebrata: vbique resonabat nomen, virtus, & gesta; præsertim Venerabilis Patris Dionysij. Nos quorum præcipuè intererat, solemni campanarum sonitu, & cantato deuotè *Te Deum laudamus*, celebrauimus, atque exhibita prædicto Goënsi Archiepiscopo supplici petitione, huius martyrij iuridicam informationem instruere cœpimus; dum maior à Sede Apostolica ad hæc perficienda authoritas expectatur: sed periculum est, ne testes, qui rari ex insula Sumatra possunt euadere, desint; dum hæc impetrabitur.

Huius applausus motiuum fuit Epistola Domini Francisci de Soza de Castro Oratoris Regij, cum quo noster Dionysius ad Achem processerat; qua ipsum verum martyrem appellat, eiúsque Apostolicas prædicationes & facta heroïca sic breuiter refert. Pater Berthelot, (ipsum nomine sæculari adhuc omnibus notum appellans) perfectus martyr occubuit concionãdo vtraque lingua (Lusitanam, & Malaicam intelligit) quod ipsosmet terruit carnifices; postquam per triginta dies compedes, famem, & crudeles ictus cum aliis passus est: sic enim Martyres vexati sunt, vt dies mortis fuerit illis dies quietis.

Seruus eiusdem Oratoris nomine Petrus Martius, qui ex Achem euaserat primus; quod eius Dominus scripto dixerat, verbo palam confirmabat. Mirum est, quantam sanctitatis opinionem Venerabili Patri Dionysio conciliarunt tam admiranda ab ipso relata prodigia, quæ post eius martyrium contigerant; de quibus supradictum est: nam corpus humanum post mortem incorruptum tandiu perseuerare in regione corruptioni obnoxia, imò colore viuido; ex terræ visceribus per penetra

penetrationem bis exiliisse; sanguis & aqua post mensem à fœlici obitu ab ipso defluentes; tot splendores & apparitiones; Angelici cantus per octo consecutiuos dies ab aliquibus auditi; continuus eius ad locum martyrij reditus; & alia plurima, quæ ab ipso dicebantur, omnibus admirationem; nobis autem animum, ad prædictam informationem faciendam excitarunt; quibus ordinatè finitis nauigationi, & itineri me committo.

Quia verò ipse Orator Dominus Franciscus de Soza de Castro maxima cura & diligentia in ciuitate Achem existens, omnia quæ sanctis Martyribus acciderant, collegit, & Romam misit; eius testimonium omni exceptione maius in quadam epistola ad R. P. N. Præpositum Generalem missa, quam vidi & de verbo ad verbum transtuli, audiamus.

Reuerendissime Pater.

Congaudeat mecum Vestra Reuerendissima in Deo Domino nostro, & adiuuet me ad infinitas ei rependendas gratias, pro ea misericordia mihi collata, qua per spatium ferè trium annorum concessum est pro suo amore & confessione suæ sanctissimæ fidei tolerare rigores asperi & arcti carceris; etsi cum magna consolatione animæ meæ propter bonum exemplum, quod subeundo martyrium, reliquerunt sexaginta Lusitani comites mei, quos mecum duxi ad regnum Achem, cum ad illud missus Orator properarem: sed maximè in particulari P. Fr. Dionysius à Natiuitate, qui mihi erat à sacris confessionibus, & Fr. Redemptus laïcus ambo subditi obedientiæ Vestræ Reuerendissimæ; quorum primus non contentus vitam dare pro confessione nostræ sanctissimæ fidei, manifestauit quàm parum timeret tormenta etiam crudelissima, & in medio illorum vsque ad vltimum vitæ spiritum perseuerauit confessiones audiendo, socios animando, &

eos exhortando ad ſubeundos labores pro Deo & ſanctiſſima fidei confeſſione. Scribo circa hoc martyrium ad Eminentiſſimos, & Reuerendiſſimos Cardinales de Ritibus, & ab ipſis peto, vt mandent fieri veridicam inquiſitionem huius ſucceſſus. Veſtra Reuerendiſſima non prætermittat interponere ſuam authoritatem huic petitioni, præcipiens ipſam ſollicitari; ita vt ſuum conſequatur effectum ad honorem Dei, & horum eius ſeruorum; ad gloriam ſacræ Religionis Carmelitanæ; & ad ſummam conſolationem meam: cùm enim mihi præcipua defuerit, quòd eis ſociari non potuerim; hanc ſaltem habebo, quòd pro ipſis in terra ſollicitabo, ad cuius effectum mittunt ad veſtram Reuerendiſſimam eius Religioſi, qui in his religionibus manent, ſummarium quoddam teſtimoniorum. Deus Dominus noſter ſeruet Veſtram Reuerendiſſimam. Datum Goæ die Tertia Martij anno Domini milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo Tertio.

Franciſcus de Soza de Caſtro.

CAPVT II.

De meo exitu è portu Goano.

DIes tertia Nouembris anni milleſimi ſexcenteſimi trigeſimi noni è ciuitate Goa diſceſſi; ſed vſque ad decimam octauam eiuſdem menſis prope portum manere coactus ſum vnà cum tribus aliis ſociis mei itineris; vno quidem ex noſtro ordine, alio Dominicano, alio Franciſcano: ibi expectauimus epiſtolas Proregis commendatitias: ipſis enim præcipiebat Duci generali Sinus Perſici, vt nobis duo nauigia ſuæ claſſis præberet, quæ nos Baſſoram vſque deferrent.

Quia verò è portu Goano nullæ ſoluebant naues propter continuam Batauorum obſidionem, timentes ne in eorum inciderent manus propterea nauigium exiguum

exiguum oblongum,ſed anguſtiſſimum,octo vel nouem ex vtroque latere remis munitum,vulgò *Almadiam* dictum aſſumimus:hoc genus nauigij eſt leuiſſimũ circum littora nocturno tantùm tempore nauigans:habet enim pro ſingulis diebus ſingulos portus deſignatos, è quibus ſub crepuſculo nocturno diſcedit,& ad principium diei ſe in alio colligit Hic modus nauigandi nocturnus propter quoſdam piratas dictos *Malabares* ſtatim deſcribendos introductus eſt: cùm enim hi Piratæ in ſua nauigatione ſint velociſſimi, aliæ naues craſſiores ex eorum manibus euadere non poſſunt: nec Almadiæ interdiu euaderent, quia ipſi aliquando leuiores habent nauiculas; & quia remis & velis eas ſolùm remigantes facilè attingerent: & ita ad nauigationis ſecuritatem noctu nauigatur; in qua rarò ſibi occurrunt, & propter tenebras facilè ſeparantur: maius periculum eſt in egreſſu portus, ne ibi prope latentes ſint piratæ;& maximum eſt in ingreſſu ne occurrant,cùm nautæ nocturna ſunt remigatione fatigati: & ita ſi ab illo portu excludantur,ad alium præ fatigatione peruenire non poſſunt: vnde facilè capiuntur.

Inter Piratas qui in oceano Indico reperiuntur omnium peſſimi ſunt Malabares: hi habitant in parte maritima Regni Samorim, quotannis plurima ad prædandum inſtruunt nauigia; non quidem magna, ſed optimè armis ac militibus munita, ac velociſſima: iidem ſunt nautæ & milites, multi in quolibet nauigio; ſunt aſpectu horribiles coloris nigri, auribus perforatis ac pendulis, crinibus, dum pugnant, ſolutis, totóque vt plurimùm nudati corpore: hi ferè nunquam in altum mare procedunt; ſed circa littora nauigant, ibi naues dum portum appellere volunt expectantes.

Statim ac naues mercatorum aduertunt,& remis & velis ad eam aduolant: ducenta & plura vaſa teſtacea puluere tormentario plena intra eam proiciunt,quæ ex

casu confringuntur. & puluis per nauim spargitur: demum aliqua vasa, in quibus funis ignitus alligatus est, immittuntur; & ita puluis concepto igne erumpit, ac obuios quoque exurit, & sic facilè nauis capitur: sed huic piratarum artificio duplex præparatur remedium: Primò enim supra nauim rete magnum à puppi ad proram in modum tecti ex vtraque parte penduli expandunt; & ita vasa illa proiecta non intra nauem, sed in mare decidunt: secundò, ne piratæ ad nauim accedant, trabes satis longas, ac extra nauem circumquaque excurrentes catenis ferreis in extremitate ligantes, tanquam murum eis obiiciunt.

Solent Piratæ celebrato Octobris nouilunio è suis exire portibus: quandò primò aliquid capiunt, inter captiuos sortes mittunt; ille, cui sors ceciderit, sacrificatur in prora nauigij, quæ fusò eius sanguine consecratur: alios verò denudant, & inauditis excruciant tormentis; non cogunt captiuos fidem negare, si nouerint ipsos esse diuites, sed multiplicatis tormentis cogunt multum pro sua redemptione promittere, & donec multum promiserint continuis angunt supliciis: vix paululum orizæ pessimæ ad victum conceditur, die labore conficiuntur, noctu compedibus adstringuntur, & duplici alligato pollice aliquandò suspenduntur: qui nihil pro sua redemptione promittunt, fidem Christi negare coguntur; quem nisi negauerint, crudeliter enecantur: qui verò pretium redemptionis offerunt; veneno interficiuntur, si post solutum pretium apud eos manducent: vnde ex illis littoribus multi quotidie in cœlos emittuntur: propter vicinas tamen Lusitanorum terras aliqui euadunt, vnius tantum historiam enarrabo.

Contigit, vt quidam Lusitanus solertissimus; non tamen in hoc coram Deo laudabilis, sequenti astutia è manibus illorum Piratarum euaserit: confestim ac se

captum

captum vidit,ſciſcitatur quis ſit Dux nauigij,illi ſibi indicato catenam quã habebat aureã tradit,ipsúmque ſecretò allocutus,dixit ſe nolle redimi, ſed velle inter eos conuerſari,quod tamen ſecretã fore optabat,donec omnia ſua bona in terris Luſitanorum vẽdi iuſſerit,ac vniuerſum pretium ad ſe deferri ſub prætextu ſuæ redemptionis curauerit; ac propterea expediendum eſſe ſuum ſeruum illi perſuadet. Hoc ita eſſe credit bonus ille Pirata; ſed ſeruus eo animo dimittitur, vt liberetur, & intimat parentibus Domini ſui, ne quidquam pro eius liberatione mittant. Conformat ſe ille exterius Mahometanorum ritibus, ab aliis maximè à ſuo Domino ſummè diligitur, & eò amor deuenit, vt ei vnicam filiam ditiſſimam in matrimonium tradiderit. Per aliquot menſes apud ipſum gener eius effectus ac Dominus omnium conuerſatur: ſed oblata fugiendi opportunitate, multis ſublatis diuitiis, inſalutato hoſpite ac ſocero, in ſuam patriam recedit ex illa captiuitate ditior effectus. Non mirum ſi hic Pirata deluſus fuerit; aliqui enim Luſitani ad eos accedunt, & Mahometani efficiuntur: vnus talis Goæ fuit combuſtus, quia bis ad eos acceſſerat. Refertur de quodam alio quòd iniuria à Prorege affectus ad eos acceſſerit: cùm enim Goæ manens vindicari non poſſet; ſi ad illos tranſiret ſeſe vindicaturum ſperabat: ſciebat quippe Proregem ſingulis diebus Sabathi ad quandam Eccleſiam in fine inſulæ Goanæ conſtitutam, ac Beatiſſimæ Virgini dicatam accedere, vt ibi miſſam audiret: cùm igitur ſe illis coniunxiſſet Piratis, iubet illos bono eſſe animo, promittit Proregem eſſe capiendum; vnde cùm locorum eſſet peritiſſimus, eò venit quò Proregem venturum eo die ſciebat: apparet Proregis nauicula, illi citiùs ad prædam capiendam exiliunt, ac proinde tanquam Piratæ detecti citiſſima remigatione fugiuntur; Prorex quippe remigantibus catenam auream dedit, ac

maiora promisit munera.

Sunt alij Piratæ prope Indum fluuium, sed exiguo numero, qui eodem pene modo naues mercatorum aggrediuntur; in hoc tamen differunt, quòd cùm Malabares vasa testacea puluere tormentario repleant, isti calce replent; quæ dum vasa cadendo franguntur, in aërem euaporans & ad oculos ascendens illos excæcat.

Die igitur decima octaua Nouembris circa mediam noctem portu Goano soluimus. Primâ nauigationis die, peruenimus portum Bandæ; secundâ, Melundi; tertiâ, Mombri; quartâ, Reiapor; quintâ, Mazagan; vnde diu Piratarum nauigia in mari nauigantia vidimus; sextâ, venimus Dabul; & decimâ, perueniмus Chaülum finem illius nauigationis; ibi enim nauim magnam in Sinum Persicum profecturam eramus conscensuri: Chaülum igitur vigesima octaua Nouembris appulimus, ibíque in Conuentu sancti Dominici, ad cuius Priorem commendatitias Vicarij eorum Generalis deferebam epistolas, vsque ad duodecimam Ianuarij sequentis anni mansimus, opportunitatem nauigandi expectantes. Nihil nobis notatu dignum in hoc tractu contigit; sola vltima nocte, cum classis Lusitanorum nobis occurrisset, eos quasi Piratas formidantes retrocedere cœpimus; sed rei veritate cognitâ iter prosequentes illud fœlici exitu conclusimus.

CAPVT III.

De traiectu Oceani, ac Sinus Persici ingressu.

QVadragesimus iam cœperat annus supra millesimum sexcentesimum, & duodecima dies mensis Ianuarij illuxerat; cùm nocte sequenti nobis fore discedendum intimatur. Nauim igitur ingredimur, nocturno tempore quando ex maris fluxu creuerant aquę,

portu

portu soluimus, & ad tria milliaria procedimus, ibique iactâ sistimus anchorâ : cùm enim Piratæ Malabares circa littora deuagentur, noluimus vltra procedere, ne deficiente vento soli in conspectu eorum maneremus, ac in eorum manus incideremus. Ibi expectabamus quinque nauigia bellica, quæ quia parua poterant qualibet hora è portu soluere; solutura igitur erant die sequenti, & nobiscum processura donec periculum deperdito littore euasissemus : hi siquidem Piratæ, quia tunc venti orientales intra mare impellunt, in ipsis solùm nauigant littoribus.

Statim à prandio tria Piratarum nauigia comparent, nouem circiter milliaribus distantia : statim cum tanto impetu, vigore, ac pertinacia remigio manus admouent, tantáque remigantibus identidem mutatis velocitate ad nos feruntur, vt intra duarum spatium horarum, velocissimo aquarum fluxu, & ventorum flatu in contrarium impellente, tres leucas confecerint : Dux nauis nostræ, vt generosi erat animi, eorum aduentum exterius saltem intrepidus præstolari volebat, indecoram iudicans, si ad tutum sub castro proximo locum fugiendo recederet : veritus maximè, ne hoc tanquam argumentum ignauiæ postmodùm ei ab aliis obiiceretur, alij summè desiderabant propriæ fugâ consulere saluti; nec Dux contrariæ erat sententiæ, si illæso posset honore recedere. Hæc videns, aliorum meæque salutis desiderio commotus nomine omnium Ducem aggredior, multis quas breui illo tempore excogitaueram, rationibus suadeo recessum, & inter alia dico non esse cur de suo formidet honore; cùm aliàs, dum miles esset, tot præclara gessisset generosi animi facinora; nunc autem cùm mercator esset, ac Piratis viribus inferior, eius temeritati ascriberetur, si eos pugnaturus expectaret; etiamsi victoriæ certus esset, & quòd Dux Mascati, qui hanc ei commiserat nauim, non eius præ-

lia & victorias, sed mercium incolumitatem ac lucrum tantùm expeteret: his motus rationibus, cæterísque applaudentibus, iubet anchoram euelli, ac vela vento dari; ad castrum sensim accedimus. Interim nauigia illa bellica, vt nobis in periculo succurrerent, portu soluunt, quorum aduentum aduertentes Piratæ vlterius accedere non audent; sed suis fidentes remis proximi tota die iactâ manent anchorâ.

Cùm prima nocte paululùm spirarent auræ vela facimus, quod aduertentes Piratæ, nec alia videntes nauigia vtpote remotiora (media si quidem erat nostra nauis) nos insequuntur proximè, solito clamore perstrepentes accedunt; sed exploso à nobis tormento bellico recedunt, nec amplius audiuntur: cessant auræ, iterum iactamus anchoram, totáque ibi sistimus nocte; sed ad Solis ortum rediuiui perflant venti, vltra procedimus; insequuntur Piratæ, sed procul: tandem inualescente vento, expansísque omnibus velis in altum tendentes, continentem montiúmque cacumina deperdimus, nec imposterum tales Piratas, sed solos Batauos in alto mari formidamus.

Per aliquot dies tranquillo mari, ventísque prosperis sed debilibus nauigantes oceanum Indicum traiicimus, & ad initium Sinus Persici peruenimus, quod ex ingruenti aduertimus tempestate: solent enim in illo aquarum concursu & occursu frequenter sæuire. Die igitur vigesima octaua Ianuarij contrario, eóque rapidissimo flante vento tempestas magna excitatur, omnes terror occupat, periculúmque formidamus; nauis quippe vetus plurimum aquæ admittebat; sed tunc cùm omnium stupore; sed ratione naturali nihil penè admittebat, citissimè quippe in suo cursu præterlabebantur aquæ multùm tamen timebatur, ne nauis contra venti impetum nauigans aperiretur: vela colliguntur, vnico ad nauim regendam relicto, nihil præ timore

re tota die comeditur, iámque in Indias retrocedere cogitabamus, timentes ne ventorum impetu ad mare rubrum delaberemur; ſed Domino ſic diſponente paululùm ventus remittitur, ac ſub veſperam mare quieſcit; iter proſequimur, ſequenti die quædam auiculæ non multùm intra mare procedentes apparent, & terra proxima nobis denuntiatur. Tota die nauigamus, terra Solis ſplendore occulta, ad cuius occaſum manifeſta, imò proxima comparet: ad hanc tota nocte nauigantes tendimus, ad Solis ortum pagulus nomine Teue in Arabia fœlici comparet, vbi riuulus aquæ dulcis inter montium anguſtias decurrit; Palmæ mala aurea aliíque fructus colliguntur: illuc accedimus, quia ventus cōtrarius nos vltra progredi non permittebat, anchoram iacimus, ſed paululùm elapſa fundum non inuenit, ac ita vento delati ad tres leucas recedere vſque ad deſtructam Calaiati Ciuitatem compellimur; ibi inuento alio Luſitanorum nauigio per triduum ſiſtimus, donec contrario Septentrionali ceſſante vento, Auſtralis deſideratus perflaret: in Meridionali igitur tempore, proſpero nauigamus vento, quo per totam noctem perſeuerante Maſcatum ſummo mane peruenimus; illa nocte accidit, vt quidam nauta Arabs, dum in cymba nauigij Comitis dormiret, repentino maris fluctu cymba repletur, ac ita miſer ille decidit in mare, ac impetu fluentium raptus aquarum naufragium pertulit; vnde quantùm ad corpus & animam naufragus periit. Dies, quo Maſcatum appulimus fuit quarta Februarij, & ad Conuentum S. Auguſtini, qui vnicus eſt in hac vrbe, ſecedimus: Solent enim illi Patres omnes Religioſos cuiuſcumque ſint ordinis illuc aduentantes colligere, & inſigni charitate tractare.

CAPVT

CAPVT IV.

De vlteriori Sinus Persici nauigatione.

MAſcati quindecim circiter diebus commoramur, tum vt nauigia à Prorege nobis promiſſa expectaremus, tum vt omnia pro vlteriori nauigatione neceſſaria pararemus:ſed quia claſſis nauigia præ vetuſtate nauigare non poterant,coacti ſumus nauiculam Perſarum tendentem versùs Baſſoram conducere;nos enim illuc iter noſtrum dirigebamus. Circa vigeſimam Februarij Maſcato diſcedimus, proſperè nauigationem incœpimus; ſed vix Caſtrum Suar attigeramus, cum vento ſeptemtrionali flante nobis contrario, qui in illo præcipuè mari dominatur; iactâ anachorâ propè littus duobus ferè diebus ſiſtimus. Iterum redit ſerenitas; vnde vlteriùs nauigantes appellimus Corfacam, vbi dimidio die manſimus: deinde ſub veſperam exeuntes totam illam maritimam Arabiæ fælicis partem ſecundo vento pertranſeuntes, ad promontorium Moſſandam ſupra deſcriptum ſummo mane alterius diei appellimus, quo ſuperato ad Caſſapini portum propter ventos contrarios diuertimus. Ibi Pater alius mei comes itineris malignis febribus cœpit laborare:vnde cùm nihil penè haberemus, quo in ſua infirmitate ſuſtentaretur, per inacceſſos propemodùm montes ad Caſſapum Caſtrum Luſitanorum properaui; vbi dux pullos aliquos aliáque pro infirmo Patre conceſſit. Mirabile eſt, quomodò Arabes per abruptos montes quaſi Capræ diſcurrant, horrebam aliquandò illos ibi conſpiciendo. Intra illos Arabiæ montes ſunt varij ſinus maris,in quibus triduum ventorum pertinacia detenti ſumus; qui illac pertranſeunt, niſi continuò velorum cordas præ manibus habeant, manifeſto ſe committunt naufragio; tam validi ac repentini ventorum flatus ex illis montium

montium ſciſſuris erumpunt ; vt facilè, niſi vela demittantur, ingentes etiam naues euertant. Vbi contrariorum impetus ventorum quieuit, acceſſimus ad quoddam caput vbi Mahometanorum eſt templum; inde mare tota nocte nauigantes traiicimus, ad inſulam Angan peruenientes : ſequenti die ſuperatâ Quexomis inſulâ, portum Congo appellimus die quarta Martij.

In hoc portu Perſidis eſt quidam Luſitanorum procurator, qui dimidiam vectigalium partem ex pacto colligit : ibi in domo Patrum S Auguſtini commoramur;ibi noſter infirmus è morte penè rediuiuus aliquãtulum conualeſcit : quia verò Prorex, & Dux Generalis Luſitanorum nos ſuis epiſtolis Gubernatori Congo plurimùm commendauerant ; propterea ille Gubernator noluit vt in illa, quam conduxeramus, nauicula vlteriùs procederemus : paucis enim ante diebus aliqui Arabes Luſitanos aliquot milites trucidauerant ; vnde ad ſe vocati iuſſit quendam ſenem Arabem nomine Seif ſiue Hali apud Arabes notiſſimum, & magnæ apud illos venerationis;& imperat vt nos Baſſoram vſque per illa Arabum littora ſaluos & incolumes perducat. Antequam è Congo diſcedamus,dicendum nobis occurrit, quòd ex paruis principiis ſiue ex caſulis piſcatorum,ob continuum Luſitanorum, Gentilium, aliorúmque commercium in magnam iam excreuerit vrbem : aquæ tamen ad bibendum ſunt peſſimæ ac nociuæ:inter alia autem quæ cauſant nocumenta, generant in corpore vermes, qui poſtea è tibiis erumpunt : ſtatim ac caput foras mittunt, illud in lino alligant, deinde vermes paulatim quotidie extrahunt, illos lino circumuoluentes, donec omninò exierint ; longiſſimi quippe ſunt. Si quis illos vi ſtatim voluerit extrahere, diſrumpuntur & partes multis è foraminibus exeunt. Generantur etiam in illis partibus in hominum corporibus ſerpentes,

tes ; dicunt hoc contingere quandò aliquis ſerpens ſuper induſia tranſierit;in medio namque corpore naſcitur ſerpens, apparet caput,& cauda paulatim creſcit,niſi quotidie verberibus & inciſionibus vexetur : ſi enim creſcere permittatur,paulatim excreſcendo corpus integrum cingit ; quandò autem caput caudam attingit, hominem ſuffocando perimit. En quot miſeriis humana ſubditur conditio.

Poſtquam nauis illius Arabis nauigationi præparata fuit , è portu Congo ſoluimus die decima ſeptima menſis Martij, ſequenti die peruenimus ad inſulam Piloro , Tertia die ad inſulam Caïs , vtraque olim habitata fuit , nunc deſerta eſt ob continuas Luſitanorum incurſiones ; propter ventos enim remiſſos ſenſim procedebamus : vigeſima tandem Martij ; quæ fuit quarta nauigationis,flante Auſtro inſulas Laram & Androuiam ſuperantes ad littus Nichilou peruenimus. Illius littoris habitatores , qui vrbem paucis ex lapide conſtructis domibus , plurimis tamen ex ramis palmaram extructis caſulis fundauerunt , Luſitanis ſunt infenſiſſimi. In hoc portu per aliquot horas , vt aquam aliáque neceſſaria prouideremus , manere cogimur : ibi nos ſenex ille relinquit , aſſerens nobis nullum vltra ſupereſſe periculum , ſuum tamen nobis ducem præficit nepotem ; nos ad videndum vrbem inuitat, ſed his non omninò fidentes diſcedere properamus : vnde ad occaſum penè Solis , deficiente iam vento Auſtrali , ex illo portu diſcedentes noſtram proſequimur nauigationem.

Vix per quadrantem nauigabamus : cùm ecce ventus Septemtrionalis validiſſimus exurgit , paulatim augetur , & intra dimidiam horam , tanta rabie deſæuit , vt ingentem excitauerit tempeſtatem : horreſco , quoties de illa cogito , vix adhuc credo me tot euaſiſſe naufragia : pericula doloroſæ ac mœſtæ illius noctis ſigillatim enarrabo.

Cùm

Cùm ventus ſemper creſceret, nec vltra progredi liceret (ſi enim paululùm vlteriùs progreſſi fuiſſemus, vicinus aderat portus) anchoram iacimus; ſed quia exigua erat nauicula, creſcentibus vndis ac penè intrantibus periclitabatur: vnde iterum anchora iubetur extrahi, quod diu laborantes vix perficere valuerunt: en primum periculum. Iam enim vndæ nauiculam arena onuſtam ingrediebantur non egreſſuræ: eductâ anchorâ retrocedere coacti, non ad vrbem, quia portum non habet; ſed retrò inſulam Latam vel Androuiam properamus, vento, ſemper excreſcente tantóque aliquando impetu nauiculam impellente, vt eam vno impetu penè euerterit, & niſi ſciſſæ fuiſſent cordæ, quibus velum ligabatur, actum erat de nobis: en ſecundum notabile periculum. Tertium ſtatim adeſt; ſcapha enim quæ nauiculæ à puppi alligata erat, vndis repletur, ſubtus aquam deſcendit, nauiculæ puppim ſuo pondere deprimit: rogamus illos Arabes, vt cymbæ cordam abſcindant; imò viginti aureos pro illa offerimus, plures ſine dubio oblaturi: ſed non aliud reſpondent, quàm nos eſſe perituros priuſquam cymba pereat, nec ab illo animo precibus aut promiſſis dimoueri potuerunt: quos vbi obſtinatos aduertimus, omnes labori manus admouent, vt cymbam ex vndis extrahant, & intra nauiculam attrahant: diu in vanum laboramus, ſed Deo ſic volente aduenientis vndæ impetu in nauiculam impellitur.

His maioribus liberati periculis, ad optatam procedimus inſulam: ſed nocte ingruente in noua pericula, imò in continuum deuoluimur periculum: obſcuriſſima erat nox, venti ita fremebant, vt cordæ nauiculæ concuſſæ præ ſtrepitu loqui viderentur; vndæ continua ſucceſſione inſilientes quaſi montes apparebant, mare ſpumis repletum albeſcebat: Quid plura? mortis imaginem omnia præferebant: approximauimus inſulæ,

ſulæ,quod ex aliquali vndarum quiete dignoſcebamus, ſed cùm maris fundum immiſſo plumbo non attingeretur, vltra progredimur, magis inſulæ nos acceſſuros credentes; ſed malo noſtro illam prætęrimus, & ad priſtina deuoluimur pericula, quæ tam frequentia occurrunt, vt quot temporis momenta, tot mortis pericula computentur. Ingentes vndæ continuò irruentes paſſim nauiculam obrururæ videntur; & verè ſi aliqua fuiſſet introgreſſa, de nobis actum & conclamatum erat: aliquando tantillum veli ad regendam nauiculam expandebatur; aliquandò verò nauicula vndarum diſcretioni committebatur, quibus ingruentibus Arabes voce mœſta dicebant, vt foras præterirent. Quàm longa nox illa viſa fuit: quàm tarda aurora; ſomnus ab oculis omnium receſſerat, ſolo mœrore conficiebamur: nos multiplicata cõfeſſione morti ſæpè præparauimus, omnium Paradiſi Sanctorum, præcipuè Sanctiſſimæ Virginis, ac Sanctorum Ioachim & Benedicti, quorum feſtiuitas erat, ſuffragia qua poteramus deuotione, adhibitis etiam votis implorabamus. Ego me noſtris martyribus, quorum cauſa mittebar, plurimùm commendabam: tandem Domino adiuuante, ac votis noſtris obſecundante, ſurgit aurora, dies aduenit, tempeſtas aliquantulùm ſedatur: ad vicinum quendam portum recedimus.

Tanto præteritæ noctis periculo fuimus exterriti; vt omnes mutato nauigandi conſilio ad portum Congo regredi decreuerimus; indéque itinere terreſtri Perſidem pertanſire. In reditu nouum occurrit periculum: nam vndæ propter contrarios hinc inde flantes ventos occurrentes, mutuò colliſæ ſupra nauiculam eleuabantur: ſed vento ac remis citò euadentes Congo peruenimus.

CAPVT

CAPVT V.

De secundo meo ingressu in Persidem.

Breui discursu meum in Persidem iam supra descriptam reditum, progressum, & exitum enarrabo. Expeditis igitur, quæ in Congo nobis occurrerunt negotiis, præparatis etiam ad iter necessariis, sub finem mensis Martij Persidem penetramus. Coniungimus nos turbæ Gentilium mercatorum, qui suas Aspahanum deferebant merces: multi simul procedunt; cùm enim loca deserta ac pene inuia prætereundum sit, & aliunde inermes incedant, multitudini iter agentium confidunt: imò nos tanquam turbæ duces ac defensores venerabantur; quia sæcularis Christianus duas habens catapultas, nobiscum itineris nostri comes veniebat.

Totus ille comitatus, tum ad merces deferendas, tam ad homines vehendos vtitur asinis, qui prægrandes tanquam muli plusquam equi in Perside æstimãtur, ac venduntur. Duobus primis diebus adiacentem mari planitiem perambulamus, in qua sunt aliqua oppidula, multa palmaria, ac per aliqua milliaria salis immẽsa copia: Tertia die montes ingredimur, ac per illos etiam die sequenti magno labore ac æstu procedentes, quinta tandem ad oppidum satis amplum in planitie constitutum iuxta fluuiolum pene salsum deuenimus, ibíque per duos dies commorati, socios mercatores de nouo aduentantes præstolamur.

Inde descendentes, ac singulis diebus oppida prætereuntes, ad ciuitatem Laram, septima die Aprilis, quæ erat Sabathum Sanctum, sub vesperam superatis montibus inaccessis peruenimus; Gentilibus relictis, qui aliquos è suis præstolari coacti sunt, qui deuotionis causâ ad quendam locum solitarium eorum idolis dedica

dicatum processerant. Tribus Paschatis diebus in ciuitate Lara mansimus; quibus elapsis vlterius progredientes, decima tertia die, postquam è Lara discessimus, ciuitatem Siras peruenimus, ibíque in nostra residentia aliquantulum quieuimus: nihil peculiare in hoc tractu nobis contigit, nec aliquid peculiare dicendum occurrit: via vt plurimùm plana quamuis serpentinis propter montes intermedios prolongata gyris. Inter Laram & Siras in medio penè tractu est vrbs Iacon in vasta planitie collocata, suis palmis optimis nominatissima.

E ciuitate Siras egressi Aspahanum contendimus, quò vigesima prima mensis Maij manè peruenimus, ibíque vsque ad quintam diem Iunij in nostro Conuentu à præteritis laboribus itineris recreamur:his diebus in quærenda discedendi opportunitate vacamus. Cùm verò mercatorum turbam ab aliquibus iam diebus præcessisse didicerimus, statim aliquos Armenos mercatores, qui ex illa remanserant, breuíque discessuri erant, conuenimus; enixè deprecamur, vt nos sui comites itineris admittant; insuper authoritatem Episcopi Chulfensis nobis plurimùm affecti imploramus: hic mercatores aduocat, eísque præcipit, vt nostri curam tanquam sui gerant, quod nobis plurimùm profuit. Præparatis igitur ad viam necessariis, assumptis equis quarta die Iunij Aspahano discedimus,ac magnis itineribus, vt citò præeuntem turbam pertingamus, quinque simul properamus. Quinto itineris die ciuitatem Cassam in immensa planitie collocatam venimus; ibi repertis aliquot sociis vsque ad alium diem expectamus; inde discedentes, ac diffusam illam planitiem percurrentes, Comum vrbem appellimus, deinde vrbem Sauam. Inter has duas vrbes occurrit mons,quem spectris ac dæmonibus infestatum ferunt: nullus ad illum præsumit accedere; quia aliquos ibi traditur periisse.

ſe. Poſt Sauam venimus Araſenq oppidum,ad radices montis collocatum, à quo maxima planities ciuitatis Casbin incipiens, ad multas leucas longè latéque procurrit: inde dictam Ciuitatem olim Perſidis curiam, quamuis à longè conſpeximus. Hæc planities diſperſis hinc inde oppidis plena ac amæniſſima comparet: vlterius ad aliud oppidum duobus diſtans leucis progreſſi, turbam mercatorum, quam proſequebamur inuenimus.

Quia verò mercatores ſic turmatim incedentes tardiùs viam conficiunt: captâ quorundam, qui præcedebant, mercatorum opportunitate, noſtríſque ſarcinis cuidam amico commendatis præeuntes, quâ poſſumus celeritate viam proſequimur. Tertia die ciuitatem Sultaniam appellimus, nóſque aliis iter agentibus aſſociamus. Die ſequenti ante lucem ſurgimus iter aggreſſuri; ſed omnibus iam paratis aufugit vnus ex noſtris equis, qui in illa diſcurrens planitie, tenebrarum opportunitate ſecurus capi vix potuit. Poſt iter quatuor circiter horarum,cùm turbam cui nos iunxeramus præcederemus, occurrit curſor Regius, nóſque ictibus baculi ſalutare incipit: hunc eſſe latronem exiſtimantes effuſis in fugam equis periculum declinare feſtinamus: ſed ab aliis admoniti quòd ſiſtendum eſſet,ſiſtimus exitum expectantes.

Dignoſcuntur hi Curſores,ex eo quòd Crucem Sancti Andreæ ante pectus, & retrò poſitum geſtent: qui ſimiles geſtant cruces, tanquam dæmones fugiuntur: Cùm enim in Perſide non ſint determinata loca, vbi equi ad currendũ neceſſarij ſumantur, hi Curſores Regij; ſcilicet ad Regem, vel à Rege miſſi poſſunt ad libitum obuios quoſque ſibi ſumere equos, & reſiſtentes ſibi occidere; & ita aliquandò iter agentes, ſublatis equis in media cogunt ſiſtere via: ſic nobis accidiſſet, niſi oblatis illi curſori quinque aureis, vexa-

tionem noſtram redemiſſemus.

Iubet igitur ille, vt ex equo deſcendamus; metu mortis obedimus, ſemper illum latronem exiſtimantes; ſi enim Curſorem eſſe nobis innotuiſſet, manifeſtato ei priuilegio nobis à Rege conceſſo, euadere hîc, ſicut ſæpe alibi, poteramus: Equos noſtros aſſumit; ſed oblato prædicto pretio ſtatim reſtituit; ſícque procedimus vltra, noſtros itineris comites diſperſos colligentes. Ex hac die quoſcumque habebamus obuios, Curſores eſſe formidabamus, ſimiléſque Cruciferos impoſterum declinare curauimus. Dum hæc tragœdia perageretur, à longè proſpiciebat Illuſtriſſimus Babylonienſis Epiſcopus ex noſtro ordine aſſumptus, cum alio religioſo noſtro mihi plurimùm affecto: ſed præ diſtantia non agnoſcentes, nec compati, nec iuuare potuerunt.

Poſtquam ad proximum oppidum acceſſimus, ad quandam domum recedentes, ſecreti per duos dies manſimus; quia alium tranſire Curſorem audiueramus; ibíque Legatum quendam nos ſubſequentem expectamus. Hic Legatus à Principe Pachachou Chriſtiano ad Regẽ Perſidis deſtinatus fuerat, vt ei ſuam filiam in vxorem tradendam deduceret: finita iam Legatione ex ciuitate Casbin, vbi Regem viderat, in patriam redibat; habebat aliquos ſecum à Rege deputatos, qui ei per viam omnia neceſſaria, expenſis vrbium vel oppidorum, per quæ tranſibant, prouiderent. Hoc inter alia gaudent priuilegio, vt nullus cuiuſcumque ſit conditionis, aliquem ex eius comitatu vexare, aut vllo modo offendere præſumat: Illum prope Sultaniam inueneramus; ſed inſcij futurorum, eius ſocietatem non quæſiuimus: vbi eius aduentus nobis innotuit, ipſum adimus, ac de more patriæ ſalutantes enixè precamur, vt nos tanquam ſeruos in ſuo admittat comitatu: læto nos excipit vultu, vt amicos recipit, ſéque curam noſtri habiturum pollicetur: quod & affectu & effectu demonſtrauit.

Secunda,

Secunda, poſtquam illum comitamur, die; ad quendam locum venimus, ex quo cùm habitatores recederent, ne illi expenſas ſubminiſtrare cogerentur, malè ab illo tractati ac plexi ſunt: vnde populi commotionem veritus diſcedit: hoc expaueſcimus nuntio, repentino eius diſceſſu affligimur, & qua poſſumus celeritate fugam arripimus: tunc enim nobis obiicitur miſeranda Legati Poloni, ac vnius è noſtris Religioſis cædes paulò ante in euentu ſimili perpetrata. Vix loco egreſſi populi commotionem audimus, nobíſque ſepulchra quorundam ibi interfectorum oſtenduntur. Tota nocte procedimus, & ad locum latrociniis infeſtum, in quadam valle anguſta plena latebris, prope fluuiolum conſtitutum deuenimus; maxima illum cautela præterimus, ad illam vallem magno fragore catapultas explodendo, ad terrendos latrones, ſi qui eſſent, deſcendimus; & ponte ibi tranſmiſſo, iterum montem arduum ac præcelſum aſcendimus, quo ſuperato ſenſim deſcendentes, ad vrbem Mianam in lata conſtitutam planitie, duobus irrigatam fluuiolis ſimul confluentibus, in vigilia Natiuitatis ſancti Ioannis Baptiſtæ deuenimus, indéque procedentes die vigeſima ſexta Iunij in celeberrimam ciuitatem Tauris, olim Ecbatanam, tandem peruenimus.

CAPVT VI.

De mea per Armeniam profectione.

TAuris ciuitatem decima ſeptima menſis Iulij deſerẽtes, in Armeniam proficiſcimur; Armenis mercatoribus adhærentes, Camelis potius agitati, quàm vecti procedimus. Prima itineris die tres tantùm conficimus leucas. Secunda planitiem Tauris prætereuntes, relictâ vrbe Sophian ad vallem montibus coarctatam deuenimus, vbi vuas iam maturas inuenimus. Tertia

die exercitum Persicum in illis montibus consistentem sub papilionibus videmus : vltra progressi prope vrbem Amarant vectigal soluturi triduò manemus;inde discedentes ; ac vastissimam percurrentes planitiem , vnde supra descriptum montem Noë vidimus , elapso triduo itineris Armeniam ingredimur. Occurrit primò multùm diffusa planities, pluribus Armenorum oppidis referta , amœnóque duplici irrigata fluuiolo , in ipsa est ciuitas Coi ibi iterum vectigal , sed satis moderatum, sicut & alibi in tota Perside soluitur : in Turchia verò excessiua sunt vectigalia : ibi enim quadraginta aureos soluere coguntur de his mercibus,de quibus in Perside vix duos soluunt.

Mansimus in ciuitate Coi tribus diebus , tum vt vectigal solueretur , tum vt necessaria pro itinere pararentur ; deserta enim loca sex diebus prætereunda nobis erant ; tum propter iurgium ac conflictum mercatorum, verè me in mediis vidi angustiis:illi enim mercatores, quorum consortio vtebamur , de expensis ibi factis diffidentes, postea rixantes , denique ad arma confugiunt ; sed vnus tantùm ictu baculi in fronte vulneratur, qui ad Gubernatorem Ciuitatis accedens contra alium format querelam. Is statim aduocatur,pœna pecuniaria viginti aureorum ipsimet Gubernatori applicata multatur, sícque tota lis inter eos terminatur Inde discedentes, illámque emensi planitiem ad quendam fluuiolum peruenimus : hic fluuiolus inter montium angustias defluens , vix aditum præbet iter agentibus: illius cursum , sed aduersum sequentes accedimus ad extremum Persidis terminum , vbi supra collem inaccessum est domuncula,in qua milites aliqui morantur, qui integrum prætereuntem exercitum lapidibus solis destruere possunt ; inferius enim est via perangusta, per quam duo simul incedere nequeunt ; propterea hæc domuncula arx nominatur , & est Persidis ex hac parte

propu

propugnaculum : ibi eſt fons aquæ calidæ prope fluuiolum iam dictum emanans. Inde diſcedentes ac contrarium ſemper fluuioli curſum tenentes, inhabitata Turchemannorum loca, adhuc per quatuor dies inter medios montes pertranſimus, & caſtellum Cochab alteri fluuiolo prominens attingimus : ibi primo vectigali Turris ſoluto vltra procedimus; & tertio itineris die, quæ fuit ſexta Auguſti, in ciuitatem Van peruenimus.

Vſque ad duodecimam eiuſdem menſis, tum vt vectigal ſolueretur,tum vt cameli mutarentur; huc vſque enim cameli Perſici veniunt, ſed non plus vltra:horum ductores ſunt viri ordinarij, peditéſque iter agunt : non ita inter Turcas; hi enim equitant, ſeruóſque habent: hoc credo, ad reuerentiam ſui Mahometis, qui miniſterium iſtud exercuiſſe traditur; propterea cariſſimo eos conducunt pretio. Iis diebus apud quendam Armenum manſimus, maximóſque paſſi ſumus calores; inde deuotionis causâ ad montem Varac profecti, ab illis Religioſis Armenis inſigni charitate fuimus excepti. In noſtro venerunt comitatu mercatores illi Armeni itineris noſtri comites, duóque nobiles Turcæ : illuc ad noctis principium peruenimus, ſtatim nobis obuiam venit loci illius Epiſcopus eiuſdem monaſterij Religioſus. Locus eſt amœniſſimus, vaſtam ſub ſe planitiem, ac mare coniunctum proſpiciens; eſt arboribus conſitus, fontibúſque ac riuulis iucundus : monaſterium eſt pene dirutum; olim fuiſſe magnificum apparet, adhuc extat Eccleſia integra ex lapide quadro conſtructa, ac tecta fornice : huic aliquæ adhærent aulæ,quaſi aliæ Eccleſiæ; in quarum vna Armenorum Patriarchæ, ſepeliuntur; reliquum monaſterij ex luto conſtructum eſt. Inuenimus ibi duodecim Religioſos ferè omnes ætate prouectos; tres enim tantùm erant iuuenes : duo inter illos erant ad Epiſcopalem dignitatem promoti,

Vlteriùs procedentes vias difficiles, ac subiectis eminétes præcipitiis prætérimus; in quibus me diuina præseruatum agnosco prouidentia; mulus quippe, quem insidebam, in ipsa itineris ora quamuis me reluctante incedebat; sed nunquam cecidit, quamuis postea sæpè ceciderit: si tunc cecidisset, de me actum erat. Hac die ad quoddam venimus oppidulum in deciui montis positum, ad cuius radices pertransit fluuiolus. Inde discedentes ad quendam venimus pontem, vbi vectigalis exactores commorantur; quos prætergressi (iam enim Domino illius loci, in ciuitate Van persolutum fuerat vectigal) ad oppidum venimus, vbi sunt plures putei aquæ salsæ, ex qua sal pro vicinis regionibus conficitur, & ministerio boüm illuc defertur: vno sistimus ibi die, deinde progredientes ad vallem amœnam prætereunte fluuiolo irrigatam accedimus: media reperimus via nouos vectigalis exactores, qui camelos numerantes eos ad determinatum stationis locum peruenire, mercatoribus secum assumptis, & nobis ad suum adductis oppidum, permiserunt; à quibus post solutionem dimissi ad dictum properamus locum: hanc vallem plurimùm diffusam iuxta fluuioli ripam incedentes prætérimus, fluuiolúmque traiicientes ad summitatem collis facili ac suaui conscensu venimus; ibi fontes scaturiunt, ac infinita propemodùm Perdicum aliarúmque auium multitudo conspicitur: ibi sicut & in via plures boüm sal deferentium turmas reperimus. Ex colle illo sensim descendentes per vastam progredimur planitiem, quam præterfluens medio tractu alius fluuiolus irrigat: ad eius ripam sistimus, ibíque nouum exigitur vectigal; illic nobis consedentibus veniunt mulieres Arabes lac aliáque comestibilia venalia deferentes; inde digressi, planitiémque percurrentes alium offendimus fluuiolum, in cuius medium ex equó decidi; cùm enim quidam Persa in meum voluisset insilire

equum

equum iam aquam prætereuntem, meipſum in aquam ipſam deturbauit, ſicque madidus vſque ad ciuitatem Diarbequir, Tigri Armeniam & Meſopotamiam ex illa parte diuidenti prominentem perueni.

CAPVT VII.

De meo in Aleppum aduentu.

ALiquot diebus in ciuitate Diarbequir mãſimus: vt nouam vlterius procedendi opportunitatem haberemus; ibi quippe ſiſtebant illi mercatores, quorum in comitatu ex Perſide veneramus. Congregata igitur noua mercatorum turba, in ipſa Natiuitatis Beatiſſimæ Virginis feſtiuitate iter aggredimur: in ipſis autem noctis tenebris dum progredimur, ab inuicem ſeparamur: diuerſíſque viis tota nocte procedimus; ſed ad eundem terminum ſuperatis agris, ſaxis tenacibus conſitis peruenimus. Prima die in decliui cuiuſdam montis, vbi fontis riuulus ſcaturiebat, ſiſtimus: inde ciuitas Diarbequir, eiúſque planities, ac decurrentis alueus Tigris maxima conſpiciebantur amœnitate. Montem illum prætergreſſi ad aliam planitiem deuenientes, iuxta abundantem aquarum originem tentoria figimus. Tertia die ad exiguum quendam lacum deuenimus: inde diſcedentes, iterum quarta die ſcientes ac volentes diuidimur; quidam enim ad Orpham deflectunt: nos recta tendentes ad cuiuſdam fluuioli ripam accedimus, vbi febri laborare cœpi; ſed paucis diebus terminatur. Quinta die ad oppidum in vaſtiſſima planiti- ſitum, riuulis aquarum irrigatum, non longè à ciuitate Orpha diſſitum properamus: Inde digreſſis, ſexta nobis die aliud occurrit oppidum in eadem planitie; vbi non fontes, ſed ſoli ſunt putei; ibi vectigalis exactores vnum à ſingulis Europeis aureum extorquent. Inde ſeptima diſcedimus die, ac in loco deſerto; iuxta copio-

ſum

ſum tamen ac amœnum fontem remanemus. Tandem octaua die ciuitatem Elbir iuxta fluuium Euphratem ad radices montis ſitum præteritis pluribus vineis appellimus.

Ibi ſoluto pro nobis eodem vectigali, traiecto naui fluuio, relictáque Meſopotamia nobiliſſimum Syriæ Regnum ingredimur: poſtquam vno ibi die manſimus, noſtrum versùs Aleppum iter proſequimur. Prima die occurrit oppidum in valle ſitum, vbi præterfluentis aquis fluuioli plures irrigantur horti, fructuúmque copia colligitur: inde progreſſi viam primò rectam ac planam, lapidibus per multa milliaria ſtratam; deinde traiecto ponte fluuiolo, ciuitatem deſtructam ac caſtrum ei adhærens in colle ſitum reperimus: multa quæ memoriâ exciderunt, de hac ciuitate dicebantur: ſed inter alia quòd vnius magni Prophetæ patria fuerit: eſt ibi locus latrociniis infeſtus; latrones quippe illis in ruinis latentes, illac prætereuntes inuadunt mercatores. Ibi vſque ad lucem ſubſiſtimus; quia duos abeſſe mulos aduerterunt, quos à latronibus ſubreptos formidabant. Ibi iterum diuidimur; aliqui enim Damaſcum properantes, Aleppum declinare volunt; ne vectigal pro mercibus ſoluere cogantur: nos verò vltra procedentes poſt duos dies in ipſa ſancti Matthæi feſtiuitate ad deſideratam Aleppi ciuitatem peruenimus.

Vltima nocte, dum progredimur, imber maximus ingruit, tantóque ruit impetu; vt muli conuerſo capite ſteterint immobiles. Eramus tunc in via lapidibus ſtrata: per horam circiter imber ille perdurat, ceſſante imbre non recedunt nubes, ſed potiùs ita aërem obſcurant, vt nec via compareret, nec ſe mutuò comites itineris intueri poſſent: accenditur ex ſilice excuſſus ignis, præeunt aliqui tædam accenſam præferentes; ſícque per aliquod ſpatium, magna tamen confuſione procedimus: quiſque enim propius ad lumen procurat

rat accedere; ne casus aliquod periculum ex ipsis tenebris incurrat. Imber iterum maiori impetu, ac longiori spatio delabitur, ac ita in media cogimur sistere via, quam ita deturpat, vt sequenti sereno die maxima cum difficultate progredi vix liceret; cataractæ quippe cæli apertæ videbantur: sic madidi vigesimaprima Septembris Aleppum peruenimus.

Adsunt statim Iudæi vectigalis exactores, nos vtpote ex India venientes adamantibus onustos credunt: omnia perscrutantur, ipsos habitus, imò & corpus palpant. cúmque finitis omnibus diligentiis nihil inuenissent; nos omnia ipsis celare conqueruntur: cúmque me Lusitana aliqua verba proferentem audiissent (illa enim loqui per octo annos assuetus eram) me Hispanum & Lusitanum dicunt: imò me vocant Dominum Philippum, exprobrantes mercatoribus Gallis, quòd me pro meritis & dignitate non honorarent: vix illis potui persuadere me esse natione Gallum: quamuis & nauim in qua veneram, & testes qui me agnoscerent, indicarem. His Iudæi vtuntur artibus, vt deueniant in notitiam personarum & rerum quas deferunt; quando enim nobilis aliquis Lusitanus in eorum manus incidit, tyrannicis eum diuexant modis.

Anceps de me sententia differtur, sarcinæ sigillantur, exitus interdicitur, fideiussores nostri Patres constituuntur, & ita vsque ad duodecimam Octobris Aleppi remanere compellor: vbi à febri lenta & breui conualesco.

CAPVT VIII.

De traiectu Syriæ, ac nauigatione.

VExatione & malitia Iudæorum à die sancti Matthæi vsque ad vndecimam Octobris Aleppi remanere coactus sum: multiplici diligentia, nunc rogando,

gando, nunc authoritete nostri Gallorum Consulis discedendi veniam procuraui: obstinati manent; pecuniam, sed quam eis dare non poteram, exposcunt: sic in dies meus discessus protrahitur. Cótigit tamen quòd quidam ex Indiis orientalibus venerit, decem aureorum millia in adamantibus secum ferens: hic cùm Aleppo discessisset, fortuitò captus ac grauiter multatus, quos ferebat adamantes in carcere detexit: Omnia fisco fuissent addicta, nisi Consul noster sua illum protexisset authoritate: Iudæi mille nummos Consuli proferebant, si adhibita aliquali diligentia, eum totali protectione non defenderet: sed vt erat vir rectus ac timens Deum, validæ tentationi resistens, & conscientiam ac honorem vtilitati præferens, illum infælicem toto cordis affectu, totáque officij protexit authoritate. Mille nummi Iudæis conceduntur; sed ea conditione, vt liberam mihi discedendi facultatem tribuerent.

Hæc licentia in scriptis mihi datur: sed quia Iudæi sunt in omnibus malitiosi, consilium amicorum secutus; non versùs Alexandrettam, vt Iudæi credebant; sed versùs Tripolim iter meum dirigo: cùm enim Alexandrettæ Gubernator ipsi Iudæi vectigalis exactori subiaceat; miseros iter agentes ad Iudæi nutum diuexat: expectat vltimum discedendi diem, quandò verò illi nauim conscendere parant, per fas pérque nefas pecuniam exigit; quam vel inuiti soluere tenentur; né ibi discedente naui diutius manere compellantur.

Inuenta mercatorum turma Tripolim proficiscente, vndecima mensis Octobris sub vesperam Aleppo discedimus: vix illa die tres leucas conficimus, vt aliquos mercatores ibi expectaremus. Erat planities, quam præterfluens riuulus irrigabat, ac molendino proximo deseruiebat; inde digressi ac aliam planitiem percurrentes, ad exiguum diuertimus oppidulum: tertia die ad aliud dirutum accedimus, in quo plures erant nucum arbores:

arbores: quarta die, quæ fuit decima quinta mensis Octobris, ac festiuitas Sanctæ Matris nostræ Theresiæ, nemus amplissimum, ac plura in eo destructa oppida prætergressi, ad vallem collibus circumseptam accedimus, vbi duo sunt putei, ad quos circumuicini Pastores aquam hausturi accedunt. Ibi dum pernoctamus, ingentes excitantur ignes; mane verò dum discessuri surgimus, clamitantes audimus latrones aduentantes, ad arma properant mercatores; vnde illi sub tenebrarum fauore recedunt: inde discedimus, & ad Orontem venimus fluuium: iuxta quem viginti circiter Arabes conscensis equis, lanceis munitos, & ad furandum paratos inuenimus.

Nos magnus in principio terror inuasit, postea resumptis animis omnes se ad dimicandum præparant. Onerantur catapultæ, denudantur enses, arcus tendũtur, parantur sagittæ: nostri aduersùs Arabes currunt; hæc omnia contemplantur hostes, in eodem loco persistunt immobiles; cúmque se viribus inferiores aduerterent, simulata amicitia recedunt, nósque vltra progredimur, ac iuxta ripam Orontis illa die turma dimidiata sistimus: aliqui enim tanto latronum illorum metu perculsi fuerant; vt duplicato itinere ad ciuitatem Aman illa die peruenerint. In hoc loco multæ erant rotæ, quæ decurrentis impetu fluminis voluentes, aquámque exhaurientes supra canales effundebant, vt vicini irrigarentur horti: illuc multi accesserunt rustici, quos omnes velut latrones suspicabamur: tota nocte vigilias alternatas fecimus, & in diluculo discedentes ad ciuitatem Aman properamus.

Quia Præcipui nostræ turmæ mercatores, negotia in hac ciuitate expedienda gerebant, in illa toto pene biduo commoramur: tandem discedimus, ac latam prætereuntes planitiem, ad decliue montis accedimus, ibíque ignibus excitatis pernoctamus: montem sequenti

dic

die ſuperantes ad vallem deſcendimus, in qua parua ſancti Georgij Martyris Eccleſia conſtructa eſt, ad quam etiam Mahometani deuotionis causâ proceſſerunt: illic Sacerdotes Græcos vidimus, qui nos ad Eccleſiam introducentes; imagines, paramenta, ac tandem omnia quæ ibi aſſeruantur, oſtenderunt. Vltra procedentes ad pratum accedimus, ibíque tranſacta nocte planitiem Tripolitanam iuxta littus maris longè procurrentem ingredimur, quam ſequenti die prætereuntes, traiectis aliquot oppidis, fluuiolíſque è Libano dimanantibus Tripolim peruenimus; & ad domum Proconſulis Gallorum diuertimus, ibíque per paucos dies commoramur. In quodam pago, vltima die antequam Tripolim perueniremus, vidimus ſepulchrum alicuius viri inſignis nobis incogniti.

Aleppo Tripolim profectus ſum eo animo, vt inde Cyprum nauigarem, vbi erat nauis Hollandica poſt paucos dies Venetias profectura; ſed inuento ibi Cancellario nationis Gallicæ propoſitum mutaui; Is enim poſt paucos dies Sidonem nauigaturus erat, ſecum copiam ſerici deferens, pro quadam naui, quæ breui Maſſiliam profectura erat: eius igitur conſilio nauigationem & ſocietatem Catholicorum meæ patriæ ſocietati hæreticorum externorum prætuli: vnde relicta Cypri nauigatione versùs Sidonem profectionem paro.

Dum ille Cancellarius merces, aliáque nauigationi neceſſaria præparat, quæ præparatio tres aut quatuor dies exigebat: motus exemplo cuiudam Patris ſancti Franciſci, qui mecum ex Indiis venerat, ad montem Libanum conſcendi. Primò planitiem illam duarum circiter leucarum pertranſimus, fluuiolum traiicimus, & ad radices montis accedimus: ibi paululum comedentes, & hauſtam è puteo aquam bibentes ad laborem aſcenſus vires refocillamus. Quatuor leucis per montem, ſæpe aſcendendo, aliquandò etiam deſcendendo,

dendo, rarò via plana progredimur: iámque vires deficiebant, & labor aſcenſus ardentiſſimam accenderat ſitim: toto quippe illo ſpatio, nec guttula nobis aquæ occurrerat: tandem ad exiguum deuenimus fontem, vbi extinctâ ſiti, viribúſque tantillùm refocillatis, reliquum aſcenſus vſque ad ciuitatem Edem ſuperamus. Habent ibi hoſpitium Patres Franciſcani, ad quod me ſocius deduxit; ſed Pater, qui ibi aderat, nos ad domum Archiepiſcopi ſupra deſcriptam reuerentiæ causâ conduxit: præmiſſis ſalutationibus, & hoſpitalitatis cœna paratur, in qua nobis caſeus, herbæ, ac fructus appoſiti ſunt: dum paratur cœna, ad exiguum introducor cubiculum, in quo erat quidam Nobilis Aquenſis nomine Cheſtui, qui deuotionis causâ in montem Libanum receſſerat, ibíque vitam pauperem pro Chriſti amore ducebat, apud illum Archiepiſcopum voluntaria fruens ſolitudine, librorúmque lectioni vacans. Multa breui illo tempore colloquia rerum cœleſtium conferimus, quæ ad cœnam vocati terminamus, nobíſque lectus ſola ſtorea componitur: ſed pulicibus vexati inſomnem totam noctem præterimus: media nocte ſurrexit Archiepiſcopus & alio monacho adiutus matutinas perſoluit laudes.

Poſtero die aſſumpto itineris duce, ad locum Cedrorum duabus inde leucis diſſitum, per aſpera montis loca procedimus, ſed omninò defeſſus, ac ſomno oppreſſus ipſe ego perueni: eas numerandi curam meo comiti commiſi, ac ſubter vnius cedri vmbram me proiiciens obdormiui. Tranſacto quietis aliquo ſpatio, & aſſumptis aliquot cedri ramis in domum Archiepiſcopi redimus, ipſóque ſalutato ac *Vale* dicto, ad domũ Patris Franciſcani recedimus, ibíque reliquum diei trãſigimus. Sequẽti die ſummo mane diſcedentes, ac montẽ deſcendentes, viribus exhauſtis, cruribúſque, vt dicitur, fractis Tripolim reuertimur; vbi adhuc per duos dies tempus

naui

nauigandi expectamus & à labore præcedentis itineris recreamur.

Vigesima octaua die mensis Octobris sub vesperam è portu Tripolis discedimus, illuscente die littora Syriæ contemplamur: aliqua nobis oppida & Ecclesiæ denominãtur. Vrbs Gibelletum iurisdictionis olim Genuensium ostenditur, media circiter nocte splendoribus Lunæ clarissimæ, prope Beritum accedimus, ibique relictis aliquot hominibus sequenti die sub vesperam Sidonem appellimus.

Transacta in naui illa nocte, exeunt mei comites, ego solus in nauicula remansi: cùm enim mihi dictum fuisset, quoslibet Religiosos, qui ibi nauim relinquunt, vel nauim ingrediuntur, duos nummos soluere; volui antequam nauicula discederem, scire; an nauis aliquã ex his quæ in portu erant, citò versùs Massiliam esset discessura: cúmque mihi renunciatum fuisset vnam ex illis post decem dies profecturam; sicut & aliam quæ erat in portu Ptolemaïdis: desiderio videndi sacrum montem Carmelum, Ptolemaïdem in nauicula eadem proficiscor.

Tertia post meridiem hora Sidone discedimus, sub vesperam Sarephtam Sidoniorum videmus; media nocte Luna plena Tyrum attingimus; ventísque contrariis flantibus in altum deiicimur; orto iam die Sacer noster Carmelus apparens, mentem meam ineffabili lætitia ac consolatione repleuit: tota illa die ventis è Carmelo procedentibus à littore proiicimur: sed illis in melius postea mutatis terram versùs nauigantes, ad nobilem illam quondam ciuitatem Ptolomaïdam, nunc propriis sepultam ruinis sub vesperam peruenimus.

Erant tunc Ptolemaïdæ nostri Religiosi, montis Carmeli incolæ: Contigit enim vt tunc temporis Princeps montis Carmeli nomine Tarabeus suo principatu exspoliaretur: eiúsque terris nouus Gubernator præfi-

ceretur : Is vtpotè amicus noſter, Patribus noſtris ſuaſit, vt è Carmelo recederent, ſéque in hoſpitium quod ad ſimiles euentus Ptolomaïdæ habemus, ſe colligerent; ne aliquod ſibi ex hac rerum viciſſitudine periculum immineret : promittens ſe eos ſuo tempore vocaturum.

Propter hunc euentum Patres noſtri Carmeli incolæ erant Ptolemaïdæ, ſtatímque audito meo aduentu ad nauiculam conuolant, & me aſſumentes in domum deducunt : erat tunc vigilia omnium Sanctorum; die ſequenti Gallorum, qui aderant, confeſſiones audio; ibique vſque ad diem vigeſimam Nouembris nauis alicuius diſceſſum expecto. Erant in illo portu duæ tantùm naues, quarum vna goſſipio onuſta Maſſiliam profectura erat : alia verò Hollandica triticum deferens Hiſpanias petebat : hanc vltimam ad meam elegi nauigationem, tum quia multis ante aliam diebus profectura erat, tum deinde quia maior ac ſecurior, tum denique quia ad Melitam inſulam certò appulſura dicebatur; vnde cùm mihi Romam rectè tendendum eſſet; hæc mihi videbatur alteri præferenda,

Toto illo tempore, quo Ptolomaïdæ manſi, tum audiendis confeſſionibus ſæcularium, tam in transferenda ex Italico in linguam Latinam hiſtoria renouationis Carmeli fui plurimùm occupatus : ſi quandò verò temporis aliquid reſiduum erat, ad contemplandas antiquæ Ptolemaïdis ruinas egrediebar. Non eſt qui illas contemplatus à lachrymis abſtinere poſſit; in illis quippe ingentibus ruinis magnam videns ſepultam gloriam, omnia ſublunaria citò tranſire, & vanitati ſubiecta tandem ad nihilum redigi manifeſta diſcit experientia. Aliquando me ad noſtri Carmeli contemplationem conuertebam : conſiderabam ſanctum illum montem, olim ſanctis plenum Religioſis, nunc Mahometicæ legis ritibus coïnquinatum : hinc ex triſtitia præſentis ſtatus;

ſtatus ; inde lætitia prioris , & ſpe futuri perfundebar.

Dum eſſem Ptolemaïdæ , venit vnus Pater ſanƈti Franciſci, qui dum Nazareth petij , ibi Guardiani munere fungebatur. Hic mittebatur Alexandriam; ſed pertranſeundo,Memphim vulgò *Cairo* accedere tenebatur ; hic mihi ſuadere, qua potuit eloquentia, tentauit; vt vnà cum ipſo in Ægyptum , vnde vnico die diſtabamus , proficiſcerer , aſſerens plures eſſe Alexandriæ naues , quæ me Maſſiliam deferre poſſent : ſed licèt me curioſitas videndi Ægyptum aliquantulùm moueret; tædium tamen tam longæ peregrinationis meæ , quo plurimùm afficiebar , omnia itinera ; & multò magis nauigationes , in quibus tam frequentia occurrerant mihi pericula , diſſuadebant : eadem die ille versùs Ægyptum,ego versùs Europam enauigamus.

CAPVT IX.

De mea peregrinatione in Terra Sanƈta.

DVm nauigandi in Europam tempus expeƈto , me ad peregrinationem partis Terræ Sanƈtæ determino : totam luſtrare non potui , triplici difficultate præpeditus; prima quidem quia ad videnda ſacra Hieroſolymorum loca multæ expenduntur pecuniæ ; mihi autem parciſſimum & vix reditui ſufficiens erat viaticum : ſecunda , quia Superior Patrum ſanƈti Franciſci Hieroſolymis fugerat propter iniquam Gubernatoris vexationem , qui magnam pecuniæ copiam tyrannicè exigebat ; vnde non multùm ſecura Hieroſolymorum peregrinatio mihi videbatur , quod paulo poſt euentus magis declarauit ; nam Vicarius eorumdem Patrum fuſtibus acerrimè plexus eſt:tertia tandem,quia tempus deeſſe videbatur ; nauis enim in dies diſceſſura credebatur , licèt poſtea diſceſſum diſtulerit.

In principio igitur Nouembris,ad ſanctam Nazareth ciuitatem viginti tantùm milliaribus Ptolemaïda diſtantem pergo; in media pene via eſt planities ſatis amœna, vbi magnus eſt puluis, in ea aliquæ viſuntur ruinæ quæ Cana Galileæ eſſe dicuntur, vbi Chriſtus Dominus aquam in vinum conuertiſſe dicitur. Paulò vlterius ſita inter colles conſpicitur Sefori patria ſanctę Annæ, vt traditur, adhuc habitata: Tandem ſuperato monte ciuitas Nazareth occurrit, nunc penè deſtructa. Inter ipſos Mahometanos hoſtiles vrgent diſcordiæ; quidam enim, vt Nazareni dicuntur vexilli candidi;alij verò vexilli rubri: hi perpetuas inter ſe fouent inimicitias. Nuper contigit, vt ſectatores vexilli rubri ſimul conuenerint, & in deſtructionem ciuitatis Nazareth irruerint; noctu ciuitatem adoriuntur, eam diripiunt, funditúſque euertunt;ipſum etiam Patrum ſancti Franciſci Conuentum in eodem loco,vbi domus Lauretana Beatiſſimæ Virginis erat ædificatum demoliuntur.

Ciuitas Nazareth eſt in decliui montis non adeo excelſi,à ſummo eius cacumine ad radices vſque pertingit, orientem reſpicit Solem:huic monti à parte Septentrionali alius adhæret eiuſdem altitudinis, qui alium ſimilem ab ortu ciuitati oppoſitum attingit; media inter hos montes perexigua vallis extat; ſolùm in longitudinem versùs Auſtrum ad vnum milliare,ſenſim ſtrictior procurrit, mons enim Nazareth, aliúſque oppoſitus ex æquo ad Auſtrum procurrentes ſenſim mutuò ſibi appropinquant, ac in fine vix anguſtam tendentibus Hieruſalem præbent viam: quæ inter illas montium anguſtias deſcendens ad magnum campum Eſdrelon pertingit. In illa extremitate montis Nazareni eſt locus; vnde Iudæi Chriſtum precipitare voluerunt:non longè in eodem monte eſt ædicula, eo in loco ædificata, vbi traditur Beatiſſimam Virginem cordis deliquium paſſam, dum properaret poſt Iudæos ſacratiſſimum

mum ſuum filium ducentes ad præcipitium.

In extrema Ciuitatis parte eſt Conuentus Patrum ſancti Franciſci in eodem loco ædificatus, vbi olim domus Lauretana Beatiſſimæ Virginis extabat: apparent ibi ruinæ inſignis Eccleſiæ, quam ſancta Helena Imperatrix ædificauerat; in omnibus quippe locis, in quibus erat aliqua Chriſti Domini memoria, pulchras Eccleſias ad maiorem eorum deuotionem conſtruxit. Conuentus nunc eſt deſtructus, decem prius continebat cellulas, & officinas Connentui proportionatas; hortulum habet, & Eccleſiam ſed combuſtam, eiuſdem magnitudinis, ac eſt domus Lauretana, quæ in ipſomet loco, fuiſſe dicitur. Subtus Eccleſiam eſt locus ſubterraneus, Eccleſiæ in dimenſione correſpondens; muri eius vt plurimùm non ſunt lapidei, ſed in natiuo excauati ſolo: hîc creditur ab aliqnibus celebratum ſacroſanctum Incarnationis myſterium, quod & ab eis traditione, & ratione confirmatur; ibi quippe in extremitate Septentrionali loci ſunt duæ columnæ marmoreæ circiter quinque palmos craſſæ, & duodecim altæ: vna in loco vbi ſanctiſſima Virgo orabat, quando Angelus ad eam ſalutandam ingreſſus eſt: alia verò ad Occidentalem illius prioris partem, in loco vbi Archangelus ſanctus Gabriel ſtabat, cùm Sanctiſſimam Virginem ſalutauit: hæ duæ columnæ vix tribus palmis diſtant. Hîc collocatæ & erectæ traduntur à ſancta Helena ad perpetuam huius ſacroſancti myſterij venerationem: ſed quod ibi, mirabile dictu, videtur; eſt quòd illa columna quæ eſt in loco Beatiſſimæ Virginis à Turcis fracta eſt in inferiori parte, credentibus infra eam eſſe aliquem Theſaurum, ex eo quòd Chriſtiani eam tanta veneratione colebant: ſic verò fracta diſtat à ſolo quinque palmis, parieti non adhæret, ſuperiorem tantùm loci partem attingit: vnde miraculoſè in aëre creditur ſubſiſtere. De illa etiam traditur, quòd peregri-

nus volens deuotionis causâ tantillùm assumere, viderit Angelum, qui increpans dixit ei, vide ne sub pretextu deuotionis, & Filium, & Matrem offendas.

Hic locus creditur esse maximum totius orbis sanctuarium; & meritò, cùm maximum ibi mysterium, videlicet Dominicæ Incarnationis celebratum sit. In eo tria sunt altaria, duo in extremitate Australi prædictis columnis opposita; primum est Annunciationis correspõdens primæ columnæ; secundũ est sancti Ioseph correspondens secundæ; in parte Occidentali loci est paruum altare sanctæ Annæ dicatum: in angulo occidentali est ianua, qua per aliquot gradus ascenditur ad hortum, ibíquè est fenestra qua locus aliquantulùm illustratur: in parte verò Orientali est porta qua per gradus obscuros ascenditur in Conuentum.

Nullus, nisi solutis calceis, locum illum ingreditur: si enim Moysi ad rubum ardentem, sed incombustum accedenti dictum est, *Solue calceamenta pedum tuorum; locus enim in quo stas, terra sancta est*; quantò potiori iure idem iubetur Christianis ad hunc locum accedentibus, qui est totius orbis sanctissimus. Ibi peculiari priuilegio celebratur quotidie missa de Annuntiatione; in Euangelio autem dicitur sic, *Missus est Gabriël Angelus à Deo in hanc ciuitatem Galileæ, cui nomen Nazareth:* in fine verò dicitur, *Et Verbum Caro hìc factum est:* Bis in hoc loco sacrosanctum Missæ sacrificium celebraui, ibíque votum pro parentibus solui; cùm enim paruulus essem, & ad vltimum vitæ periculum peruenissem, votum emiserunt me in sacram Lauretanám ædem fore ab eis mittendum; si ex illo euaderem periculo; illis referentibus accepi, me miraculosè statim conualuisse, ac penè à mortuis surrexisse: meo in Religionem ingressu suo soluti sunt voto; quod tamen ibi reddidi. Vnde sacra domus Lauretana ab Angelis (eo tempore quo nostri Religiosi, qui huius domus curam

habe

habebant à Barbaris trucidati sunt) in Europam tam insigni miraculo fuit translata: ibi quotidie celebratur processio, ac in singulis altaribus singulæ fiunt stationes; vbi anthiphonæ, versiculi, & orationes iuxta loci exigentiam decantantur.

Non tamen ex dictis sacræ ædis Lauretanæ honor & reuerentia diminuitur : nam licèt in hoc loco iam delineato ineffabile ac sacrosanctum Incarnationis mysterium celebratum esse dicatur (traditur enim Beatissimam Virginem in illo loco tanquam secretiori , vt in Oratorio solitam orasse :) tamen tota domus hoc mysterio sanctificata,ac dedicata fuit; maximè cùm Christus Dominus , eiúsque sanctissima Parens , sancti Ioseph, Ioachim , & Anna hanc domum Lauretanam incoluerint, millies eius muros tetigerint : Erat enim locus habitationis ipsorum ; vt ex ipso camino , aliísque apparet : quæ circa hæc dicta sunt non mea authoritate fulcio ; sed solùm refero , quæ traditione , ac relatione aliorum percepi.

Prope ciuitatem Nazareth in summitate montis, est locus vbi videtur mensa lapidea fonti proxima , vbi Christus Dominus cum suis Apostolis sæpè comedisse dicitur ; credibile quippe est , quòd sæpè ad domum suæ Sanctissimæ Matris , post officium prædicationis itinere fessus accesserit : in infima verò ciuitatis parte est fons pulcherrimus , ex alto decidens in locum excauatum , murísque adinstar templi circumdatum ; in eum traditur Beatissimam Virginem ad hauriendam aquam quotidie accessisse, hæc sunt, quæ in Nazareth notatu digna videntur.

Iam obscura nocte Nazareth perueni , ad Conuentum Patrum sancti Francisci diuerti : inter ipsos enim & nostros Patres in Carmelo commorantes maxima intercedit amicitia;cùm priùs soli in terra sancta habitarent,nũc nostros Patres in Carmelo admissos,habẽt so-

cios tam ſanctæ poſſeſſionis:ſtatim collatio proponitur panis & oliuarum, quæ ex horto Gethſemani fuerant aſportatæ. Die ſequenti celebrata miſſa, & pluuia ceſſante, aſſumpto mecum vno Maronita, qui hæc omnia loca nouerat, ac Romæ ſtuduerat, Beniamin nomine, ad ſacrum montem Thabor, ad Orientem Nazareth duabus leucis diſtantem proficiſcor: ſuperatis collibus,vallibúſque plurimis ad eius radices peruenio: ibi in parte occidentali eſt oppidulum nomine Debora, à nobili & generoſa illa muliere denominatum,quæ ibi Madianitas referente ſcriptura ſuperauit: ibi proxima eſt Eccleſia non magna ex lapide quadro conſtructa, in eo loco in quo Chriſtus Dominus nouem reliquit Apoſtolos, dum in ſanctum montem Thabor, aſſumptis ſecum Petro, Ioanne, & Iacobo conſcendit, vt eis ſuæ Transfigurationis gloriam manifeſtaret.

Sanctum montem conſcendimus, qui in celſitudine ad duo milliaria pertingit: tempus erat nubiloſum, & ideò aſcenſus laborem ſuauiùs tolerauimus; quamuis difficillimus & rapidiſſimus ſit: mons iſte quamuis ab Occidente alios habeat proximos; tamen ab omnibus ſeparatus exiſtit; eſt in circuitu rotundus, inferiùs latior, ſuperiùs ſtrictior: in ſummitate planitiem habet, vbi olim ciuitas; vel, vt alij volunt, ampliſſimum erat monaſterium: pars murorum & foſſæ adhuc extant:eſt etiam pons, quo ſupra foſſam collocato, ad ciuitatem, vel monaſterium patebat aditus:vbi ſupra versùs Oriẽtem pars adhuc videtur eximij templi,à ſancta Helena, vt dicitur,ædificati:huic proximè adhæret locus Transfigurationis ruinis penè ſepultus: aliquantulùm enim deſcenditur, & ad exiguum cubiculum ſubterraneum peruenitur. Interiùs eſt aliud vix quatuor paſſus longum & latum, vbi tres perexigui ſunt arcus adinſtar capellæ, ibi celebratum traditur ſacræ Transfigurationis myſterium: ibi accenſo igne aliquandiu orauimus:

poſt :a

postea exeuntes prope cisternam loco adhærentem sistimus, ibíque panem & cepam comedimus, ac cisternæ aquam bibentes à labore ascensus recreamur.

Postea totum montem lustramus, omnino viridem, arboribus plenum, & amœnissimum: ibi inter illas quercus glandiferas multi pascuntur Apri. Ad partem occidentalem illius planitiei exiguam vidimus aliam Ecclesiam, in qua licèt penè destructa Græci Nazareth incolæ in die Transfigurationis quotannis celebrant; subtilissimum ipsi supra aërem sentiebamus, & vndequaque respicientes mira perfundebamur iucunditate, maiorem terræ sanctæ partem inde prospicientes.

Ab ortu longè dissiti apparent Arabiæ montes, apparet & mare Galileæ, quod Christus Dominus toties cum suis Apostolis traiecisse dicitur, ipsi mari & ventis aliquandò, ne sæuirent, imperando: lacus propriè est; nam aquæ dulcissimæ sunt, illud pertransit Iordanis, à Septemtrione in Austrum procurrens: à monte Thabor Iordanis duplici in loco percipitur; qui in mare mortuum desinit. Mare istud, non quidem inde videtur, propter aliquos interpositos montes, quamuis appareat crassissimus ille aër huic incubans mari. Circa illud nascuntur fructus exterius pulcherrimi ac sani, interius verò cinere ac corruptione pleni, aliquos præ manibus habui, & hoc Dominus in horrorem ac vituperium Sodomitarum permisit. Ad radices Tabor versùs orientem incipit planities, non multùm tamen æqualis, quæ per duas circiter diffusa leucas ad mare Galileæ pertingit: ibi Tiberiadis ciuitatis, ex qua etiam hoc mare denominatur, ruinæ adhuc comparent. In media illa planitie factum traditur illud insigne miraculum, quos Christus Dominus tot millia hominum paucis panibus cum tanto illorum stupore refecit.

Ab occasu, soli comparent montes, præcipuè noster Carmelus iam supra descriptus, qui inde altissimus ac

longè

longè diffusus videtur ; apparent & viciniores montes ciuitatis Nazareth , aliique ad Septemtrionem longè latéque procurrentes : nulla ex hac parte ciuitas, nullum etiam cernitur oppidum,excepto illo perexiguo nomine Debora , ad eius radices immediatè collocato.

A Septemtrione, remotissimi conspiciuntur montes Damasci , paulò viciniores Betuliæ montes , vbi generosa ac sancta illa Iudith , occiso Holopherne Assyriorum exercitum prostrauit: in aliis montibus sita videtur antiqua ciuitas Sephath, cuius memoria in libris Tobiæ habetur:& quæ maximæ apud Iudæos est venerationis ; quapropter multi illam inhabitant magna tamen inter illos & Tabor inæqualis excurrit planities;in cuius medio est collis oliuis consitus,vbi Christus Dominus Beatitudines suis traditur discipulis prædicasse.

Ab Austro denique multò plura conspiciuntur.Nam primò socius Taboris mons Hermon vix tribus distans milliaribus adstat ; de quibus dicit Propheta, *Tabor & Hermon in nomine tuo exultabunt tuum brachium cum potentia.* Mons Hermon non est altior ; sed multò latior monte Tabor : in summitate habet templum à Mahometanis extructum : ad eius radices septemtrionalessunt ruinæ ciuitatis Endor , vbi Madianitæ debellati periêre , de quibus ait scriptura , *Disperiexunt in Endor , facti sunt vt stercus terra* ; ad radices autem Occidentales est ciuitas Naïm , in qua Christus Dominus Iuuenem illum viduæ filium à mortuis suscitauit; adhuc habitatur & vocatur Nem : à longè conspiciuntur montes Ephraïm , ac montes Samariæ , vastissimáque patet planities Genim , sic dicta à ciuitate Genim , quæ in eius extremitate prope mõtes Ephraim sita est(olim vocabatur campus magnus Esdrelon)longè latéque mira æqualitate discurrens : ibi multa olim facta sunt prælia ; illam prætersfluens irrigat torrens Cisson , non multis , nisi dum pluit auctus aquis : hic tandem

tandem inter Tabor & Hermon percurrens ad mare Galileæ præcipitatur: limites huius campi ab Oriente est Hermon ac alij montes successiui: ab Occidente noster Carmelus ac mare Mediterraneum: ab Austro montes Ephraim: à Septemtrione mons Tabor, & montes Nazareth.

Postquam hæc omnia mira animi iucunditate diutius contemplati fuimus, è Tabor descendimus, eadem via Nazareth redimus, & sequenti die Missa celebrata de Beatissima Virgine, Ptolemaïdam proficiscor. Iam ab aliquot diebus Principis Tarabei nuncium ad nos venerat, quo Patres nostros inuitabat, vt iterum Carmelum peteremus: asserebat enim suos status sibi esse redditos, ac omnia in eis quieta & secura. Hoc accepto nuncio ad dictum Principem, in oppido Tir ad radices Carmeli, tunc commorantem proficiscimur, eíque ducentorum scutorum tributum annuum soluimus: nos multis amicitiæ signis excepit, ad cœnam inuitauit, & vt citò ad Carmelum rediremus, inuitans dimisit. Tunc Carmelum conscendimus totum penè lustramus, ibíque omnia in eius descriptione relata, cum magna animi teneritudine, cõtemplamur. Deinde Ptolemaïdã recedimus meæ nauigationi necessaria paraturi.

CAPVT X.

De meo reditu in Galliam.

DIe sanctæ Cæciliæ circa meridiem è portu Ptolemaïdis soluimus, prosperísque flantibus auris à Syriæ littoribus recedentes, in altum ferimur. Libanum iam niuibus plenum, totúmque candidum recedendo videmus: fœlici nauigatione ad Cretam vsque Insulam percurrimus; sed illa transacta; prospero quidem, sed nimio flante vento ingens excitatur tempestas, intumescit mare, frequentes ac tumidæ decurrentes

rentes vndæ montes excelſi apparent,nauem impetunt, ex vna in aliam tranſiliunt partem ; tantáque fit maris inæqualitas, vt nauis in vtramque partem ſucceſſiuis motibus inclinetur : tormenta bellica firmiter alligantur, ne nauis commotione huc illuc diſcurrant, nauem ipſam confringant, aut euertant : timetur, ne nimia concuſſione, aut vndarũ percuſſione nauis diſſolnatur, aut ne nimia maris inæqualitate; hinc prægrandi vnda veniente ac inſtar montis ingruente; illinc verò recedentibus aquis & adinſtar vallis depreſſis, euertatur. Tunc erat ſecunda Decembris ac Dominica prima Aduentus, tota die ieiunantes Aduentum incipimus : ſub veſperam tantillùm ventus decreſcit, ac mare quieſcit, ſecundo tamen perſeuerante vento quarta eiuſdem menſis die ad inſulam Melitam peruenimus.

Cùm mihi Romam eſſet eundum, decreueram in inſula longam terminare nauigationem; ſed portum ingredi non licuit. cùm enim nautæ à prætereunte nauicula didiciſſent aliquam eſſe in inſula tritici penuriam, timentes ne nauis tritico plena per vim ibi detineretur; cùm tamen in Hiſpaniam maioris ſpe lucri dirigeretur, portum appellere noluerunt. Nocte ſequenti circa Inſulam nauigamus; primò verò diluculo Anglica nauis occurrit; quæ dum Piratarum eſſe creditur, magnum priùs incutit timorem,ſed agnita poſtmodùm lætitiam auget: Alexandria veniebat, Liburnum tendebat, aqua & alimentis carebat : hæc omnia illi ſubminiſtrantur, alternatis ſe nautæ conuiuiis excipiunt, & ita læti perſonantibus Anglorum tubis, ac ſæpè vtrinque tormentis bellicis exploſis Siciliam prætereuntes procedimus.

Quanta potui diligentia cum duce nauis Anglicæ egi, vt me in ſuam admitteret nauim, vt ita Liburni mare relinquens, Romam proficiſcerer; promiſit in principio, ſed re meliùs inſpecta negauit, dicens

ſe

ſe iam per menſem cum dimidio ab Alexandriæ portu ſoluiſſe; ac ita quadrageſimam ſanitatis expleuiſſe; nos verò ſolùm à quindecim diebus nauigare; quòd ſi nos reciperet, ob noſtrum conſortium de nouo quadrageſimam facere teneretur, quod ſine maximis expenſis facere non poterat; percepto hoc pluſquam iuſto reſponſo Hiſpanicam coactus profectionem amplector.

Apparentibus Sardiniæ montibus, Anglos relinquimus, ac fretum Sardiniam & Corſicam diuidens traiicimus, proſperóque ac vehementi flante vento, breui Maioricam attingimus, periculoſum prætergreſſi fretum, quòd Lugduni nominatur; Hiſpanica circumlegentes littora, in vigilia ſancti Thomæ Apoſtoli Alicantum nauigationis terminum peruenimus.

Iam mari, eiúſque tempeſtatibus vale dicto, iter terreſtre eligo, ac Valentiam proficiſcor; vigeſima tertia Decembris Chichonam venio, vigeſima quarta oppidum dictum *El Baide*, vbi apud Patres Dominicanos triplici miſsâ die Natiuitatis Domini celebrata, vltra progredior, planitiem vaſtam percurrens ad fluuiolum peruenio, in cuius ripa aliquantulùm panis Damaſci ac Ægypti, quem mecum detuleram, caſeum Cypri, ac fructus Ptolemaïdis comedens, ac eius aquam bibens requieui: ſub veſperam vrbem Xatiuam perueni: inde die ſancti Ioannis diſcedens, vaſtiſſimámque illam planitiem oppidis plenam ſuperans, die ſequenti nobiliſſimam Ciuitatem Valentiam attingo.

Xatiuæ apud noſtros Patres Carmelitas calceatos diuerto, in quorum Eccleſia miraculoſus aſſeruatur Crucifixus, qui locutus fuiſſe traditur: hiſtoria verò ſic refertur. Quidam Nobilis illius Ciuitatis, dum Perpinianum proficiſcens tranſit Barcinone, conuenit quendam lignarium artificem, vt ei Crucifixum efformaret: iuſtum pro eo ſoluit pretium, poſt eius diſceſſum hic artifex efformatum iam Crucifixum alteri vendit:

dit: quod Dominus indignè ferens, conuersa facie increpans artificem, ait: *Me Iudas proditor semel tantum vendidit, tu autem bis me vendis.* Hunc ergo Crucifixum magno decore conseruatum, ac conuerso capite adhuc perseuerantem adoraui: Valentiæ verò plures reliquias, maximè in Collegio, quod vocant Patriarchæ,

Valentiæ apud nostros Discalceatos per quindecim dies immoror, quibus elapsis discedens, sub finem mensis Ianuarij Cæsaraugustam curiam olim Aragoniæ peruenio, ibi per octo dies mansi: Reliquias sanctæ Engretiæ, sicut & antiquissimam Beatissimæ Virginis del Pilar Ecclesiam à sancto Iacobo Apostolo, vt tradunt, ædificatam visitaui. Cæsaraugusta discedens Hoscam ciuitatem sanctorum Laurentij & Vincentij martyrum patriam ad radices Piræneorum montium sitam venio: deinde montes niue plenos ingrediens, ac spatio septemdecim leucarum percurrens; superato, quem Salieni vocant, portu desideratam Galliæ terram sexta mensis Februarij aspicio, ac magno propter niues labore tandem peruenio.

In hoc montium Piræneorum traiectu multi labores, & multa occurrerunt pericula: nam præ continua glacie pedes incedere, vt plurimùm coactus sum: cùm verò defessus itinere equitabam, in perpetuo casus periculo versabar; imò & bis cum equo cecidi, semel in planum, semel in præcipitium. Cùm autem ad montium cacumen medium inter Galliam & Hispaniam peruenissem cum sociis flantem ventum timuimus, ne ipso nix eleuata caderet, & cadendo agglomerata nos obrueret, quod non rarò illis in locis contingit. Dum è summo deorsùm esset nobis procedendum, per dimidiam circiter leucam, præruptam & angustam ingredimur semitam; vix capiendis aptam vestigiis: cúmque facilis esset lapsus, pedes fibulis munimus, vt euidens mortis periculum vitaremus; quod ex narratione


socio


ſociorum magis extimui, dum ab ipſis audiui, quemdam ex eorum comitatu paucis retro diebus in hæc præcipitia lapſum nunquam comparuiſſe; ſuperato mõte, in profundis vallibus vſque ad pagulum dictũ Cabas, penè niuibus immerſi per aliquot milliaria iter egimus.

Dum ex ciuitate Oſca diſcedens iter meum proſequor, curæ cuiuſdam honeſti viri committor, ne aliquod in deſertis illis locis periculum incurrerem. Contigit vt in quodam oppido eſſet miles Hiſpanus, qui in Luſitania diu vixerat: hic cùm me Hiſpanica quidem lingua, ſed accentu Luſitano loquentem audiſſet; me Luſitanum eſſe credidit, ipsíque iudici, apud quem hoſpitabamur, me vt talem denuntiauit, ſubiungens me in Galliam pergere, vt reuolutionis Luſitanorum, quæ tunc de nouo acciderat, nuntium ferrem: quibus potui rationibus illum ab hac opinione dimouere conatus ſum; nam & patentes religionis & fidem authenticam Alicanti acceptam exhibere promiſi; ſed ipſe hæc omnia adulterata iactabat: vnde plurimùm ſudabam timens, ſi non periculum, ſaltem detentionem. Tandem vir ille honeſtus, cuius curæ à Patribus noſtris Oſcæ commiſſus fueram, meam cauſam defendens Patrum noſtrorum teſtimonio & commiſſione me ex his liberauit anguſtiis.

Hîc finio, lector, relictis pluribus aliis minoris momenti, quæ poſſent adduci, immenſas Deo gratias referens, qui me ex tot tantiſque maris ac terræ periculis, in tam longa peregrinatione liberauit: Ipſi, eiúſque Sanctiſſimæ Matri Virgini Mariæ ſit honor, & gloria per totam æternitatem.

FINIS.




BIBLIOTECA NAZIONALE V.E.
ROMA